Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

J. Com. F. 128.

Gerbert

Digitized by Google

I

DE COMMUNIONE POTESTATIS ECCLESIASTICÆ

INTER

SUMMOS ECCLESIÆ PRINCIPES

PONTIFICEM, & EPISCOPOS.

AUCTORE

P. MARTINO GERBERT,

Monacho O. S. B. e Congr. S. Blasii in Silva nigra,

Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,

S. Q. R. I. Princ. & Episcopi Constant. &c. &c.

Theologo.

Permissu Superiorum.

Typis Princ. Monast. S. BLASII. 1761.

Digitized by Google

BAYER.
STAATSBIBL.
MÜNCHEN

Digitized by Google

PÆRFATIO.

EGimus peculiari tractatu *de legitima ecclesiastica potestate*, post *Demonstrationem veræ religionis veræque ecclesiæ*, jamjam totam materiam illam de ecclesia singulari argumento *de communione legitimæ potestatis inter summos ecclesiæ principes pontificem & episcopos* concludimus. Vidimus ab aliquot sæculis hinc atque illinc ultra citraque Alpes perstrepere multas & magnas contentiones, qualem etiam inter apostolos factam esse, *Quis eorum videretur esse major*, evangelia memorant.

Id nunc bene habet, quod non tam ipsum pastorum senatum, qui collegio apostolico

ſuccedit, quam theologos ſeu canoniſtas partium ſtudio abreptos committat controverſia, in pulpitis ſcholarum magni illius ſchiſmatis tempore orta, atque facta ad fovenda ſchiſmata: dum in factiones abſtrahuntur hierarchæ, ut pars alteram in jus vocet, ceu ſibi obnoxiam ac inferiorem; una ſoli arrogat poteſtatem, quæ communis eſt ſummis eccleſiæ principibus collegii apoſtolici ſucceſſoribus; altera ſingularem laceſſit prærogativam, quam ſuis reliquit ſucceſſoribus PETRUS.

Nos contra communionem inter ſummos eccleſiæ paſtores pontificem & epiſcopos ſtabilitum imus, ad pacem & unitatem conciliandam, quæ prima eſt eccleſiæ nota; conſtare autem nequit, niſi ſalva in illis ſit, qui compagine veluti inter ſe eccleſiaſtici corporis membra jungunt. Dum enim oves paſtorem ſequuntur, quando in partes abeunt paſtores, diſperguntur greges, qui ad unum Chriſti ovile ſunt ab apoſtolis congregati. Peculiariter autem PETRO paſcendæ ſunt commiſſæ oves, non ſoli, alioquin fruſtra cæteri apoſtoli eſſent electi, & in omnem terram ad colligendum dominicum gregem miſſi, quem hactenus eorum

ſuc-

ſucceſſores cum PETRI ſucceſſoribus mutuo ac communiter paſcunt, qui, quod PETRO de paſcendis ovibus, ſibi etiam cum S. AMBROSIO dictum agnoſcunt: *Repetitum eſt a Domino tertio* Paſce oves meas: *quas oves & quem gregem non ſolum tunc beatus ſuſcepit PETRUS, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.* Eſt hæc ipſiſſima communio poteſtatis eccleſiaſticæ juxta eccleſiaſtici regiminis formam a Chriſto inſtitutam, atque retentam ſemper in eccleſia, ut omnis ævi eccleſiaſtica monumenta a nobis prodita, expoſitaque in ſequenti tractatione palam facient.

Ea, ſi quando quavis animoſitate labefactata eſt, periculo id violandæ pacis ac unitatis eccleſiaſticæ accidit. Quod nunquam adeo formidandum fuit, quam poſterioribus his temporibus, queis opiniones communioni huic legitimæ poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ principes pontificem & epiſcopos adverſæ, atque inter ſe contrariæ ſcholas occupare cœperunt theologicas, cis & ultramontanas, Gallicas præſertim & Italicas: dum pars ita pontifici defert, ut collegii epiſcopalis auctoritas in regimine eccleſiaſtico diminuatur; pars ita hanc ef-

fert, ut capitis deprimatur faſtigium: utrinque æmula conſtituitur poteſtas, ac regnum in ſe diviſum.

Quibus ego me medium, Germanum pacificum, interpono, ad communionem poteſtatis eccleſiaſticæ conſtabiliendam, qua una pax unitasque eccleſiæ integra ſemper ac ſalva fuit: dum ad eam ſtudia omnia conſpirarunt, a quibus recentior theologia inter ſchiſmata nata, abducit; & utinam, ut ſunt inter ſe diverſæ doctorum ſententiæ, ac ſtudia, ita ne unquam ſint paſtorum. Saltem pacis unitatisque ſtudioſus quisque theologus, ne diſcordiæ locum det, ſibi ſummopere caveat, monitum iſtud ſecutus S. BASILII: *Illud autem pacifico animo tuo dignum fuerit, non unum quidem conjungere aliud vero disjungere, ſed ad eam conjunctionem, quæ prior extitit, ea, quæ ſunt ſeparata, reducere. Quapropter primum quidem precare. Deinde etiam exhortare, ut projecta ex animis ambitione, inter ſe reconcilientur.*

SYLLABUS

SYLLABUS CAPITUM.

De Communione Poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ principes, pontificem & epiſcopos.

CAPUT I.

Eccleſiaſtici regiminis forma providentiſſime a Chriſto ordinata contra depravatæ naturæ molimina ſeſe identidem inſinuantia, poſterioribus his maxime temporibus.

CAPUT II.

Divina providentia ſecundum conſtitutam in eccleſia regiminis formam communioni poteſtatis eccleſiaſticæ proſpicit, ac invigilat.

CAPUT III.

Ad communionem legitimæ poteſtatis eccleſiaſticæ, quam unice ſit neceſſaria cum centro unitatis arctiſſima cohæſio ac neceſſitudo.

CAPUT IV.

Cathedræ PETRI ceu centri unitatis prærogativæ ſingulares, & auctoritas.

CAPUT V.

Quomodo competat ſedi Romanæ, & ab ea exerceatur auctoritas in finiendis cauſis religionis, ac fidei.

CAPUT VI.

Regimen eccleſiæ ſummis pontificibus non pro lubitu, aut deſpoticum eſt traditum, ſed juxta præſcriptam formam, & communionem legitimam poteſtatis.

CAPUT VII.

Exemplis præſertim D. PAULI D. PETRUM reprehendentis, corrigentisque, quid in ſimilibus cauſis in PETRI ſucceſſores valeant ſucceſſores apoſtolorum, declaratur.

CAP. VIII.

SYLLABUS CAPITUM.

CAPUT VIII.

Schiſmatum, ac præſertim magni illius ſæc. XIV. & XV. exemplo declaratur, quanta mala obruant eccleſiam, ſi communio poteſtatis legitimæ juxta leges evangelicas periclitetur, poſthabeaturque.

CAPUT IX.

Ampliſſima auctoritas a ſummis pontificibus ſemper exercita; non eodem tamen modo, juxta leges communionis poteſtatis legitimæ.

CAPUT. X.

Jugis ac conſtans experientia docuit, in rebus perplexis, litibusque pendentibus ſtetiſſe a Romana ſede, eique centro unitatis adhæſiſſe ſecundum leges communionis poteſtatis legitimæ, unice tutum fuiſſe, & expediens.

CAPUT XI.

Quid actum in eccleſia poſteriore ævo circa controverſias communioni legitimæ poteſtatis adverſas.

CAPUT XII.

Neceſſariæ leges communionis poteſtatis legitimæ ad rite, ac fructuoſe congreganda, & celebranda concilia.

CAPUT XIII.

Quas Romanus pontifex ſervata communione legitimæ poteſtatis obierit ſemper partes in præformandis decretis conciliorum, eorumque convocatione.

CAPUT XIV.

In ipſa conciliorum actione, celebrationeque, quam ſit neceſſaria legitimæ poteſtatis communio, ut rite conſtent, nec proſpero deſtituantur eventu.

CAPUT XV.

Quæ ſint in confirmandis conciliis partes Rom. pontificis ſecundum communionem poteſtatis legitimæ.

CAPUT XVI.

Fruſtra diverſa finguntur, atque invicem opponuntur tribunalia, cum ſit unum in eccleſia, communione legitimæ poteſtatis inter ſupremos judices.

CAPUT XVII.

In communione legitimæ poteſtatis, recte ſe habet regimen, ac judicia eccleſiaſtica, quibus refragari nefas eſt.

DE

DE COMMUNIONE POTESTATIS ECCLESIASTICÆ INTER SUMMOS ECCLESIÆ PRINCIPES, PONTIFICEM, & EPISCOPOS.

CAPUT I.

Eccleſiaſtici regiminis forma providentiſſime a Chriſto ordinata contra depravatæ naturæ molimina ſeſe identidem inſinuantia, poſterioribus his maxime temporibus.

I.

Quoniam, in hac rerum universitate ac ordine, nihil auguſtius, nihil ſublimius a ſupremo rerum moderatore eſt collocatum, quam eccleſia A DEI,

Eccleſia habet ſui generis ac fori abſolutam poteſtatem.

DEI, unica unigeniti Filii ac VERBI INCARNATI ſponſa, quam acquiſivit ſanguine ſuo; quin dilectæ huic ex millibus electæ ſingulari providentia intendat divinum Numen, & proſpiciat, dubitandum non eſt. Eſt tamen hodie cumprimis, magnus eorum numerus, qui haud æquas ſoſpitati illius attribuunt partes, quoad externum ſaltem ejus ſtatum: quoad hunc enim etiam eſt ſui juris, ad ſui ſubſiſtentiam & firmitatem ſibi ſufficiens; non, ut neotericis placet, aliena compage ſtatus civilis conteſſeratum ſed αὐτόματον καὶ ὑποστατικὸν corpus, plurima memborum varietate pulcherrimum perfectiſſimumque, qualiter nobis a D. PAULO adumbratur non uno loco, univerſimque in ſacræ Scripturæ paginis etiam veteris teſtamenti. Synagoga eccleſiæ umbram ſolum & figuram exhibet, egenam admodum & imperfectam, quod adeo evaneſcere cum omni ſynagogæ regnique Judaici forma, locumque cedere debuit regno MESSIÆ. Id quidem præter ſpem Judæorum accidit, qui vana ſpe paſcebantur, regnum Iſraeliticum fore reſtituendum, imo in orbem terrarum propagandum & in æternum permanſurum. Errandi Judæis occaſionem præbuerunt proprii eorum vates male intellecti, qui regni hujusce amplitudi-

nem

nem potentiamque undique deprædicabant, etiam haud obſcure ſignificantes, per regnum iſtud reliqua omnia comminuenda, & conſumenda, ipſum vero in æternum non diſſipandum; ut inter alios clarius DANIEL rem ediſſeruit cap. II, & VII.

II. Non in eo ergo aberrabant Judæi, quod ſuſcitandum putarint regnum ampliſſimum in orbem terrarum diffuſum, ſed quod illud terrenum fore exiſtimarent, quo craſſo errore diu nec apoſtoſtoli fuerunt liberati, vana ſpe principatus elati, huc referendo, quæ de regno ſuo Chriſtus ſublimia loquebatur. Quæ res Chriſto invidiam apud Judæos conflarat, ut hanc accuſandi captarent cauſam apud PILATUM; a quo interrogatus Chriſtus non negavit ſe regem, ſed, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, edixit. *Non ait*, ut obſervat S. AUGUSTINUS (*a*), *regnum meum non eſt in hoc mundo, ſed non eſt de hoc mundo.* Igitur regnum Chriſti non eſt tantum regnum cœlorum, imo regnum cœlorum præſentis temporis eccleſia dicitur, ut aperte ex multis evangelii locis colligitur. Neque etiam hoc Chriſti regnum regia deſtitutum eſt poteſtate, ut ſæpiſſime demonſtratum a noſtris eſt, Chri-

Ea cujuſmodi ſit, & quomodo eccleſiæ concredita DEO providente conſervetur?

a.

(*a*) T. CXV. in Jo.

ſtum non ſolum regis, judicis, ac legislatoris munere ornatum fuiſſe, verum etiam regnum ſuum ita ordinaſſe, ut nihil harum rerum deſideraretur, quibus ad ſuſtinenda illius gubernacula opus eſſet; in rebus tamen toto cœlo diverſis, atque infinitis modis præſtantioribus, fineque longe ſublimiori, quam in terrenis dominationibus ſpectetur. Videant ergo adverſarii, quo jure hæc omnia eccleſiæ Chriſti denegent, omnem regni dignitatem auferendo, eo ex capite, quod non in fluxis, & terrenis rebus verſetur, ſed in altioribus, & æternis. Quin dicere fas eſt, eccleſiam æquius regnum vocari, quam alia quævis terrena, quæ ex prima ſua origine ex æqualium hominum comunitatibus ſeſe erexerunt; cum contra regnum Chriſti ſuprema Numinis auctoritate ſit inſtructum, Chriſto omnem ſibi datam in cœlo & in terra poteſtatem in apoſtolos eorumque ſucceſſores devolvente, non vero in communitatem fidelium, ut fuerunt, qui, licet penitus ligandi, ſolvendique jus non negarent, poteſtateque ſua gaudere ſinant regnum Chriſti, eam tamen primario agnoſcunt in eccleſia ut in regulante, *Quia eccleſiæ eſt*, ut eorum ſententiam exponit BELLARMINUS (*a*) *regulare & dirigere*

a.

(*a*) De conc. lib. II. c. 14.

gere Papam, cum ipſa non poſſit errare. Quam opinionem poſtea *Ed.* RICHERIUS totis niſibus ſtabilire eſt conatus, dictitans eccleſiæ immediate claves cum ſacerdotio ſuo contuliſſe Chriſtum, hauſitque eam ex principiis, quibus ſæc. præſertim decimo quarto & decimo quinto ſacra hierarchia inter ſe commiſſa eſt. Inter quos Patres Baſileenſes reſponſione *Ad objectum pluralitatem principantium malam eſſe*, ita pronunciant (*a*): *Eccleſiam unum eſſe principem; atque Dominum noſtrum claves & jurisdictionem unitati fidelium non ſingulis conceſſiſſe: eamque ob cauſam ab uno dandi principium feciſſe cum Petrum allocutus eſt.* *Quia*, addunt, *unitas eccleſiæ multo major eſt, atque perfectior, quam unitas unius regis, aut imperatoris terreni. Hic enim & errat, & in varias ſententias atque contrarias ſæpe ſcinditur: Eccleſia autem nec errat, nec ſibi ipſi contradicit. Nec comparandum eſt corpus eccleſiæ aliis politicis corporibus civitatum, & univerſitatum: quia in medio hujus corporis eſt Chriſtus, qui ipſum regit, ne erret.* Ita quidem illi miræ illius unitatis, ac conſenſionis in vera fide fontem & originem recte ex divinæ providentiæ munere perpetuo eccleſiæ ſuæ aſpirantis repe- a.

(*a*) Reſponſ. Syn. PP. de auctoritate cujuslibet concilii gen. ſupra Papam.

runt. At ſuſque deque habendum non eſt, quod unitas iſta & concordia paſſive quidem in membris eccleſiæ, active autem & tanquam in radice apud eos ſiſtat, quibus cura ovilis dominici a Chriſto eſt comiſſa, PETRO, & collegio apoſtolorum, quique his ſuccedunt. Inter quos, qui pugnam ſibi imaginantur, etiam in divinam providentiam agunt, ſicuti illi, qui totam eccleſiam deficientem fingunt. Quemadmodum enim DEUS proſpicit communitati chriſtianorum, ut ſibi conſentiant in ſana fide, ita haud minus unitatem conſervat inter eos, pro quorum unitate Chriſtus *Jo. XVII.* Patrem rogavit, atque a quibus unitas eccleſiæ unice dependet. *DEUS*, opportune in-
a. quit *Melchior* CANUS (*a*), *diſponit ſuaviter omnia, ſimulque proſpicit & finem, & media ad finem neceſſaria. Nec dubitari poteſt, quod in rebus naturalibus contingit, ut qui dat finem, det conſequentia ad finem. Itaque præſtat ſemper Pontifex, quod in ſe eſt: præſtatque concilium, cum de fide pronunciant: caditque cauſa, ſi quis e noſtris aliter exiſtimat.* Hæc ſecum perpendiſſe eos juvat, qui divinæ providentiæ radios circa eccleſiam DEI conſiderant, quatenus in unitate conſervatur, ne id, quod primo nexum hujus unitatis conciliat,

(*a*) De col. Theol. L. V. c. 5.

ciliat divinæ providentiæ, ſubtrahatur. Quam aliter longe D. ANTONINUS rem expreſſit. *Ratio*, inquit (*a*), *quare eccleſiæ fides in generali deficere non poteſt, eſt quia divina providentia regitur, ſcilicet Spiritu ſancto dirigente, ut non erret, & licet Papa in particulari errare poſſit, & in judicialibus, in quibus proceditur, per informationem: alias in illis, quæ pertinent, ad fidem errare non poteſt, ſcilicet ut Papa in determinando, etiamſi ut particularis & privata perſona &c.* a.

III. Sed hæc in decurſu tractatus demum evolventur. Nunc obſervaſſe juvat divinæ circa eccleſiam ſuam curæ argumenta, quo eam ad unitatis rationem in ſua inſtitutione effinxit, ſapientiſſimeque diſpoſuit ejusmodi regiminis formam, quæ huc ſuapte natura ducit ac collimat. *Gubernatur autem optime*, verbis utor Cardinalis quondam Senenſis *Æneæ* SYLVII, *multitudo, cum ex unius voluntate dependet, quod ex fine patet. Nam finis optimi regiminis pax eſt: pacis autem nutrix unio: unionem vero nemo dubitavevit unum melius ſervare quam plures: unus enim unitati congruit: pluralitas principum diviſionis eſt mater.* Non hanc ita, ut jacet, amplectimur ſententiam; facile hinc partium ſtudiis addicti, aut humanis Forma regiminis eccleſiaſtici.

(*a*) P. IV. tit. 8. c. 3.

nis affectionibus ducti finiſtrum aliquid elicient; quod factum eſſe, grave ac perniciosum eccleſiæ accidit: dum regiminis eccleſiaſtici conceptus eſt efformatus, a corruptæ naturæ dictatis non plane remotus, quibus tamen medicinam facere chriſtiana ſacra ſunt inſtituta. Atque etiam exterior politiæ eccleſiaſticæ inſtitutio ſapientiſſime ita eſt ordinata, ut unitas non coacta ex unius imperii tyrannide, ſed ſuavis & ſpontanea ex plurium ad unitatem conſpiratione emergeret. *Juxta clariſſimorum ſapientum ſententiam confitebimur apoſtolicam ſedem*, ſunt
1. verba *Phil.* DECII (*a*), *Romanam eccleſiam, & apoſtolicum primatum ex Chriſti & Petri ordinatione corpus unum myſticum eſſe, & politiam unicam ſupremam, & primam ſpiritualem conſtituere, cui ſicut primæ, & omnium menſuræ poteſtas omnis ſpiritualis, & temporalis tenetur obtemperare. Eam tamen Dominus propter humanam fragilitatem ne labi contingat, quum in ſpiritualibus & æternis lapſus plurimum gravis ſit, & quum ex illa univerſa penderent, mixtam & compoſitam eſſe voluit, ut hæc mixtio in Romano primatu ſemper actu maneret, & altera poteſtas, alteram, ne labatur, juvaret.* Scripſit hæc clariſſimus auctor eo tempore, quo hæc regiminis ſacri mixtio

juxta

(*a*) Apol. ſacri Piſani concilii.

juxta inſtituti ſui primævam rationem, dum utraque pars quæ compagem hujus juncturæ conficit, acriter inter ſe confligebatur tempore Piſani II. concilii, JULIO II. eidem adverſante, Cardinalibus autem ex altera parte contra ſummum Pontificem auctoritatem arrogantibus: cui factioni adhæſit auctor iſte, atque hinc oſtendit, quam non ſatis mixti hujus regiminis rationes perſpiceret: quæ non eo pertinent, ut partes inter ſe committantur, atque una in alteram conſurgat, ſed ut unio totius corporis eccleſiaſtici iſta temperatione conſtaret, atque communio ſanctorum ſubſiſteret non ſolum fidelium communitate, ſed etiam in rectorum conſentientibus ſtudiis & operis, ad præſtitutum reipublicæ chriſtianæ finem in religionis negotio.

Secundum leges unitatis & charitatis evangelicæ.

IV. Huc conducere ac inclinare mentem ſuaviter dona illa & chariſmata legi gratiæ regnoque Chriſti propria apta vel maxime ſunt, niſi homines obices ponant corruptæ naturæ vitiis in adverſa ſtudia trahentibus. Quod probe agnovit *Jo.* GERSON, quamvis & ipſe, ut videbimus, iniquitate temporum in diverſa abreptus. Is Anglos ad concilium Piſanum profecturos Pariſiis nomine academiæ Pariſienſis allocutus, obmutefcere *hic voluit animalem ſive litteralem*, ita

a. ille (*a*), & *carnalem hominem*, & *ſpirituali magis credere deducenti.* Quis vero ſpiritualis ille homo, niſi qui ſecundum DEUM natus eſt, atque per Chriſtum renatus, chriſtiana ſtipendia meret, hoc eſt, viget intus & vegetatur divini Spiritus fructibus ad charitatem unitatemque promte non minus quam efficaciter allicientibus. *Congregatio eccleſiaſtica ad unum caput*, inquit l. c. laudatus auctor, *Chriſtum facit, & conglutinatur per vinculum amoroſum Spiritus ſancti mediantibus qualitativis diſpoſitionibus reddentibus in corpore myſtico complexionalem harmoniam vivificam & decentem. Hæc autem dona ſunt virtutes theologicæ, fides, ſpes, & charitas, ſunt etiam ſacramenta eccleſiaſtica, ſunt diverſæ diviſiones gratiarum prout unicuique conceſſum eſt.* Scripſit hæc auctor quo tempore hæc extra conſiderationem abducta, diuturno ſchiſmate eccleſiam factiones lacerarunt. Quodſi GERSON pro ingenti ſtudio, quo in ea eccleſiæ calamitate detinebatur, hæc tam in iſto quam in aliis compluribus lucubrationibus in unionis negotio editis, ad id, quod inſtabat negotium, applicaſſet, unitatem nimirum externam eccleſiæ reſtituendam, multo melius eccleſiæ conſuluiſſet: quæ tunc temporis hac via diſpoſitis mentibus

(*a*) Propoſ. facta coram Angl. conſid. IV.

bus ad recipiendum Spiritum charitatis & unitatis obſecundandumque officiis evangelicarum virtutum, citius ad orbitam pacis revocata fuiſſet, quam confractibus illis judiciorum, ac litibus *de competentia*, quibus magis exacerbari cauſas docuit experientia, tum in aliis occaſionibus infinitis, cum in hac ipſa cauſa magni occidentalis ſchiſmatis ſect. 15. Ubi Gerſoniſtæ tunc temporis non ſatis id conſideraſſe viſi ſunt, quod hodie tam funeſtum accidit, atque erroris ſtigma altum inuſtum in Proteſtantibus gerit: unitatis ſcilicet eccleſiaſticæ internæ, & externæ ſejunctionem, contra quam munire ſua providentia Chriſtus voluit eccleſiam ſuam, quam uſque ad conſummationem ſæculi ſubſtituram adverſus inferi portas promiſit. Alioquin juxta evangelicum effatum (*a*): *Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit.* Nihil Chriſto charius fuit in conſtituenda eccleſia ſua, quam iſta unitatis conglutinatio, pro qua efficacibus precibus Patrem ſuum rogavit: *Pater*, inquit (*b*), *ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: ut ſint unum ſicut & nos.* Quid amplius dici petique potuit ad perfectam concordiam, quæ ſi penitus ad exemplar per-

a.

b.

(*a*) Matth. XII. 25. (*b*) Jo. XVII. 11.

pertingere nequeat, ſumma tamen ſit, & ſupra unitatem ac conſenſum, qui in hominibus naturaque excogitari queat, utpote cujus forma ſupra omnem naturam in ipſa divinitate conſtituitur. Neque ob apoſtolos factam eſſe tantum hanc petitionem, ſed ad omnem pertinere deinceps in Chriſti fide congregandam eccleſiam aperte prodit. *Non*, inquit (*a*), *pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint.* Hæc certe oratio exaudita, in primis fidelibus reſplenduit, quorum (*b*) *erat cor unum, & anima una.* Quodſi poſtea ſæpius turbata, ac laceſſita eſt; ſemper tamen hactenus in eccleſia catholica inter primas illius notas apparuit: quemadmodum Chriſtus in laudato Joannis loco (*c*) a Patre expetiit: *ut credat mundus, quia tu me miſiſti, & ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis; ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus; ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum; & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti.* Qua ratione autem documentum mundo præbere poſſet unitas iſta, niſi exterius ſeſe pro-

(*a*) Ib. V. 20. (*b*) Act. IV. 42.
(*c*) Jo. XVII. 21.

proderet? Quod vellem, ut ſerio conſiderarent, qui his ardentibus votis, quæ apud Patrem ſuum impoſuit Chriſtus, atque pro eccleſiæ ſuæ baſi collocavit, ſtudiis ſuis obſtrepunt, pacem diſturbando, ac concordiam, factiones, & ſchiſmata aut ſeminando, aut fovendo: quod juxta D. PAULUM in corpore Chriſti eccleſia fit, quando in diverſitate membrorum æmulatio ac livor exoritur. *Nam*, inquit (*a*), *& corpus non eſt unum membrum, ſed multa.* Quænam juxta munia ſua ſint diverſa membra, toto ſermone explicat Corinthiis, apud quos primum ſchiſma tunc ortum ardebat, unoquoque eorum dicente: (*b*) *Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Chriſti.* Hoc toties hactenus vulnus recruduit, atque dilancinavit eccleſiam, quoties caput erexerunt contentiones & ſchiſmata de diviſionibus munerum, adminiſtrationum ac operationum, quæ idem operatur Spiritus, dividens ſingulis prout vult, in eum optimum finem, ut ſic conſenſio, ac harmonia in corpore Chriſti eccleſia exſurgat in ſacro præſertim miniſterio, ut idem gentium doctor tum laudata ad Corinthios epiſtola, cum etiam ad Epheſios (*c*) declara-

a.

b.

c.

(*a*) 1. Cor. XII. (*b*) 1. Cor. I. 12.
(*c*) 1. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11.

declarat, datos quosdam quidem apoſtolos, quosdam prophetas, alios autem evangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii DEI, ut ad Epheſios habet. Unde claret, qui adminiſtrationibus ejusmodi abuntur ad ſerenda ſchiſmata, unitatemque diſſipandam, eo graviore ſcelere contaminari, quod ſe ex adverſo divinis conſiliis opponant, ſeſeque diſponant ad complendum peccatum in Spiritum ſanctum, invidia perciti charitatis fraternæ, atque eorum donorum, quæ ſunt diviſiones chariſmatum Spiritus ſancti.

Humilitatis item juxta præſcriptum & exemplum Chriſti apoſtolis datum.

V. In hunc miſerrimum ſtatum ſeſe paulatim homines projiciunt, quando contra interius aſpirantem evangelicam gratiam in unctione Spiritus ſancti pectus claudunt, velificantes depravatæ naturæ affectionibus, ut jam monuimus. Quod peſſime fit, quando vitia illa in ipſis divinis operationum, adminiſtrationumque muneribus foventur: dum homines his inſtructi, inde ſeſe efferendi locum arripiunt, & de alienis donis ſuperbiendi. Adverſus quod perverſitatis genus Chriſtus Dominus tam exemplis quam præ-

præceptionibus eccleſiæ ſuæ tantopere cavendum duxit. Is in quo plenitudo Spiritus ſancti habitavit corporaliter, quique ſupremus Dominus ac Monarcha rerum exiſtens, infinita potentia & auctoritate pollens, tamen ut faſtum, ſuperbiam, & ſapientiam hujus mundi deſtrueret, in ſervi forma illis voluit factis prælucere, quæ vel minimam potentiæ oſtentationem excluderent, ſeſe in formam ipſe & exemplum, hoc unum gloriæ ſibi ducens, præſtituendo: *Diſcite*, inquit, (*a*) *a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quod ſecum perpendens S. BERNARDUS, dum in hac ipſa materia verſatur, *Quid deinde*, exclamat (*b*), *auctor & dator virtutum Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi, in quo omnis quoque plenitudo Divinitatis habitat corporaliter: nonne tamen & ipſe de humilitate, tanquam ſumma ſuæ doctrinæ, ſuarumque virtutum, gloriatus eſt?* Diſcite, *ait*, a me, *non quod ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi, ſed* quia mitis ſum, & humilis corde. In eandem ſententiam idem tractans argumentum S. GREGORIUS, ad vulnus putrefactum exurendum propius admovet manum. *Quid ergo,*

a.

b.

(*a*) Matth. XI. 29.
(*b*) De Offic. epiſc. c. V. n. 18.

a. *ergo*, inquit (*a*), *nos epiſcopi dicimus, qui honoris locum ex Redemtoris noſtri humilitate ſuſcepimus, & tamen ſuperbiam hoſtis ipſius imitamur? Ecce novimus, Creatorem noſtrum de ſuæ celſitudinis culmine, ut humano generi daret gloriam, deſcendiſſe, & nos de infimis creati, de fratrum minoratione quærimus gloriam. Humiliavit ſe uſque ad noſtrum pulverem DEUS, & in cælos os ſuum ponit, & ſuper terram lingua pertranſit pulvis humanus, & non erubeſcit: non metuit extolli homo putredo, & filius hominis vermis.* His aliisque ita explicatis ab exemplo Chriſti ad ejus doctrinam, & præcepta ſermonem convertit, quæ copioſiſſima, graviſſimaque ſunt tum generatim ad commendandam demiſſionem animi, ac humilitatem, tum ſpeciatim ad apoſtolos inſtruendos, quos principes ſuper omnem terram erat conſtituturus; at principatus genere longe ab omni faſtu ac ambitu ſæculari remoto: id quod evangeliſtæ ex Chriſti ore repetitis etiam vicibus re-

b. tulerunt. *Scitis*, ait apud Matthæum (*b*), *quia principes gentium dominantur* (κατακυριευουσιν) *eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos major fieri*

(*a*) Lib. IV. Ep. 38.
(*b*) Matth. XX. Marc. X. Luc. XX.

ri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Tum iterum ſe formam eis deſignans, pergit: *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare &c.* ſimilia MARCUS & LUCAS habent. Ubi notandum, non excludere Chriſtum ſubordinationem gubernationis inter ipſos etiam apoſtolos; ſed ei, qui major ſit, humilitatem ſuadere, ut ſit ſicut miniſter. Adhuc tum apoſtoli non ſolum non omnem illum humanæ naturæ affectum depoſuerant, quo cæteris antecellere geſtimus; verum etiam nec dum gentis ſuæ falſum iſtud exuerunt præjudicium, MESSIAM potentem hujus orbis fore monarcham, ſeſeque præ aliis in regno illius honoribus, & dignitate cumulandos: hac perſuaſione acriter inter ſe decertabant, quis inter eos futurus eſſet major, atque ſecundus a rege: quo nempe ſpectabat petitio matris filiorum ZEBEDÆI, cui tantopere indignabantur apoſtoli reliqui, novumque contendendi occaſionem arripiebant. A quibus omnibus eos revocans Chriſtus tum ſe in exemplum, parvulum autem in medium advocans, formam, quam humilitate exprimerent, præſtituit, ſimulque inſtruit, qua ratione gerere ſe debeant in commiſſo ſibi regimine ac poteſtate quidem ſumma; quæ tamen quan-

tum præſtantia antecedit omnem mundi dominatum, tantum de humilitate modeſtia, comitate eſſe debeat a mundana dominandi libidine aliena: ut qui præſunt, illis quibus ſunt præpoſiti, ſervorum inſtar ſint. *In domo DEI*, inquit S. Au-
a. GUSTINUS (*a*), *etiam qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare: nec enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia.*

Contra factum ſæcularem dominatusque politici ambitum.

VI. Hæc probe ſpectaſſe juvat, ne comparatione inſtituta inter dominatum mundanum, & eccleſiaſticum ſchema politicum in eccleſiaſtico regimine invaleſcat contra evangelicas leges, quibus regi eccleſia debet, atque juxta quas politia eccleſiaſtica effingenda, non ad formam monarchiarum temporalium, ut regnum Chriſti ſpirituale in temporale, ac carnale transformetur ſecundum principia mundi hujus, corruptæque naturæ noſtræ: Judaico more, quo, ut intelleximus, initio ipſi adhuc abducti apoſtoli, de primo in regno Chriſti loco contentiones inter ſe fovebant. A Chriſto autem edocti tum exemplo, tum præceptionibus de forma miniſterii ſui, atque Spiritum Chriſti adepti, licet miniſterium ampliſſimum resque maximas ſumma

(*a*) L. XIX. De civit. DEI c. 14.

ma auctoritate obirent, gubernarentque, non inde efferebantur, ſeſeque jactabant, dominatum in ſubditos explicantes, multo minus inter ſe ipſos. Certe is qui princeps, & caput apoſtolorum erat conſtitutus PETRUS, quid præſcribit? *Non*, inquit, *dominantes in clero, ſed forma facti gregis.* Quæ perpendens D. BERNARDUS (*a*) ſucceſſorem hujus ita alloquitur: *I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. Plane ab utroque prohiberis. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur DEUS ſic:* (*b*) Ipſi regnarunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego non cognovi. *Jam ſi regnare ſine DEO juvat, habes gloriam, ſed non apud DEUM. At ſi interdictum tenemus, audiamus edictum*: Qui major eſt veſtrum, fiat ſicut junior, & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. *Forma apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ & commendatur ipſius exemplo legislatoris.* Has igitur miniſterii ſui formas ante oculos habuere eccleſiæ principes hoc munere digni, dignitate non impares. Has etiam regulas deinceps præſcripſere, qui hanc rem tractarunt inter cæteros, præcipue

a.

b.

(*a*) De conſid. ad Eug. L. II. n. 11.
(*b*) Oſ. VIII. 4.

S. JOAN. *Chryſoſtomus*, ac GREGORIUS M. ille præprimis opere aureo *de Sacerdotio*, hic pro ampliore cura totius chriſtiani orbis ſibi commiſſa, in omnibus fere ſuis ſcriptis. S. HIERONYMUS in hanc rem egregia perſcripſit ad epiſcopum Narbonenſem de correctione, vita & converſatione epiſcopi ac clericorum: ubi poſt alia præclara monita humilitatem epiſcopo præprimis commendat. Neque tamen hinc honori, dignitati, auctoritatique muneris tanti cujusmodi eſt ſacerdotis ac rectoris eccleſiæ chriſtianæ detractum quidquam volebant: uſi in hanc rem exemplo, præcipue D. PAULI. Sic S. GREGORIUS, allatis ex apoſtolo locis, quo & honorificare ſe miniſterium apoſtolatus gentium dicit, ac ſimul ſe ut parvulum humilitate
a. ſiſtit, *Exemplum*, inquit (*a*), *proculdubio nobis ſequentibus oſtendit, ut & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis noſtri dignitatem ſervemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio ſit ſuperba.* S. BERNARDUS ex eodem gentium doctore veras gloriandi cauſas in ſacro miniſterio EUGENIO Pon-
b. tifici commendat. *Merito*, ait (*b*), *Paulus gloriatur in eo dicens:* Miniſtri Chriſti ſunt

(*a*) S. GREG. L. IV. Ep. 36. ad ANASTAS. Ep. Antioch. (*b*) De conſid. L. II. c. 6. n. 11.

ſunt & ego: *Et addit:* Ut minus ſapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. *O præclarum miniſterium! quo non id glorioſius principatu? Si gloriari oportet forma tibi ſanctorum præfigitur, apoſtolorum proponitur gloria. Parva ne illa tibi videtur? Quis mihi tribuat, ſimilem fieri in gloria ſanctorum? Clamat Propheta:* Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui DEUS, nimis confortatus eſt principatus eorum. *Clamat apoſtolus:* Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti. *Hoc glorieris opto ſemper optimo genere gloriæ, quod apoſtoli, quod Prophetæ delegere ſibi, transmiſere tibi. Agnoſce hæreditatem tuam in Chriſti cruce, in laboribus plurimis Felix qui dicere potuit:* Plus omnibus laboravi. *Gloria eſt, ſed nihil in eo inane, nil molle, nihil reſupinum.* Hæc & alia in eandem ſententiam, apud eundem, quorum intereſt, legiſſe juvabit.

VII. Non eſt vero, quod eccleſiaſticæ poteſtatis contemtores ad accidendos ſacri principatus nervos hinc extundant firmamenti. Non ideo non ſublimiſſima auctoritate pollent hierarchæ chriſtiani, quod epiſcopi nomen non dominium, ſed officium ſonet, ut laudatus loquitur S. Pater: hoc ipſum officium infinitis

Qui caveri potuerat, quin legitimæ auctoritati coercendi aliquid decederet.

modis excellit quovis ſæculi principatu, quod tam amplum laboris & curæ paſtoralis in univerſo orbe explicat campum : gloriam vero non corruptibilem ac dignitatem, quo fruuntur ad tempus dynaſtæ hujus mundi, ſed æternam ac immarceſſibilem poſt exantlatos labores habet. Illos vero, qui juſſa & auctoritatem hanc detrectant, multo acrius conſtringit ac coercet ſacer iſte principatus. Verum quidem eſt leges ſacras olim præſertim, modeſta appellatione canones tantum ſeu regulas eſſe dictas, ne quid vel in verbis mundani dominatus ſonarent ; at adjectæ cenſuræ, pœnæ, & anathemata effectu ſuo mille mortes, ac ſupplicia quævis ſuperant. Poſteaquam vero his ſpiritualibus pœnis carnales homines minus terreri cœperunt, forma quædam in eccleſiam introducta fuit judiciorum, moribus & temporibus accommodata, non penitus rejicienda, niſi etiam ipſum ſtatum inficiant, atque eccleſiaſticum ſchema cum politico confundant. Quod dudum multum conquerendi locum dedit. Ea de re commonefecit BERNARDUS EUGENIUM Papam ceu ad quem, tanquam caput eccleſiæ pertineat his malis proſpicere, non vero quibusvis hac de cauſa eccleſiæ inſultare, multo minus imperium legitimum detrecta-

trectare. Liceat vero, quid in hanc rem proloquatur S. Pater illius verbis perſcribere. *Vides*, alloquitur Pontificem (*a*), *omnem eccleſiaſticum zelum fervere ſola pro dignitate tuenda. Honori totum datur, ſanctitati nihil aut parum. Si cauſa requirente paulo ſubmiſſius agere, ac ſocialius te habere tentaveris ; abſit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, majeſtati non convenit, quam geras perſonam attendito. De placito DEI ultima mentio eſt ; pro jactura ſalutis nulla cunctatio, niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare ducamus: & quod gloriam redolet, id juſtum. Ita omne humile probro ducitur inter palatinos, ut facilius qui eſſe, quam qui apparere humilis velit invenias.* Non ergo in hierarchas faſtus culpa ſemper eſt rejicienda, quibus, etſi intus humiles ſint, foris tamen apparere non ſemper videtur tutum ob deſpectum, & contemtum auctoritatis. Olim autem non erat ſic : quando & paſtores, & fideles ſubditi regulis evangelicarum virtutum imbuebantur, regebanturque, ut quo humilior erat præcipientis ſuaviorque oratio, eo promtior eſſet obtemperandi voluntas. In ipſa etiam paſtorum ſubordinatione ordo pulcherrime ſtabat, dum honore ſe invicem præſules præveniunt, in commune utilitati- a.

(*a*) S. Bern. L. IV. De conſid. c. 2. n. 5.

bus ecclesiæ consulentes, non principatum ostentantes: inauditæ diu erant, de qua nunc scholæ personant, de statu ac regimine ecclesiastico an monarchicus, oligarchicus, aristocraticus, quæstiones: nihilominus eadem ecclesiastica potestas multo etiam gravius exercebatur. Quis D. GREGORIO humilior? Is ita erga collegas præsertim episcopos noverat curæ pastoralis suæ officia implere, ut tamen ab omni dominatu videretur alienus. Erga episcopum Alexandrinum procul jubentis auctoritatem a se removebat, ut tamen gravissime quod secundum ecclesiæ leges vellet, imperaret.
a. *Mihi*, ad laudatum episcopum scribit (*a*), *loquitur dicens, sicut jussistis, quod verbum jussionis, peto a meo auditu removete; quia scio quis sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis: moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi.* Et tamen quæ tunc volebat, cum excommunicationis comminatione urgebat: nimirum ambitionem in auctoritate exercenda, non ipsam potestatem repudians. Quod dum non satis attenditur, sensim sine sensu cum verborum fastu etiam ipsum irrepit vitium in ista naturæ lubricitate. Neque in hac re ita sibi cavit posterior ecclesiæ ætas, ac doctorum

(*a*) L. VII. ep. 30.

rum ſtudia contentioque, ſexcentis in medium adductis quæſtionibus, ejusmodi notionibus implicatis, quæ ad ſtatum politicum magis, quam formam evangelicam quadrant. Quæ dum æſtu diſputationis ſtudiisque partium agitantur, contentiones, æmulationes, detractiones, ſchiſmata in eccleſiam intulerunt. *Conſurgit*, ſunt GERSONIS verba harum rerum & gnari & participis (*a*), *ex adverſo blandiens & ſubdola* 2.
adulatio, & ad aures eccleſiaſticorum, præcipue ſummi Pontificis inſuſurrans: O quanta eſt, quanta ſublimitas eccleſiaſticæ poteſtatis tuæ! O ſacer clere, quam nihil eſt ſæcularis auctoritas tuæ comparata! Quoniam ſicut Chriſto collata eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, ſic eam Chriſtus omnem Petro ſuisque ſucceſſoribus dereliquit. Unde & nec Conſtantinus quicquam Silveſtro Papæ contulit, quod non eſſet prius ſuum, ſed reddidit injuſte detentum. Porro ſicut non eſt poteſtas niſi a DEO, ſic nec aliqua temporalis vel eccleſiaſtica, imperialis vel regalis niſi a Papa; in cujus femore ſcripſit Chriſtus: Rex regum, & Dominus dominantium. *De cujus poteſtate diſputare inſtar ſacrilegii eſt: cui neque quisquam dicere poteſt: Cur ita facis? Si etiam temporalia omnia, ſi eccleſiaſtica bona, atque dominia*

(*a*) De poteſt. eccl. conſ. 12.

mutaverit, diripuerit, diſtraxerit. Mentior, ſi non inveniuntur hæc ſcripta, ab illis etiam, qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, ſi præterea non inveniuntur fuiſſe, per aliquos ſummos Pontifices hæc credita.

Id quod non ſemper obſervatum fuiſſe male eccleſiam habuit

VIII. An hæc omnia ita ſe habeant penes auctorem ſit fides, hæc ita aſſeverate ajentis. Tametſi enim GERSON Pontificiis partibus videatur iniquior fuiſſe, peregrinus tamen omnino ſit in poſterioris ævi hiſtoria ac jurisprudentia, qui tam opinionibus, quam etiam factis nihil ejusmodi accidiſſe inficietur. Quæ mala inde eccleſiæ illata ſint, vel GERSONIS ævo magnum ſchiſma declarat, ut ſuo loco oſtendemus, quando dubii illi Pontifices, toties datam etiam juramento, fefellerunt fidem. Nec defuerunt doctores, quorum auctoritate ſeſe tuerentur, & in varios exceſſus poteſtatis ſuæ prorumperent, principiis illis innixi, quibus tunc involuta tractabatur de regimine eccleſiaſtico materia, juxta politicum monarchici ſtatus ſchema potius quam normam evangelii. Ex quo accidit, ut accedente naturæ vitio, factionumque contentioſitatibus ſæpe ſibi plus aſſumſerint, alii ad aſſeverandum, alii ad perpetrandum, quam æquum rectumque eſſet, eccleſia jam ad ſolum occidentem redacta, quem totum ſibi Romana

mana eccleſia, non ſolum jure primatus, ſed etiam patriarchatus obnoxium tenebat, atque conſtanti obſequio addictum; optimo quidem jure, & inſigni ſuo bono, niſi, ut fieri ſolet, malum contentionum, ambitus, ac præprimis adulationis ac ſtudii partium, magnam partem fructus tam arctæ devotionis corrupiſſet, curſu proſperitatis eccleſiæ haud parum impedito, illis ipſis rebus, quibus proſpiciendi conſilium fuit, explicando, ampliandoque poteſtatis fimbrias. Cardinales illi, aliique doctores, a PAULO III. delecti ad conſilia, de malis eccleſiæ Romanæ tollendis, capienda, hanc malorum ſentinam Pontifici mox initio conſultationis ſuæ aperiunt, imo ſatis Pontifici agnitam declarant. *Nonnulli*, ajunt, *Pontifices, tui prædeceſſores, prurientes auribus, ut inquit apoſtolus Paulus, coacervaverunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quid facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum eſt, præterquam quod principatum omnem ſequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque ſemper fuit aditus veritatis ad aures principum, quod confeſtim prodirent doctores, qui docerent, Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium &c. Ita, quod voluntas Pontificis, qualiscunque ea*

fue-

fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur; ex quo proculdubio efficitur, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, ſancte Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in eccleſiam DEI tot abuſus & tam graviſſimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem fere ſalutis laboraſſe, & manaſſe harum rerum famam ad infideles uſque. Facile hinc patet, quam mali conſultores illi ſint, atque domeſtici inimici, qui aſſentandi ſtudio nihil quam potentiæ auctoritatisque amplitudinem jactant, inculcantque, quibus animus ad audenda quævis pro dominandi libidine impellatur. Alios longe conſultores EUGENIO ſuo ſuaſit S. BERNARDUS (*a*), aliudque ſuggeſſit ipſe conſilium. *Nullum*, ait, *tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi. Certe ut multum tibi tribuas, ſi multum deceptus non es, nil te exiſtimas plus accepiſſe a magnis apoſtolis. Recordare nunc vocis illius:* Sapientibus & inſipientibus debitor ſum. *Etſi non indebitam tibi ipſam cenſes, hoc quoque ſimul momento debitoris moleſtum nomen ſervienti potius, quam dominanti congruere.* Ita ſane ſe gerunt Pontifices, memores vocis illius, quo ſe *ſervos ſervorum DEI* ubique profitentur. Haud vero audien-

a.

di

(*a*) De Conſid. L. III. c. I. n. 2.

di ſunt, qui jugi omnis ac diſciplinæ impatientes, ipſi potius ea cupiditate atque ambitione turgent, cujus ſummos accuſant eccleſiæ principes, quando pro temporum ac morum ratione diſtringunt auctoritatis ſuæ habenas, regente eos DEI Spiritu juxta promiſſionem divinam, atque omnia pro utilitatibus neceſſitatibusque moderante. Neque quisquam ſibi, privatus præſertim, ſumere audeat, cenſura ſua, acta perſtringere ſucceſſorum PETRI non minus quam fidei illius conſtantiæ, & in gubernanda eccleſia fidelitatis: non quod nullis omnino peccatis, lapſibusque ſint obnoxii, ſed nulli fidei aut officii paſtoralis deficientiæ: aliter animatos ENNODII Ticinenſis verbis reprimamus (*a*). *Faceſſat, qui in vobis eſt, pruritus iſte linguarum. Non nos B. Petrum, ſicut dicitis, a Domino cum ſedis privilegiis vel ſucceſſores ejus, peccandi licentiam ſuſcepiſſe volumus. Ille perennem meritorum dotem, cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros. Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ a loci deceſſore præſtantur.* a.

Aut

(*a*) In Apologetico.

Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur illuſtrat. Præneſcit enim quid eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quem ipſa moles innititur.

Nec obſiſti ſemper aut mederi licuit malis inde ortis quam percuperent præſertim Roman. Pont.

IX. Ita ſane nos cogitare ac loqui non ſolum reverentia cogit, verum etiam divinæ providentiæ rationes adigunt, ſecundum quas dubitare non licet, eam ſedem, ad quam propter majorem principalitatem cæteras concurrere oportet, cuique nullum humanum amplius eſt judicium, ſingulari regi cura, etſi non impeccantia, ac omnis lapſus impunitas ſedis illius adeſſe præſulibus juxta naturæ noſtræ proclivitatem in tanta auctoritatis eminentia dicatur: cui dum ſtudia hominum obnoxiorum nimis deferunt, negotiorum moles fatigat, conſultorum diverſitas diſtrahit, pronum eſt humani aliquid intercedere, atque quidquam conſilii operisque admitti poſtea pœnitendi. Ipſi Pontifices hæc dici haud ægre ferent, qui quam etiam pro rei gravitate ſolliciti fuiſſe comperiuntur, tamen non omne malum radicitus evellere potuerunt pro temporum iniquitate. Id certe conſilii fuit PAULO III. dum GASPARI Card. Contareno, Jo. PETRO, Card. Theatino, qui poſtea PAULUS IV. P. JACOBO Card. Sadoleto, REGINALDO Polo, FREDERICO archiep. Soleri-

leritano, HIERONYMO, archiep. Brunduſino, *Joh. Matt.* GIBERTO epiſc. Veronenſi, *Greg.* CORTESIO Abb. S. GEORGII Ven. *Fr.* THOMÆ Mag. Sac. Pal. demandavit, *ut nullius aut commodi ſui, aut cujuspiam alterius habita ratione, ſibi ſignificarent abuſus illos, graviſſimos videlicet morbos, qua pridem eccleſia DEI laboraret, ac præſertim Romana curia.* Ex quorum conſultis nos paulo ante quædam decerpſimus eo conſilio, ut pateat ſtudium Pontificum malis eccleſiæ medendi: cujus rei gratia ejusmodi conſilia inire ſoleant, quæ eorum ſollicitam curam ſatis indicent, dum tempora non ſemper ferunt mala quævis ejusmodi radicitus evellere, quando altas nimium radices egerunt. Neque enim in poteſtate ſemper eſt mala penitus tollere, dum in hoc corpore ſumus: quod ſtudio pertinaci quis in ſe demum ad opprimendas naturæ vitioſitates perficit, non pariter in integris civilibus corporibus ex copioſo hominum numero compoſitis efficitur. Quid jam de pontificia cura imaginari nos decet, cui totius chriſtiani orbis opus incumbit: ipſaque curia ampliſſimum corpus conficit, cui dum onera ſua pontifex neceſſario partitur, mala inde provenientia in pontificis culpam non ſunt referenda. Hæc perpendens D. BER-

NAR-

8. NARDUS (*a*), *An non*, exclamat, *limina apoſtolorum plus jam ambitio, quam devotio terit? An non vocibus ejus veſtrum tota die reſultat palatium? An non quæſtibus ejus tota legum canonumque diſciplina inſudat? An non ſpoliis ejus omnis Italica inbiat inexplebili aviditate rapacitas? Quid ita, imo quid aliud tua ipſius ſpiritualia ſtudia non ſaltem intercidit, ſed abſcidit? Quoties ſancta ac fœcunda tua abortivi otia fecit inquietum, & inquietans malum?* Hæc conſideraſſe juvaret lividos, illos, canino ore ac dente in Romanam debachantes ſedem: qui in malam partem, ipſorumque Pontificum ignominiam omnia vertunt contra jus fasque, quippe quibus etſi cordi quam maxime etiam ſit, torrentem malorum ſiſtere, id neque in ſua ſemper prævalent curia. Quid apertius illa ADRIANI VI. profeſſione, quid ardentius votis, quibus nuncium ſuum *Franciſcum* CHEREGATUM oneravit, ut imperii Romani proceribus in diæta Noribergenſi congregatis depromeret, ubi & quando opportunum fuerit. *Scimus*, inter alia habet, *in hac ſancta ſede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe: abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata. Nec mirum ſi ægritudo a capite in membra, a ſum-*

(*a*) De conſid. L. III. c. 1 n. 5

ſummis Pontificibus in alios inferiores prælatos deſcenderit. Omnes nos, id eſt, prælati eccleſiaſtici declinavimus unusquisque in vias ſuas, nec fuit jam diu, qui faceret bonum; non fuit uſque ad unum; quamobrem neceſſe eſt, ut omnes demus gloriam DEO, & humiliemus animas noſtras ei: videat unusquisque noſtrum, unde ceciderit: & ſe potius quilibet judicet, quam a DEO in virga furoris ſui judicari velit. Qua in re quoad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum curia hæc unde forte omne hoc malum proceſſit, reformetur: ut ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem ſanitas, & reformatio omnium emanet. En veras PETRI lacrymas, zelum apoſtolicum, evangelica plane conſilia, cui ſi reliquus ordo eccleſiaſticus Romano-Catholicus ex æquo conſpiraſſet, non fruſtra diu laboratum fuiſſet, vigoremque evangelicum hierarchiæ reſtitutum citius gaudere tunc potuiſſet eccleſia.

X. At ea tum præceſſerant tempora, quando hæc dictavit ADRIANUS (longiori pontificatu digniſſimus, atque eccleſiæ longe utiliſſimus) quibus eccleſiaſticus etiam ordo ſuis diſſenſionibus optatam omnibus reformationem impedierat, novisque indies malis eccleſiam cumularat. Adhuc memoria obverſabantur JULII II. tempo-

Eorum malorum fons & origo exemplis præſertim poſteriorum temporum elucet.

tempora, ubi ſciſſa fuit in ſe ipſa Romana curia, adverſus Pontificem ſeſe erexerunt Cardinales, quorum dignitatem mirum in modum amplificantes Pontifices, eos etiam ſibi inhiare tunc experti
a. ſunt, ut potuerint dicere Isajæ illud (*a*): *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi vero con-*
b. *temnentes ſpreverunt me.* Tum aliud (*b*): *Ingraſſatus, impinguatus, dilatatus eſt dilectus, recalcitravit retro.* Videri potuiſſet, optimum ſanctiſſimumque eſſe eorum reformandi in capite & membris conſilium, quo inducti concilium Piſis indixerant. Obſtrinxerat ſeſe Julius, cum de ejus electione ageretur in conclavi, ante papatum & poſt, promiſit, juravit ac vovit infra biennium celebrare concilium, deinde bellorum motus cauſatus, de eo convocando ſuperſedit. Igitur Cardinales ſui muneris ſunt rati, ſupplere Pontificis negligentiam: ipſi invito Julio concilium congregarunt Piſis, atque ad illud non ſolum Pontificem evocarunt primum obteſtando, tum etiam juridice citando termino peremtorio, niſi ſtatuto tempore locum tutum extra urbem ipſe deſignaret: Roma enim ſuſpecta ipſis erat, ob Pontificis violentiam atque armorum ſtrepitum, quoad diſturbandum Cardinalium conſilium Julius concilium duo-

(*a*) Is. I. 2. (*b*) Deut. XXXII. 15.

duobus atque amplius menſibus poſt ſynodi Piſanæ indictionem convocarat. Monetur Papa, ut intra vigenti quatuor dies revocet attentata contra ſacrum Piſanum concilium, ut habent hujus concilii acta, quæ præ manibus habemus, accuſatur contumaciæ ſecundum juris formulas, ſuſpenditur ab omni tam in ſpiritualibus quam temporalibus papali adminiſtratione, ipſaque adminiſtratio ad ſynodum ipſo jure devoluta declaratur: minatur etiam ſynodus *ſe proceſſuram tandem ad ulteriora uſque ad finalem ſententiam incluſive, ſi opus fuerit*, verba ſunt ſynodi, *prout utilitati, & neceſſitati eccleſiæ Spiritu ſancto dictante conſpexerit expedire.* Contra vero JULIUS in ſynodo Lateranenſi Cardinales, qui Roma abſceſſerant & Piſanam ſynodum convocarant, prima ſtatim ſeſſione diris devovet, comparando LUCIFERO, DATHAN, CHORE, & ABIRON, DIOSCORO, ACACIO atque aliis ſchiſmaticis, aut hæreticis. Regnum hoc ita in ſe diviſum ruinam minitatum poterat videri, niſi fulcitum divina providentia ſtetiſſet, reſtituta unione, atque conſociatione cum capite, qua una ſalva conſiſtit eccleſiæ ſalus. Ipſaque docuit experientia nihil profeciſſe ſaluberrima etiam de reformatione eccleſiæ in capite & membris conſilia cœpta a Cardinalibus,

eoquod deſpotica potius auctoritatis politicæ ac dominatus iniretur via, ac ratio, factionibus potius indulgendo, ac ſchiſmati quam paci concedendo, ac communioni, utilitatique eccleſiæ: quod tam proſpero ſucceſſu prioribus eccleſiæ temporibus factum, dum mutuo conſenſu in celebrationem conciliorum, quibus communi conſilio eccleſiæ proſpiceretur, conſpiratum fuit: antequam odioſæ, de limitibus poteſtatis eccleſiaſticæ, prærogativa jurisdicendi contentiones emergerent ſecundum ambitum ſæcularem, poſt habitis evangelicis regulis, atque forma eccleſiæ ceu unius Chriſti corporis, ut nec caput officia ſua detrectet, membra ſeſe capiti ſubducant ac ſubdi
a. renuant (*a*), *ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra.* Quam in rem tanta inter ſe fiducia olim tenebantur, ut ſi quid actum ex parte in conciliis eſſet, haud dubie cum ſpiritali gaudio recipiendum, invicem communicarent. Sic patres Cpolitani confiſi ad DAMASUM, & qui cum eo
b. erant epiſcopos perſcribunt (*b*): *Secum collætentur intercedente ſpirituali charitate, ut cum verbum DEI communi ſenſu ſtabilitum, & chriſtiana inter nos charitas confirma-*

(*a*) 1. Cor. XII. 25.
(*b*) Apud THEODOR. Hiſt. L. V. c. 9.

firmata fuerit, dicere diſinamus: Ego quidem ſum Apollo, ego autem Cephæ. *Atque omnes cum ſimus Chriſti, qui in nobis non eſt diviſus, corpus eccleſiæ DEI largiente gratia integrum conſervabimus, & ad tribunal Domini fidenti animo nosmet ſiſtemus.* Etiam in antiquitate habentur exempla, quibus commiſſæ ſint inter ſe eccleſiæ, ſed rariora. De illis ſolum loquor, quæ non zelo religionis, ſed vitio naturæ depravatæ per ambitionem atque nimiam poteſtatis explicationem accidere proclive ſemper magis ac magis fuit, quo ſublimiorem in fortunam eccleſia fuit evecta. SOCRATES ſcribit (*a*), jam ſuo tempore epiſcopatum Romanum atque Alexandrinum quaſi extra ſacerdotii fines egreſſos ad ſæcularem principatum delapſos fuiſſe. S. etiam BASILIUS (*b*) occidentalium ſupercilium ac faſtum notavit: ſed diſtantia ac diverſitas locorum, morum, ac linguæ fomentum dare tunc facile potuerunt: ut certe eo loci indicat S. Pater. *Ego*, inquit, *ſane ipſe absque communi litterarum figura volebam ad eorum anteſignanum ſcribere. De eccleſiaſticis quidem nihil niſi per ænigmata, quoniam nec intelligunt noſtratium veritatem, neque viam, qua poſſunt addiſcere amplectuntur: in univerſum hoc litteris volebam ſignificare,*

a.

b.

(*a*) Lib. VII. c. 11. hiſtoriæ. (*b*) Epiſt. X.

non per afflictiones oppreſſis humiliatisque pœnam eſſe irrogandam : neque dignitatem æſtimandam ſuperbiam : quod etiam ſolum peccatum DEUM inimicum reddere ſufficit. Nolim hic diſcutere, qua cauſæ æquitate ita ſcribat S. BASILIUS. Id eluceſcit nihil ſe humani alienum exiſtimaſſe ab ordine etiam eccleſiaſtico, quando acquieſcit naturæ depravatæ affectionibus : atque ejusmodi vitioſitatem in occidentalibus notaſſe orientales ex aliis monumentis antiquitatis, compluribus etiam epiſtolis S. BASILII patet. Sed quod ipſi inter ſe occidentales olim ejusmodi foverint ſimultates, haud reperitur. Totus occidens Romanæ ſedi ſumma addictus erat devotione, donec penitus abſciſſus eſt ab eccleſia oriens, atque in diſceptationem adducta poteſtatis præeminentia (quatenus diſtinctum ſpectatur a reliquo corpore caput, contra eccleſiaſtici corporis rationem, quod unum eſt) neceſſe fuit ad hæc mala pervenire: dum eodem modo hierarchia eccleſiaſtica ac dominatio politica conſideratur, contendentibus etiam de ſupremo imperio partibus.

Mala exaſperantibus contentionibus de compe-

XI. Hæc autem tum ſententiarum, cum factionum diſcordia periculoſior fieri debuit, quod non in ſcholarum conflictu perſiſteret, ſed ad eccleſiæ tribunal, ut infra videbimus, revocaretur, quo neceſ-

neceſſe fuit ordinem eccleſiaſticum inter ſe committi, ac caput cum reliquo corpore conflictari. Dum nempe duæ partes de jure ſuperiore diſceptantes introducuntur contra Chriſti inſtitutionem, ſecundum profanas, & civiles litigantium rationes: dumque quælibet ſibi ſupremam arrogat in alteram auctoritatem, quid inde ſequi debuerit, eventus edocuit. Hæc pars mutua in conciliis conſilia abhorrebat ſibi adverſa, ac ceu juri derogantia; altera contra nimium etiam urgebat, & tuebatur, exercebatque non ſolum invito capite, ſed etiam contra illud. Olim difficillime ſecundas partes Romana tandem Cpolitanæ eccleſiæ ceſſit, æquales autem tam præfracte negavit, ut potius perpetuum diſcidium, atque a communione eccleſiæ excidium tulerit, ne capitis unitate laceſſita, eccleſiæ unitas labaſceret. *Niſi forte*, ut loquitur GELASIUS (*a*), *confuſo jam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec ſecunda, nec tertia ſedes debeat obſervari, vel ſuſcipi ſecundum antiqua ſtatuta majorum, & ſublato capite, ut videmus omnia membra vario inter ſe compugnent certamine: fiatque illud, quod de populo ſcriptum eſt Iſrael:* In illo tem- tente judice ſupremo &c. a.

(*a*) Tract. a SIRMONDO in append. Cod. Theodoſ. ed. p. 182.

pore non erat dux in Iſrael; unusquisque, quod placitum erat in oculis ſuis, faciebat. *Qua enim ratione vel conſequentia aliis ſedibus defendendum eſt, ſi primæ beatiſſimi Petri ſedi antiqua & vetuſta reverentia non defertur, per quam ſemper eſt roborata, atque firmata.* His ſanctiſſimis rationibus ſuam in eccleſia eminentiam tuebantur Pontifices contra alias ſedes, procul ab omni faſtus, aut dominatus ſuſpicione. Poſteaquam vero jam nulla ſedes æmula (oriente ab eccleſia ſciſſo, ubi fuerant patriarchales reliquæ) æmulatio ambitusque obrepſit inter concilia, quæ olim fuerant arctiſſimum conſociationis eccleſiaſticæ vinculum. Hinc ea impediendi, transferendi, diſſolvendique abſoluta Papæ poteſtas aſſerebatur; illinc exiſtimabatur eſſe non ſolum non obediendi impunitatem, ſed etiam auctoritatem vocandi, judicandi, deponendi quamque perſonam, etiamſi papalis auctoritatis exiſtat. Convocabantur, diſſolvebanturque. Ex una parte non parebatur, ex altera putabat ſe caput in corpus, corpus in caput abſoluta pollere poteſtate, nec unum in alterius compage demum conſiſtere, atque mutuis operis indigere, nec illud a- a. poſtolicum perpendebatur; (a) *Si totum cor-*

(a) 1. Cor. XII. 17. &c.

corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem poſuit DEUS membra unumquodque eorum in corpore ſicut voluit. Quodſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui: opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: non eſtis mihi neceſſarii. Hanc corporis eccleſiaſtici œconomiam non facile quis conciliet, cum illis, quæ facta ſunt poſt Conſtantienſe concilium vi decretorum IV. & V. ſeſſionis, nec non cap. *Frequens.* Præſertim durante Baſileenſi concilio, quod primum a ſummis Pontificibus primum MARTINO V. ac poſtea EUGENIO IV. indictum, ſed iterum diſſolutum, eoquod ipſo ſtatim introitu ſuam in Pontificem poteſtatem ſtatueret, caveretque decreto, ne Papa poſſit ullo modo ſynodum, aut perſonas ſynodo adhærentes alio traducere, cenſuris afficere &c. & ſi attentarit, hoc nullum, atque irritum eſſe. Pontifex vero ad JULIANI Card. S. Ang. præſidis ſui preces ac rationes induci haud potuit, ut a cœpto diſſolutionis conſilio deſiſteret, obtendens negotium conciliandi eccleſiæ Græcos; at non potuit flectere Patrum animos, qui EUGENIO etiam trimeſtris terminum præſcripſerunt, quo ſe cum Cardinalibus ad concilium conferat;

ſuumque contra Papæ concilium unicum generale decreverunt, cui nihil præjudicare queat Pontifex. Obſecrant, monent, interpellant, citant, & ex parte DEI omnipotentis ultimo ac peremtorie ei mandant, ac præcipiunt, ut intra ſexaginta dies, a die hujus ſeſſionis numerandos, notum faciat ſynodo, ſe revocaſſe diſſolutionem ac translationem concilii a ſe tentatam: idque niſi fecerit virtute DEI omnipotentis EUGENIUM tanquam manifeſte contumacem, & notorie, atque incorrigibiliter ſcandalizantem eccleſiam ipſo facto ab omni adminiſtratione papali tam in ſpiritualibus, quam temporalibus ſuſpendunt. Quare tandem veritus EUGENIUS, id quod poſtea contigit, revocavit, quæ contra ſynodum egerat, continuarique paſſus eſt uſque ad an. 1437. Quando iterum ad ingenium rediit, Græcorum prætextu Ferrariam primum transferendo concilium; quamobrem demum hæreticus declaratus, depoſitusque eſt, in ejus locum ſuffecto FELICE V. quod contra ſynodum egiſſet, articulumque fidei de eccleſia violaſſet.

Quæ etiam ſaluberrima conſilia pervertebant.

XII. En abſolutæ poteſtatis juxta typhum ac typum ſæcularem in eccleſiam ſeſe inſinuantis formam, contra inſtitutionem, ac finem hierarchiæ, voluntatem

tem exemplumque Chriſti, apoſtolorum, veteris eccleſiæ, ac principia evangelica, quæ dum aliquamdiu eccleſiam intus vexavit, in apertum ſchiſma tandem prorumpere neceſſum fuit. Quid enim aliud exſpectari potuit, quam regni in ſe diviſi deſolatio? Ea, quod non penitus eccleſiam peſſumdederit, divinæ providentiæ in acceptis eſt referendum, quæ non eodem modo curſum malorum, quam vanarum perſuaſionum opinationumque ſerpere eſt paſſa. Occurritque eccleſiæ ſuæ contra portas inferi, contra decumanos tumidorum hominum fluctus, contra turgidos turbulentorum ſpirituum ventos: memor promiſſionum ſuarum, atque contuens rectam ſemper eccleſiæ ſuæ intentionem, licet perverſis conſiliis diſtractam. Fidelis Chriſti ſponſa inter medias has fluctuationes purum ſuæ unitatis conſervandæ votum retinuit, atque totis conatibus obtinere eſt anniſa, quo etiam poſt horrendas quaſſationes tandem iterum ad ſe rediit, atque in unitatem ſemper exoptatam, licet non ſemper opportunis remediis expetitam, eſt reſtituta. Quo ſplendidius relucent radii divinitatis in operibus providentiæ circa eccleſiam ſuam, cui nunquam poſſint perverſa hominum molimina obſiſtere, quin intentum finem eo glo-

glorioſius, quo humana exiſtimatione inſperatius, conſequatur in eccleſia ſua. Cave unquam exiſtimes eccleſiam a præſtitutis ſibi exceſſiſſe finibus, ſemper ea caſtiſſimam habuit ſeſe integram ſponſo Chriſto conſervandi voluntatem difficillimis etiam illis temporibus. Ex una parte ſpes arridebat reducendi Græcos ad gremium unitatemque eccleſiæ; ex altera votum erat Bohemos cum eccleſia conciliandi: utrinque vero timor pulſabat ac ſuſpicio, ne alterutrum bonorum amitteretur, ſi ad hanc vel illam deflecteretur partem. Sane cauſæ ſpernendæ non fuerunt, quibus flectere EUGENII animum conatus eſt Cardinalis S. ANGELI, ut ex longa ipſius perſpici datur epiſtola ad Pontificem perſcripta: *Periculum videlicet*, ſunt ipſius epiſtolæ verba, *everſionis fidei ac ſtatus eccleſiaſtici, & ſubtractionis obedientiæ a ſede apoſtolica in his partibus: denigratio quoque famæ ipſius Pontificis: In concilio unica ſpes defenſionis fidei, & eccleſiæ quoad hæreſin Bohemorum conſiſtere videbatur. Ingens offenſio ac ſcandalum ſola fama diſſolutionis concitabat, ut rei eventus maxime formidandus eſſet, ne hæretici, qui erant vocati ad concilium, inde locum arriperent propter hujusmodi fugam doctrinam catholicam ut falſam traducendi, quam catholici defendere deſperent.*

vent. Tum etiam ordo eccleſiaſticus reformationem tam ardenter expeditam ſubterfugere judicaretur, quaſi vellet in ſuis deformitatibus ſordeſcere. Præſertim quoad caput ipſum ſummum Pontificem in totum odium, culpa, & ignominia transferretur ut cauſam & auctorem malorum cum evidenti periculo ſchiſmatis, eoquod nunquam Patres conſenſuri ſint nec prorogationi, nec translationi concilii, dictitantes, quod procurare talia, eſt impedire exſtirpationem hæreſeum, reformationem morum, & quietem populi chriſtiani: & conſequenter fovere hæreſes, peccata, guerras & odia. Addit non videri Patribus propter Græcos omittendum concilium tam ſolemniter conſtitutum, qui abſurdum arbitrentur, quod propter incertam reductionem Græcorum debeat permitti quod Germania nunc & ſemper fidelis labatur in hæreſim Bohemorum. Hæc aliaque cum magno pondere Pontifici depromebat Cardinalis. Occurrere etiam conabatur ſuſpicioni Pontificis de diminuenda per concilium legitima ſua poteſtate. *Forſitan*, ait, *quod præjudicetur auctoritati ſummi Pontificis in aliquibus non puto aliquem debere conſentire contra canonicas ſanctiones, decretaque ſanctorum Patrum: nec Spiritus ſanctus illud permittet.* Et poſtea: *Puto, quod etiam ſi haberent malum animum*

mum mutarent illum: & non ſolum ſtudebunt conſervare auctoritatem ſedis apoſtolicæ, ſed augere: quia tanto utilius eſt membris, quanto caput eſt potentius, ac fortius, ut major virtus diffundatur in membra. Hæc ille, quibus an permoveri potuerit ſapienter aut debuerit Pontifex non is ſum ego, qui dijudicem. Hodie multa latere nos poſſunt, quæ tunc perſpecta Pontifici atque ob oculos verſata, eum concepti ſemel propoſiti tenacem reddiderunt. Id ſolum, quod eſt inſtituti argumenti ego proſequor. Patres Baſileenſes præjudicando auctoritati pontificiæ, atque auctorando opinionem, quæ ſchiſmatibus deinceps portam aperire potuiſſet, quæve unitati, qua membra eccleſiæ vicario Chriſti capiti ſucceſſori PETRI Romano Pontifici addicti ſint oportet, adverſa eſſet, haud immerito ſuſpecti eſſe potuerunt EUGENIO, ne quid amplius ſibi arrogarent, ut poſtea eventus docuit, dum principiis ſuis atque decretis initio præſtitutis inhærentes ſchiſma induxerunt. Quod etſi forte in eo conventu non accidiſſet, EUGENIO Pontifice ad vota eorum vivente, deinceps ob decreta huc ſuapte natura inducentia adhuc magis corroborata periculum ſemper præſens fuiſſet. Qua de re, deinceps accuratius pertractanda, quid-

quid

quid ſit, cum nulla juxta D. Augustinum ſit juſta faciendi ſchiſmatis cauſa, nullo modo huc induci ſe paſſi fuiſſent, ſi ipſi per ſeſe ſine communione cum capite concilium œcumenicum conflaſſent, cui infallibilis Spiritus ſancti aſſiſtentia adeſt.

CAPUT II.

Divina providentia ſecundum conſtitutam in eccleſia regiminis formam communioni poteſtatis eccleſiaſticæ proſpicit, ac invigilat.

I.

Igitur nihil prius aut antiquius Chriſto in inſtituenda eccleſia fuit concordia, & unitate, ut eam non ſolum primariam notam, & characterem collocarit, verum ei etiam omnem poteſtatem adſtrinxerit eccleſiæ relictam. Hanc autem unitatem ita provide, & pulchre ordinavit, ut, ab uno incipiens, conſenſione omnium partium conſpiraret. Neque ferenda eſt *Ed.* Richerii doctrina, quam ille tamen omnium antiquorum doctorum eccleſiæ, ac ſcholæ Pariſienſis eſſe vult, Chriſtum fundando eccleſiam, prius, immediatius, atque eſſentialius claves, ſeu juris-

Chriſtus eccleſiæ poteſtatem legitimam non in communitate fidelium ſed ſummis eccleſiæ principibus repoſuit.

jurisdictionem toti dediſſe eccleſiæ, quam PETRO: ſeu quod eodem, ſecundum
a. RICHERIUM (*a*) redit, claves toti contuliſſe eccleſiæ, ut per unum miniſterialiter exercerentur. *Quandoquidem*, verba illius recito, *tota jurisdictio eccleſiaſtica primario, proprie, ac eſſentialiter eccleſiæ convenit: Romano autem Pontifici, atque aliis epiſcopis, inſtrumentaliter miniſterialiter, & quoad executionem tantum, ſicut facultas videndi oculo.* Nemo non videt hoc ſemel principio poſito, non ſolum ſingularem PETRI ejusque ſucceſſorum prærogativam, quam præ reliquis apoſtolis, ac ſuccedente eis collegio epiſcoporum ſunt conſecuti, ſuccidi; verum etiam hierarchiæ ſacræ jura & poteſtatem funditus everti, primario
b. eam in communitate fidelium collocando. Verum eſt, eum alio loco (*b*) eccleſiam ſacerdotalem vocare, cui Dominus immediate claves cum ſacerdotio ſuo contulerit, quæque immediate & ſeipſa auctoritatem a Chriſto habeat. At ludit ſolummodo: neque enim per eccleſiam ſacerdotalem eos tantum intelligit, qui ordine hierarchico cenſentur, ſed totam eccleſiæ communitatem: quod, ut ſtatim addit, ſacerdotium Chriſti ecclecle-

(*a*) Lib. de eccl. & polit. poteſtate. n. L.
(*b*) Hiſt. conc. gen. T. II. P. I. c. 3. n. 6.

cleſiæ in commune creditum ſit, velut cauſa efficiens poteſtatis clavium, & jurisdictionis eccleſiaſticæ. Quod commentum ſuum, ut poſſet tueri, ſubtiliter diſtinguendum duxit inter ſtatum eccleſiæ, & regimen. Statum eſſe monarchicum conceſſit, tum ad unitatem atque ordinem vindicandum, cum ad executionem canonum, quam ſolam Romano Pontifici, ut capiti miniſteriali conceſſit. Regimen vero voluit eſſe ariſtocraticum, *propter ſolidam*, ut ipſe ait (a), *providentiam, efficax conſilium & conſtitutiones eorundem canonum.* Quamvis in hoc ſibi non plane conſentiat: ſi enim data eſt poteſtas eccleſiaſtica primario, proprie ac eſſentialiter eccleſiæ, tam epiſcopis autem, quam Pontifici miniſterialiter tantum, negare æque debuit regimen eſſe ariſtocraticum, ac monarchicum, & ſtatuere prorſus democratiam: cum eodem modo epiſcopi ac Pontifex miniſterium clavium ab eccleſia accipiant in ſyſtemate RICHERII: nec jam rationem ex principiis etiam propriis, utut falſis, habet, cur Pontificem concilio ſubjiciat, cum æquali jure miniſterii gaudeant, dotati a communitate fidelium, prætereaque Pontifex capitis prærogativa effulgeat. Solum igitur ſupereſt ad ſeditioſum illud GERSO- 2.

(a) De eccl. & polit. poteſt. n. 5.

NIS principium, quod etiam Patribus Basileenſibus poſtea fraudi fuit, recurrere: quod regni cujusquam vel principatus ordines, ſtatus, ac comitia ipſo principe ſint ſuperiora: quodque populus ac vulgus majori auctoritate præditus ſit, quam ipſe magiſtratus, atque proprii principis poteſtatem reſtringere valeat. Cujus ob doctrinæ ſuſpicionem Sorbona male apud regem Galliæ audiit poſt concilium Conſtantienſe, ubi vigore hujus principii, agente præſertim *Jo.* GERSONE, JOANNES XXIII. depoſitus eſt. Potius effectu hanc doctrinam ſecutus fuit, quam verbis: obſcure eam expreſſit ſaltem *propoſitione facta coram Anglis Pariſiis*, ubi veritate nona conſid. IV. ita eam declarat: *Congregatio eccleſiaſtica habet claves ordinis, & jurisdictionis alio, & alio modo in ſe, & in ſuis partibus fluentibus. Ubi e. g. claves datæ ſunt Petro auctoritative, & exercitative, ſed toti eccleſiæ univerſaliter, & ſuſceptive. Vel datæ ſunt eccleſiæ, ut in actu primo: & Petro ut in actu ſecundo.* Sed hæc ambigua ſunt, nec ſatis ſibi cohærent. Qua de re quidquid ſit, ambigendum non eſt, PETRUM ſingulariter, in communi autem collegium apoſtolorum accepiſſe claves immediate ac primario exercendas in eccleſia, non ab ea accipiendas, unacum poteſtate docendi ve-

rita-

ritates religionis chriſtianæ, fidelium cœtu obſtricto eos audiendi, cum paſſiva ſolum infallibilitate, agente divina providentia, ut nunquam eccleſia dictis ſuorum paſtorum audiens non ſit, quibus activa infallibilitas primo apoſtolis revelatione, tum eorum ſucceſſoribus cuſtodia doctrinæ ſibi commiſſæ competit, atque DEO proſpiciente ſervatur. Eadem clavium ac jurisdictionis eſt ratio.

II. Ut vero conſtanter atque ordine perfectiſſimo unitas ſervaretur, providentiſſima ratione ſingulariter uni eſt data poteſtas, eadem quæ toto ordine hierarchico eſt diſtributa, quæque ſub primo principatu ſubſiſtit, atque in ipſo comprehenditur, complicatur, & continetur. Hoc modo omnem principatum, quatenus eccleſiæ ſubſervit, eſſe in eccleſia, contra autem non eſſe in ea, quatenus huic fini & unitati reſiſtit, recte ſtatuit Cardinalis CUSANUS, epiſtola ad RODERICUM de Trevino, poſtquam amplexus eſſet partes EUGENII IV. deſerto conventu Baſileenſi, unitatis fonti, ac centro ſeſe adjungens. Cum prius libros ſuos de concordantia ſcripſiſſet, necdum ſatis ſapientiſſimum divinæ providentiæ conſilium ſecum reputavit, quo nempe adverſus quæque humanæ perverſitatis obſtacula unitas obtinetur,

Hierarchiam autem iſtam indivulſo unitatis vinculo in ſe providentiſſime colligavit.

quatenus ad unum principium revocata, diſcordantiæ omnis radix tollitur. Eam ſi tunc jam ut poſtea introſpexiſſet penitus vir ille, ea non ſcripſiſſet in ipſis de *Concordantia* libris, quæ ad diſcordiam in eccleſia fovendam, ſchiſma faciendum caput inter & corpus eccleſiæ ducerent. Quaſi vero concordantiæ ratio permitteret, inter Pontificem & concilium pugnam fieri, conſequenter illum huic ſubjici: nec una utriusque concordans auctoritas eſſe debeat, ſicut eſt una eccleſia, nexu inexplicabili contenta, atque ad unum revocata operatione S. Spiritus. S. GREGORIUS rem hanc egregie explicavit exemplo tunicæ Chriſti inconſutilis
a. & arcæ (*a*). Nec id prætereundum, quod ei

(*a*) „ Qui inconſutilem (inquit) tunicam deſuper „ contextam, videlicet eccleſiam ſuam vicaria „confeſſione fidelium in unitate gratiæ ab omni „ erroris ſciſſione cuſtodit, & contra pereuntis „ mundi, ut ita dicam, tot culparum diluvium ex multis lignis arcam conſtruit, in qua „ omnipotentis DEI electi ſerventur ad vitam.„ Hoc ergo eſt divini architecti opus, ut ædificium eccleſiæ ſuæ quoad omnes partes infimas, medias, & ſummas puleherrimo ordine contineat, & conſervet, loquitur S. GREG. de veteri illo uſu, quo ſibi epiſcopi ad hoc munus noviter aſſumti expoſitionem fidei ſuæ mittere conſueverunt, ut hoc modo conglutinatio pacis & communionis in unitate fidei perficeretur. „ Nam (pergit laudato loco) cum viciſ-

ei tunc negotium multis epiſtolis agitatum cum epiſcopis Cpolitanis fuit ob uſurpationem tituli *æcumenici*, quo veluti capitis multiplicitas in eccleſiam induceretur, ſicque pax, ac unitas ea, quam hic urgemus, per arrogantiam alieni muneris turbaretur: quod æque fit, quando unitatis centro ac capiti aliquid ſuperius, etiamſi concilium ſit, cogitatur. Duo in illa controverſia ex S. GREGORII verbis ſunt notanda; unum, eum caput univerſalis eccleſiæ agnoſcere inviſibile Chriſtum, ut tamen minime vicarium illius viſibile caput in terra excludatur: cui proin ſi quodcunq; aliud præponatur, opponaturque, jam unitatis ratio periit. Secundum eſt, quod perpetuo univerſalis appellationem ita accipiat, ac ſi reliquis epiſcopis ſuæ hoc modo partes in paſcendo grege dominico demerentur, quod eſt alterum extremum unitati ac concordiæ eccleſiaſticæ e diametro oppoſitum, quæ non patitur, ut vel unus reliquorum uſurpet auctoritatem, vel alii unius capitis prærogativæ incubent.

fim vobis fidei noſtræ confeſſionem transmittimus, charitatem noſtram erga vos oſtendimus; quid aliud in ſancta eccleſia agimus, niſi arcam bitumine linimus; ne unda erroris intret, & vel ſpiritales quosque tanquam homines, vel carnales tanquam animalia occidat.

Sicut enim corpus unum eſt, juxta D. PAULUM (*a*), & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Igitur nec membra capiti, nec caput membris derogare debent. Secus qui facit, eccleſiam dividit: *Cum ſit*, ſunt verba CYPRIANI (*b*), *Chriſto una eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item epiſcopatus unus epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diviſus, ille* (NOVATIANUM intelligit ſeſe CORNELIO caput eccleſiæ opponentem) *poſt DEI traditionem, poſt connexam & ubique conjunctam catholicæ eccleſiæ unitatem humanam conetur eccleſiam facere.* Duplicem unitatem hic diſtinguit S. Martyr, primam totius eccleſiæ in multa membra per totum mundum diſperſæ, alteram epiſcopatus concordi numeroſitate diviſi. Utraque in unum ſociata, perfectiſſimum ordinem ac concordantiam eccleſiæ conciliant, ſi nec plebs ab epiſcopo, nec epiſcopi a ſe invicem ſejungantur, conjungantur vero PETRI cathedræ: quæ eſt *communionis ſanctorum* in ſymbolo expreſſæ pars non poſtrema. Atque hoc modo perfectio eccleſiæ ordoque hierachicus exurgit ad eum modum, quo angelorum ordines inter

a. b.

(*a*) 1. Cor. XII. 12. (*b*) Ep. LII. N. E.

inter ſe ſub DEO ordinantur; quorſum S. BERNARDUS illud Apocalypſis (*a*) explicat: *Vidi civitatem ſanctam Jeruſalem, novam deſcendentem de cælo, a DEO paratam. Ego enim*, ait (*b*), *propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut illic Seraphim & Cherubim ac cæteri quique uſque ad angelos & archangelos ordinantur ſub uno capite DEO; ita hic quoque ſub uno ſummo Pontifice primates, vel patriarchæ; archiepiſcopi, epiſcopi, presbyteri vel abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt parvi pendendum, quod & DEUM habet auctorem & de cælo ducit originem.*

a.

b.

III. Iſta ordinis eccleſiaſtici conſtitutio divinis conſiliis debetur, hoc modo eccleſiæ ſuæ firmitati conſulente Chriſto, quatenus per univerſum licet orbem diffuſa indiſſolubili unitatis nexu copularetur. Id quod in prima ſtatim apoſtolorum inſtitutione obſervatum, ſemper agnovit eccleſia: dum idcirco unum cæteris præpoſitum fuiſſe uno conſenſu doctores omnes aſſeruerunt, ut unitatis ratio ſervaretur, ſchiſmatis autem periculum abeſſet. Dum *Petro primum Dominus*, ſunt verba S. CYPRIANI (*c*), *ſuper quem ædificavit eccleſiam, & unde unitatis*

Quod patet ex prima ſtatim inſtitutione collegii apoſtolici.

c.

(*a*) Apoc. XXI. 1.
(*b*) S. BERN. De conſid. L. IV. c. 4. n. 18.
(*c*) Ep. LXXIII.

originem inſtitueret, oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cælis, quod ille ſolviſſet in terris. Ita vero S Pater hanc unitatis rationem eccleſiæ implicatam neceſſario ſenſit, ut qui ab ea receſſerit, quaſi radius a ſole ſeparatus, ramus ab arbore decerptus, ac diſtractus a fonte rivus exiſtat. Quæ illi conſiderent, qui aliquando contingere poſſe putant, licet unitatis centrum in uno ſit poſitum, ut tamen caput iſtud ſeparatum ſpectari poſſit ab illis, qui ſecundum ordinem in eccleſia tenent, atque apoſtolorum collegium repræſentant, præſertim congregati in concilio. Licet enim tunc potiſſimum, quando in unum ſunt congregati, ſumma ſint inſtructi auctoritate, poteſtateque; id tamen fit non niſi eo ordine, quem Chriſtus in ſua eccleſia conſtituit, primumque in apoſtolico collegio deſignavit. Illud licet ampliſſima poteſtate gauderet; in PETRO tamen colligabatur, nec contra eum ſeſe exerebat, in quo fundamentum eccleſiæ fuit collocatum. *Licet id ipſum*, ſunt verba
a. S. HIERONYMI (*a*), *in alio loco ſuper omnes apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos fortitudo eccleſiæ ſolidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtitu-*

(*a*) L. I. contra JOVINIAN.

ſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Peſſimo ergo conſilio illi utuntur, qui æqualem eamque ſummam poteſtatem in eccleſia, vel in PETRO, vel in reliquis apoſtolis reſidentem inter ſe confligentem ſtatuunt: cum ſit una ac eadem, eoque firmior, quo adunatior: conceſſa non ad diſſidium, ut ſeſe conterant (ſicuti e. g. exercitus duo paris roboris) ſed ut mutuis conſiliis, ac unanimi conſenſione conſpirent ad ædificandam eccleſiam. *Hoc erant utique*, inquit in hanc rem S. CYPRIANUS (*a*), *cæteri apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut eccleſia Chriſti una monſtretur.* Non minus clare S. LEO, *Quibus*, inquit, (*b*), *etſi dignitas communis non eſt, tamen ordo generalis, quoniam & inter apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret.* Eandem rem optime facto & exemplo expreſſerunt apoſtoli, qui cum omnes ſingillatim afflatu Spiritus ſancti fruerentur, in commune tamen res tractabant. *Paulus quidem*, ait NILUS (*c*) *Junior*, ſchiſmate quidem pa- a. b. c.

(*a*) Sub initium lib. de unit. eccl.
(*b*) Epiſt. XII. n. 14.
(*c*) De primatu Papæ. L. I.

trio infectus, *quantumvis Chriſtum habens in ſe loquentem, & vocatus vas electionis: nihilominus tamen ad apoſtolos ipſo priores ſe refert, communicatque cum eis evangelium, ne quo modo in vanum curreret, vel cucurriſſet. Quin etiam ſacri illius duodenarii cætus præſul, ille, inquam, apoſtolorum coriphæus divinus Petrus, etiam corrigi ſe a Paulo patitur, & reprehenſus ſilet.* Hæc ſchiſmaticus ille contra Papam detorquere vult, ſed fruſtraneo conatu. Quodſi enim exemplo apoſtolorum pugnare nobis cum Græcis ſchiſmaticis licet, facile vincemus. Utique negari PETRO non poteſt infallibilis, divini Spiritus aſſiſtentia, ne in munere ſuo apoſtolico erret; quod cum æquo jure cæteris tribuatur apoſtolis, pugnantes inter ſe ſtatui non debent in doctrina eccleſiæ, ſicuti Græci nobiſcum pugnant: ut liceat Græcos propriis eorum armis confodere: propriis etiam eorum verbis, quæ ex BARLAAMO monacho libello de poteſtate Papæ mutuabimus. *Quodſi*, inquit ille c. 2. *ſummarum eccleſiaſticarum dignitatum partitione facta, aliam Petro datam fuiſſe dixeris; reliquis aliam: rationibus omiſſis e verbo DEI nobis iſtud demonſtra, paſſisque ulnis accipiemus. Nam ego ſane non reperio, unde hoc diſcrimen quis conjiciat: cum neque ex*

Domini

Domini ſermonibus ad illos habitis, neque ex iis, quæ ipſi poſtea factitarunt, illud debeat elici.

IV. Hæc igitur fuit facies eccleſiæ apoſtolicæ, hocque Chriſti in conſervanda unitate illius conſilium, deinceps in eccleſia DEO ita curante expletum, utpote eouſque neceſſarium, quouſque eccleſia ſtare debet, ad conſummationem ſæculi: PETRO ſuccedentibus Romanis Pontificibus, apoſtolis vero collegio epiſcoporum. Neque conveniens ratio effingi poteſt, cur epiſcopi per prærogativas apoſtolorum ampliori poteſtate polleant Romano Pontifice, prærogativas PETRI conſecuto. Id vero ſatagendum, ut ſibi ambæ partes eo modo utendum ſua poteſtate noverint, non adverſus ſe exercendam in eccleſiæ viſcera ſæviendo, ſed inter ſe communicandam: cum una ſit ac eadem in ædificationem corporis Chriſti. (a) *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii DEI, in virum perfectum.* Et ſane ſi hoc conſilium rite ſemper in eccleſia applicatum fuiſſet, eccleſia virum perfectum ac menſuram ætatis plenitudinis Chriſti ſemper præſetuliſſet. Unde enim mala omnia hæreſes ac ſchiſmata omnia, quam dudum forma in apoſtolis con-

Quæ fuit forma communionis in poteſtate legitima ſervandæ.

a.

(a) Eph. IV. 12. 13.

conſtituta, atque ab apoſtolis cuſtodita, non ſervatur? Dum vel auctoritas contemnitur collegii apoſtolici, in collegio epiſcoporum reſplendentis; aut hoc ipſum collegium inter ſe diviſum ac pugnans ſpectatur, quod unum eſſe debet. Utriusque rei teſtem laudabo S. CYPRIANUM. De primo ita in FLORENTIUM PUPINIANUM contra ſe rebellem invehitur epiſtola ad eum data: *Cum te judicem DEI conſtituas, & Chriſti, qui dicit ad apoſtolos, ac per hos ad omnes præpoſitos, qui apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt:* Qui audit vos, me audit. *Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum epiſcopus, qui unus eſt, & eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumtione contemnitur, & homo dignatione DEI honoratus, indignus hominibus judicatur.* Hæc ego ita de quocunque epiſcopo intelligenda exiſtimo, ſi in communione collegii epiſcopalis per orbem diſperſi, atque apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedentis, perſeverat: alioquin quivis epiſcopus ſeorſim ſpectatus falli, ac deficere a fide, & eccleſia Chriſti valet, nec regula infallibilis eſt. Secus in integro collegio epiſcoporum ſe res habet, quod nunquam deficiet, haud magis ac ipſa eccleſia: utpote ab hoc collegio ipſa eccleſia paſci divini verbi pabulo ac regi debet.

debet. Quemadmodum vero vera Chriſti eccleſia non eſt certis adſtricta regionibus ac locis, ita nec collegium epiſcoporum certis ſedibus. Olim in oriente floruit quam maxime, nunc in occidente viget, ceciderunt que celeberrimæ ab apoſtolis fundatæ eccleſiæ, ac in ruina jacent patriarchales orientis ſedes omnes. Opportune ad rem locutus eſt BAHANES Act. VI. Oct. ſyn. *Poſuit DEUS eccleſiam ſuam in quinque patriarchiis & definivit in evangeliis ſuis, ut nunquam aliquando penitus concidant, eo quod capita eccleſiæ ſint. Etenim illud quod dicitur*, Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, *hoc denunciat. Quando duo ceciderunt currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo. Cum vero quatuor forte ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Chriſto DEO noſtro, revocat iterum reliquum corpus eccleſiæ.* Ita ſane poſteriorum temporum experientia habet, dixeratque BAHANES ea, quæ non ita multo poſt evenerunt, reliquis omnibus patriarchalibus ſedibus collapſis in ſola Romana conquieſcente eccleſia: ut divinis promiſſionibus robur conſtet, ſuper PETRUM ædificante Chriſto eccleſiam, cujus cathedra Romæ immota contra inferi portas conſiſtit: cum qua, quæ uniuntur eccleſiæ, atque eccleſiarum præſules epi-

epiſcopi collegium apoſtolorum repræſentant, non excluſo PETRO, ſed ei indiſſolubiliter conjuncto collegio epiſcoporum, quod ſuccedit collegio apoſtolorum. Cave ergo hanc eccleſiam cum aliis committas, ac pugnantem inducas. Tali enim pugna, qui huic eccleſiæ adverſantur a vera DEI eccleſia excidunt. Nunquam Chriſti eccleſia a PETRI cathedra ſcindetur: ſemperque ei collegium illud, quod apoſtolorum locum tenet, haud minus ſociatum erit, quam reliqui apoſtoli PETRO, ubicunque demum terrarum collegium iſtud reperiatur. Nec minus etiam inter ſe conſentient, quam apoſtoli PETRO, ſi duo iſta ſumma tribunalia unius ac ejusdem veritatis haud minus, quam auctoritatis, quibuscunque in temporum, ac locorum circumſtantiis conſiderentur. Certe hactenus invariatus ſemper fuit concentus ac communio inde ab apoſtolis ad nos uſque, atque deinceps erit uſque ad conſummationem ſæculi, quoad triplicem hanc locorum circumſtantiam, qua conſideratur eccleſia vel in orbem diſperſa, vel in concilium coacta, vel in Romana eccleſia complicata, ſecundum leges communionis eccleſiaſticæ. Fruſtra ergo hic repugnantia, ac conflictus fingitur, fruſtra majoris minorisque auctoritatis, aut veritatis

tatis gradus: cum ſit eadem uni ſingulariter PETRO æque ac apoſtolis data, atque ab his in legitimos ſucceſſores traducta ampliſſimis promiſſis; non ut contra ſe invicem abutantur in ignominiam Chriſti, ſed ut parem pariter diſpenſent gratiam. Hujus rei gratia uni ſingulariter privilegium fuit datum, ut unitatis certa, & conſtans eſſet ratio. *Quamvis apoſtolis*, ſunt S. CYPRYANI verba (*a*), *omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat:* Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum ſanctum, ſi cujus remiſeritis peccata remittentur illi; ſi cujus tenueritis, tenebuntur; *tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* 2.

V. Quæ qui probe ſecum perpenderit, intelliget, quanto illi in errore verſentur, qui aliud ac diverſum ſibi imaginantur judicium, quod vel a ſede apoſtolica, vel collegio apoſtolico, ſive in concilium aggregato, ſive per orbem diſperſo, procedit juxta communionem poteſtatis eccleſiaſticæ. Quod mihi perinde videtur, ac ſi quis dicat, veritates in veteri teſtamento contentas poſſe in novo aliter poni, aut in controverſiam vocari: cum unius ejusdemque veritatis pro- Inter ſummos eccleſiæ principes, Pontificem, & epiſcopos.

(*a*) De unitate eccl. non longe ab initio.

profeſſio ſit, quandocunque eadem ſibi conſtans & conſentiens manifeſtetur, ac ſeſe prodat veritas. Secus, qui poſterioribus his temporibus exiſtimare in animum induxerunt, de decretis ſummæ ſedis, quæ cum collegio epiſcoporum communicata univerſæ eccleſiæ proponuntur, quantos motus ac turbas concitarint, quotidie coram cernimus. Et ſi quando olim ejusmodi aliquid contigit, id factum eſt perraro. Nec ipſi hæretici facile refragari judicio Romano auſi ſunt: Catholici autem in communione poteſtatis ſibi quandam ſentiendi agendique libertatem ac arbitrium attribuebant, nunquam fidem communionemque cathedræ PETRI ſusque deque habuerunt, cujus placita, & definitiones ſemper vel maxime ſunt reveriti; ita ut pleræque hæreſes prius in Romana eccleſia damnationem expertæ ſint, cui ſimul congregati, ſive per orbem ſparſi Patres, applauſerunt. Patet ea res, in acclamationibus, quibus exceptæ ſunt Pontificum epiſtolæ, ſi quando ſynodis ſententiam præire ſolebant in expoſitionibus fidei adverſus novas hæreſes, ut ſuo loco uberius oſtendemus. In tertia, & quarta ſynodo ejusmodi documenta habentur inſigniora. In quinta etiam non defuit præiens Pontificis ſententia, quamvis pa-

cis

cis bonum in re, in qua ſalva fidei integritate œconomiæ cuidam locus eſſe potuit, VIGILIUM aliquamdiu ſuſpenſum tenuerit. In reliquis deinceps conciliis primas non ſolum potiſſimum habuit partes, ſed etiam prima ſententiam ſemper depromſit Romana ſedes, & dictavit, nunquam repulſa eſt. Idque accidit, quamdiu in oriente adhuc celebrata ſunt concilia: in quibus de rebus fidei fere actum; dum medio ævo in occidente concilia œcumenica, ſi pauca excipias, alias cauſas quam fidei maximam partem tractabant. Hæreſes vero auctoritate Romani Pontificis plerumque damnatæ ſunt: ad quem vel delatæ ſunt a minoribus conciliis, vel ab ipſo primum cum eccleſia ſua Romana in judicium vocatæ. Qua vero fiducia ejusmodi decreta ſua, de ſententiæ æquitate veritateque haud ambigentes, ad alias eccleſias transmiſerint, una hic SIRICII epiſtola II. ad eccleſiam Mediolanenſem, cui tunc S. AMBROSIUS præerat, teſtimonio eſſe poteſt contra JOVINIANUM, AUXENTIUM &c. *Qui*, ſunt epiſtolæ verba, *incentores novæ hæreſis & blaſphemiæ inventi ſunt, divina ſententia, & noſtro judicio in perpetuum damnati extra eccleſiam remaneant. Quod cuſtoditurum ſanctitatem veſtram non ambigens, hæc ſcripta direxi, per fratres, & compresbyteros meos Creſcentem,*

Leopardum, & Alexandrum, qui religioſum officium fidei poſſint ſpiritu adimplere ferventes.

Hæc communio dum non attenditur ſchiſmata oriuntur, uti in Græcis patet.

VI. At hodie multorum conſpiratione non liceret ſummo Pontifici ita confidenter ſententiam ſuam perſcribere: qui jura ſua læſa exiſtimarent, non requiſito prius conſenſu, de re fidei ſtatui: ac ſi judicium eccleſiæ, quoquo modo fiat, adverſum ſibi & repugnans eſſe poſſit; & non potius diſſenſus iſte, ſi quando hominum mentes inceſſit, diſcordias & ſchiſmata generaſſet. Certe grandis illius ſciſſuræ, rupturæque qua dimidium orbis, totus oriens, ab eccleſia cecidit, hæc principalis, ne dicam unica, eſt cauſa. Cauſabantur Græci quidquam ſymbolo eſſe additum, quod fieri non debuerit, quin ſaltem ſuper eo deliberaretur communicata re cum oriente, ut communi conſenſu ſtatueretur. Nilus archiep. Theſſ. orationis, ſeu libri I. de primatu Papæ medio ſæc. XIV. exarati hoc ponit argumentum: *Non aliam diſſidii eccleſiarum Latinarum & Græcanicarum cauſam eſſe, quam quod Papa ejus, quod controverſum eſt, cognitionem, ac judicium ad æcumenicam ſynodum deferre detrectet: ſed ipſe ſolus controverſiæ magiſter, ac judex ſedere velit, reliquos vero diſcipulorum inſtar dicto audientes habere; quod qui-*

quidem, inquit, *ab apoſtolorum, & patrum legibus actionibusque eſt alienum.* In contextu vero orationis expreſſe conteſtatur ſchiſmatis cauſam non eſſe, quod vellent primatum ſibi arrogare, nollentque in ſecundis poſt Romanorum principatum conſiſtere. *Neque enim*, inquit ille, *unquam cum Romana eccleſia de primatu contendimus; neque de ſecundo loco nunc agitur.* Tum iterum repetit, cauſamque hanc ſtatuit: *Quod ſcilicet quæſtio controverſa communi æcumenicæ ſynodi decreto non ſit confirmata, quod ejus ſolutio explicatioque non fiat ex veteri Patrum in ejusmodi negotiis conſuetudine. Sed quod Romani quidem magiſtrorum in hac quæſtione partes ſibi ſumunt, alios vero inſtar diſcipulorum dicto audientes habere velint.* Exiſtimet quis ſe non tam Græcum ſchiſmaticum quam Gallum pragmaticum audire. Quodſi unius alicujus œcumenici celebratione pars altera orbis in eccleſiæ gremio potuiſſet retineri, forte quis putet e pietate matris eccleſiæ illiusque commodo fuiſſe, deferre votis? At conſtanter Græcis hoc beneficium fuit negatum. Quæque in hac cauſa fuerunt celebrata concilia, non ad dogmatis deciſionem, ſed pacis conciliationem fuerunt. Ita plane ad ſynodum Lugdunenſem invitati Græci, ut prius ſchiſma & errores

deteſtentur apud Romanam ſedem, tumque plenius omnia ad unionem compleantur. Id quod tunc non detrectarunt, tam Cpoli ore, quam litteris ad concilium datis, edita confeſſione fidei, quæ flagitabatur, atque præſcripta a Romano Pontifice erat. *Ore & corde confitemur, quod vere tenet & fideliter docet, & prædicat ſancta Romana eccleſia inviolabiliter obſervare eandem profeſſionem: & in ea omni tempore perſeverare.* Æquivocationibus obnoxiam eſſe hanc profeſſionem ac fallere ſic potuiſſe Græcam fidem, facile patet, & eventus docuit. At nunquam tamen eis, quod flagitarant, indultum eſt, ut caput præſertim præcipuum de additione *Filioque* in ſymbolum in examen rurſus revocaretur: & ſi quid liberalius in hac re cum illis geſtum, id οἰκονομικῶς factum eſt ac indulgenter. Neque hujus rei cauſa eſt, quam Græci afferunt, Papæ abſoluta poteſtas, ſed id quod unice hic urgemus, quocunque modo dogma aliquod in eccleſia DEI ſtabiliatur in cõmunione ſedis apoſtolicæ cathedræ Petri eadem auctoritatis firmitate ſtare. Nec dum plane conſtat, qua ratione particula *Filioque* in ſymbolum recepta, an Hiſpani, vel Galli Romanæ præierint eccleſiæ. Id vero tenendum, cum id factum fuerit conſentiente Romana eccleſia, neque ſolum

lum approbante, ſed etiam aſſumente particulam *Filioque*, jam contra dici amplius non debuiſſe hoc in dogmate, quod occidens longo uſu adoptavit, nec interceſſerat prius oriens, quam ſimultates dediſſent locum. Fieri nimirum haud potuit, ut eccleſia divina gaudens aſſiſtentia, aliquid ſtabiliret poſtea retractandum, aut in quæſtionem vocandum. Eccleſia igitur nec incuria, nec immemor Spiritus ſancti ſibi aſſiſtentis operationum, quod ſemel aſſumſit nunquam dimittit, eandem ſemper ſectata veritatem. Nec opus eſt ſemper in conciliis ſententiam omnium ore declaraſſe. Ipſa eccleſiarum fides cathedræ PETRI conſentiens & communicans, roboris ad veritatem ſatis habet. Quodſi pars diſſentiat, & a communione PETRI aut ſe ſcindat, aut ſcindatur, ipſa ſe alienam a vera DEI eccleſia, ac fide, extorremque reddit, non peſſumdatam invariatam eccleſiæ fidem demonſtrat; aut jure mutationem ingruentis obtinentisque doctrinæ flagitat, extorquetque: cum diverſitati variationique ejusmodi in eccleſia locus eſſe haud poſſit.

VII. Atque hoc ipſum eſt, quod nos conſtanter ingerimus, inculcamusque, fruſtra auctoritatem cum auctoritate pugnantem induci. *Non pugnat*, apte in

Quorſum etiam ducere poſſunt ſcholæ conten-

tiones quæ more ſuo partes hic inter ſe diſſidentes inducit.

rem præſentem *Lud.* THOMASINUS (*a*), *imo militat auctoritas veritati, veritas auctoritati, auctoritas auctoritati, jus juri, ſcriptura ſynodis, ſynodi Patrum dogmatibus, Pontifices conciliis, concilia Pontificibus, caput membris, membra capiti. Conſentanea, amica, conſerta ſunt hæc omnia: mutua ſe ope, luceque recreant, & augent: nullo vero, nullo inteſtino, ſed imaginario, fabuloſoque conflictu, nec uſquam niſi in ſcholis perſtrepente diſſident.* Poſtquam in ſcholis theologicis omnia contentionibus diſputationibusque ſunt repleta, ſectæ ac ſtudia partium introducta, eadem cacoethes etiam eccleſiæ affecta a ſcholarchis, nunquam eccleſiæ detinuit fidem. Quodſi enim ſemel malum iſtud irrepſiſſet in eccleſiam, jam non una retineretur fides, nec communio eſſe poſſet inter factiones ſibi adverſantes. Potuerunt maximo quidem theologiæ malo, nec etiam absque eccleſiæ periculo inter ſcholarum opiniones pugnantia, & adverſa ſubſellia, & cathedræ erigi; at in eccleſia DEI alterutra cathedra peſtilentiæ foret. Potuerunt metaphyſicæ ejusmodi hypotheſes in ſcholis fingi, qua Romana cathedra tribunali epiſcoporum, ceu adverſans opponeretur; at in eccleſia DEI nihil ejusmodi induci vel permitti valuit a DEO,

(*a*) Differt. in concilia. XII. in append.

a DEO, eccleſiæ ſuæ aſpirante, proſpicienteque, ne regnum in ſe diviſum caderet. Hypotheſes ejusmodi de ſuppoſito non ſupponente fingere, ſi unquam liceat, ne tamen excogitarentur, quæ in eccleſia ingentes turbas, & diſcordias ſererent, id cavendum quam maxime fuiſſet, cum manifeſto ſchiſmatum, imo ruinæ ipſius eccleſiæ periculo; niſi divina providentia ejusmodi moliminibus obſiſteret, memor verbi ſui promiſſionumque, ne unquam deficeret, ſeſeque inteſtino bello conficeret, quæ eſt tuta ac firma contra exterius irruentes inferi portas. Dicant igitur, & ſe jactent in ſcholis: Ego quidem ſum THOMÆ, ego SCOTI, ego alterius ſcholæ: ego Ultromontanus, aut alterius eccleſiæ; at caveant, ne in eccleſia Corinthiacum illud ſchiſma revocare nitantur: *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ.* Non eſt una individuaque auctoritas Pontificis, epiſcoporum, ſedis apoſtolicæ, ac collegii apoſtolici eccleſiæ catholicæ eandem ſemper ſibi ſimilem veritatem catholicam proponentium docentiumque inter ſe collidenda. *Hæc enim eſt una,* utor *Melch.* CANI (*a*) verbis, *res prorſus, ut non multum differat inter eccleſiæ, conciliorum, ſedisque apoſtolicæ judicia, propterea quod connexa hæc & colligata*

(*a*) De loc. theol. L. V. c. 5.

ſunt : quemadmodum eſſe videmus humanum corpus, & caput. Quodſi pars ſeparata a corpore eccleſiæ in eccleſia non ſit, quanto magis, ſi cum eccleſia pugnans, ſpectetur? Eccleſiam vero eſſe unam, & in ſe diviſam, contradictoria ſunt, & ἀσύϛατα. Neque magis eccleſia a ſeipſa, a ſuis paſtoribus diſſidere poteſt, quam a Chriſto : quin eo ipſo quo quis ab eccleſia diſſidet, in ea eſſe deſinit, non eccleſia eſſe deſinit. *Etſi contumax ac ſuperba obaudire nolentium multitudo diſcedat*, verba ſunt S. CYPRIANI (*a*), *eccleſia tamen a Chriſto non recedit, & illi ſunt eccleſia plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes, epiſcopum in eccleſia eſſe, & eccleſiam in epiſcopo, & ſi quis cum epiſcopo non ſit, in eccleſia non eſſe, & fruſtra ſibi blandiri eos qui pacem cum ſacerdotibus DEI non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare ſe credunt, quando eccleſia, quæ catholica & una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa & cohærentium ſibi invicem ſacerdotum glutino copulata.* Hæc eſt genuina unitatis eccleſiaſticæ notio, dum plebs ſacerdoti, ſacerdotes invicem copulantur. *Quam unitatem*, inquit alibi, ubi ex inſtituto hoc argumentum de unitate eccleſiæ tractat, *fir-*

a.

(*a*) Epiſt. LXIX. circa finem.

firmiter tenere & vindicare debemus, maxime epiſcopi, qui in eccleſia præſidemus, & epiſcopatum quoque ipſum unum atque indiviſum probemus. Quod certe non faciunt, qui epiſcopatum ſcindunt, dum eam cathedram, quæ juxta S. CYPRIANUM unitatis origo & centrum eſt, ut ſeparatam pugnantemque poſſe ſpectari exiſtimant cum eccleſiæ tribunali. *Paſtores ſunt omnes*, idem loquitur eodem loco, *& grex unus oſtenditur, qui ab apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur, ut eccleſia Chriſti una monſtretur.* S. CYPRIANUS unam eccleſiam monſtrari dicit, quod ab apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur: hi PETRUM a collegio apoſtolorum, ejus ſucceſſores a collegio epiſcoporum excluſum in eccleſia DEI inducunt? Igitur melius veriusque in hoc unam eccleſiam agnoſcamus, quod unanimi conſenſu paſcatur paſtorum unus idemque grex: alias enim quomodo una fides eſſe poteſt credentium, ſi poſſit eſſe diverſa docentium.

VIII. At huic D. CYPRIANI auctoritati opponetur mihi ejusdem exemplum, ſeſe S. STEPHANO P. R. in cauſa baptiſmatis opponentis. Qua de re cum proprius ſit futurus dicendi locus; nunc illud ſolum prælibo: ipſo ſuo exemplo hoc oſtendiſſe S. virum, quo veritatis di-

Dum ex una parte omnia collegio epiſcoporum, ex altera Pontifici attribuuntur.

diſpendio quis a cathedra PETRI diſſentiat, recedendo a principiis prius ore proprio ſtabilitis. Retinuiſſet S. Martyr eum veritatis ſenſum ac reverentiam erga Romanam ſedem, ab hac ſe macula immunem præſtitiſſet. Quamvis, ut magno doctorum aſſenſu infra dicemus, non penitus ſaltem opinione ſua hic prius a ſe conſtitutam doctrinam deſeruerit. Materiam rebaptizationis ἀδιάφορον ac indifferentem S. Martyrem probabile eſt habuiſſe, in qua poſſit eſſe diſcrepantia ſalvo unitatis communionisque vinculo; ipſe in hac parte ad tutiorem partem videri potuit declinaſſe. Nunquam vero legitur S. CYPRIANUS in ea cauſa errorem adverſæ parti imputaſſe, aut hic in Romanum Pontificem judicium uſurpaſſe, ſed liberam ſibi praxin expoſtulaſſe, non damnato S. STEPHANO Pontifice: ſecus adverſa Pontificis auctoritati pars multis demum poſtea ſæculis ſciſcere cœpit, ejusmodi repugnantiam etiam admittendo in ſummis fidei cauſis: ac ſi aliquando contra integram eccleſiam collegiumque epiſcoporum ſive diſperſum in orbe ſive collectum in concilio ire poſſit, ac adverſari. Ex adverſa parte aberrant, qui Papæ auctoritatem tuentur contra totam eccleſiam ordinemque hierachicum in ejusmodi rebus, quæ ipſum ecclecle-

cleſiæ fundamentum attinent. In aliis enim rebus, uti poteſt eſſe diverſa praxis & ſententia; ita diſſentire, diſcrepareque alterutri parti licet. Salva etiam unitate reſiſtere poſſent epiſcopi Papæ, ſi aliquid ſtatueret, quod non tenderet ad eccleſiarum ſibi concreditarum ædificationem, canones, ſtatuta, ac conſuetudines laudabiliter receptas. Contra quod peccari poſſet a Romanis Pontificibus ſtando principiis Papæ faventibus in ſyſtemate de *ſuperioritate* ac plenitudine poteſtatis, quæ nimium extenſa locum uſurpationibus multis dedit in eccleſia, poteſtque dici ſcaturigo litium ejusmodi de limitibus poteſtatis: dum Pontifices amplitudinem poteſtatis ſuæ exeruerunt; epiſcopi vero ſua jura involari ægre tulerunt. Qua de cauſa Eugenium S. Bernardus commonitum voluit, ne exiſtimet, ſibi, uti ſummam, ita etiam ſolam eſſe in eccleſia auctoritatem, aut ſe monarchæ inſtar abſoluti eccleſiæ dominari, cui perſuaſioni inſtituta comparatio inter principatum eccleſiaſticum ac dominatum mundanum locum dare potuit. *Conſideres*, inquit S. Bern. (*a*) *ante omnia ſanctam Romanam eccleſiam, cui DEO auctore præes, eccleſiarum matrem eſſe non dominam: te vero non Dominum epiſco-* a.

(*a*) De conſid. L. IV. c. 7. n. 23.

epiſcoporum, ſed unum ex ipſis. Sedi apoſtolicæ ſæpius detractum eſt hac de cauſa, atque hoc Græci ſchiſmatici perpetuo ingerebant ita Pontificis poteſtatem extolli, ut cæteris legitima auferatur. Sic NECHITES epiſc. Nicomed. in colloquio cum ANSELMO Avelsbergenſi epiſc. LOTHARII Imp. Cpolin legato.
a. *Quid*, inquit (*a*), *nobis ſcripturarum ſcientia? Quid nobis litterarum ſtudia, quid ſapientum Græcorum nobiliſſima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quæ, ſicut tu dicis, ſuper omnes eſt, univerſa hæc evacuat. Solus ipſe ſit epiſcopus, ſolus magiſter, ſolus præceptor, ſolus de omnibus ſibi ſoli commiſſis, ſoli DEO ſicut ſolus bonus paſtor reſpondeat. Quodſi autem in vinea Domini cooperatores habere velit, ſervato ſibi ſuo primatu, ſua exaltatio ipſi humilitatis præbeat motivum, neque fratres ſuos deſpiciat, quos Chriſtus JESUS, quæ veritas eſt, in ſinu eccleſiæ genuit, ut liberi ſint, non ut mancipia efficiantur.* Hæ ſunt plane haud iniquæ conditiones; ſed iniqua ſunt, quæ de dominatu abſoluto Romani Pontificis ſibi finxerunt Græci. Ea, quæ GREGORIUS M. ob uſurpatum a Cpolitano patriarcha œcumenici epiſcopi titulum ad Græcos ipſos perſcripſit, falſas eorum ſuſpiciones refellere poſſint: qui

eo

(*a*) DACH. ſpicil. Tom. XIII. p. 212.

eo ex capite hoc ſuperbum nomen damnat, quod ſeſe œcumenicum epiſcopum nominans cæterorum poteſtati detrahere videatur, a quo aliena ſedes apoſtolica quam maxime ſit. *Ego enim*, inquit (*a*), *non verbis quæro proſperari, ſed moribus: nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco, meus namque honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor.* Igitur ſollicitudo & cura, quam Pontifices Romani in totam eccleſiam exercent, ad eccleſiæ ædificationem non deſtructionem, ad collegii epiſcopalis honorem & vigorem, non depreſſionem pertinet. In hac exercenda poteſtate univerſam per eccleſiam rite munus ſuum obeunt epiſcopi Romani: *Neque enim*, recte ait XYSTUS (*b*), *permittit nos quietos eſſe ab ejuſmodi curis omnium eccleſiarum ſollicitudo.* Et S. BERNARDUS (*c*) hujus poteſtatis ſingularis EUGENIUM admonuit: *Sunt quidem*, inquit, *& alii cæli janitores, & gregum paſtores: ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & paſtorum tu unus omnium paſtor.* Argumen-

a.

b.

c.

(*a*) S. GREG. L. VII. ep. 30. ad EULOG. Alex.
(*b*) Ep. II. n. 2.
(*c*) De Conſid. L. II. c. 8. n. 15.

gumentum hoc egregie pertractat Cardinalis CUSANUS in ſua EUGENII IV. defenſione, poſtquam ſe a partibus conventus Baſileenſis retraxit: oſtenditque pulcherrime, quomodo in capite viſibili eccleſiæ, eccleſia ipſa ſit complicative, contracte, & repræſentative. *Siquidem*, ait, *principatus Papæ eſt ipſamet eccleſia complicata, contracta, & repræſentata. Imo etiam quilibet epiſcopus, & rector eccleſiæ poteſtatem Petri contracte participat.* Statuit etiam PETRUM originaliter complecti & poſſidere varietatem omnium ordinum, & poteſtatum eccleſiæ in fidei unitate, adeo ut poteſtas patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum & presbyterorum ſit contracta in PETRO ejusque ſucceſſoribus poſt Chriſtum, ita ut omnis principatus in eccleſia ſub primo principatu ſubſiſtat, atque in ipſo comprehendatur, complicetur, & contineatur. Quæ tamen omnia ita accipienda ſunt, ut poteſtas reliquis conceſſa ideo non abſorbeatur, ſed perficiatur potius ac roboretur, quatenus eſt vis adunata fortior ad ſuſtinendum onus regendæ eccleſiæ, dum unus, ſingulariter ampliſſima poteſtate inſtructus, cum cæteris communiter laborantibus concordat ac cooperatur.

IX. *Er-*

IX. *Ergo*, cum D. BERNARDO (*a*) ſi nes poteſtatis tum Pontificis, cum epiſcoporum terminare liceat, *juxta canones tuos alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus: tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu epiſcopo cælum claudere, tu ipſum ab epiſcopatu deponere, etiam & tradere ſathanæ potes. Stat ergo inconcuſſum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.* Nec minus *Jac.* ALMAIN, quo tempore hæ de limitibus poteſtatis maxime fervebant lites, licet partibus Pontificiis adverſus, tamen ampliſſimam in regimine totius eccleſiæ ſedi apoſtolicæ attribuit auctoritatem, ſuo de poteſtate ſuprema Eccl. & cæt. libro. Ibi poſtquam *cap. IV. Propoſ.* 4. inæquales eſſe aſſeruiſſet ſacerdotes, quantum ad eccleſiaſticam poteſtatem juridicam, & publicam, quæ reſpicit forum exterius, ad quam ſpectat peccata punire, conferre beneficia, conſtitutiones edere, excommunicare, degradare, indulgentias conferre: tum ad commendationem ſtatus monarchici delapſus, ita poteſtatem ſedis apoſtolicæ explicat: *Ergo veriſimile eſt, quod in ſpiritualibus Chriſtus inſtituerit ſupe-*

Cum ſuum cuique ſit tribuendum, ſecundum æquos rerum arbitros.

(*a*) De Conſid. L. II. c. 8. n. 16.

ſuperiorem, qui habeat quemlibet coercere, & nullum ſuper eum. Ideo uni ſcilicet Petro & ſucceſſoribus ejus data eſt univerſalis poteſtas conſtituendi canones, & conferendi beneficia, per totum univerſum orbem: & nulli alteri. Luculentior adhuc eſt cleri Gallicani in hanc rem declaratio litterisque ad omnes coepiſcopos an. 1655. (a) ita expreſſa: *Neminem orthodoxum dubitare, quin Papa ſit caput, paſtor, & primas univerſalis eccleſiæ, uti loquitur concilium Florentinum, cujus poteſtatis jure poſſe eum in caſibus ac forma in jure præſcriptis providere regimini omnium eccleſiarum omnique paſtorali functioni. Verum ea doctrina,* pergunt, *non deſtruit jus epiſcopale, neque propterea admitti delegatos ſine cauſa, qui ſine epiſcoporum licentia omnia eorum munia obire poſſint: hierarchiam nihil aliud eſſe, quam ſubordinationem quamdam membrorum ad caput, eo eſſe comparatam, ut membra conſervet ſub capitis regimine, ac licet utrique, & caput, & membra poteſtatem ac vitam ducant ab eodem Chriſto, non tamen eadem vi, neque pari auctoritate: apoſtolos haud minus Petro fuiſſe ſubjectos, quamquam æque ac Petrus, a Chriſto miſſionem habuiſſent, ita epiſcopos, qui apoſtolis ſucceſſerint, haud minus*

a.

(a) Apud Bossuet defenſ. declar. cleri Gall. T. II. L. XIII. c. 14.

nus a Chriſto habere poteſtatem, licet eam exercere ſub Papa Petri ſucceſſore debeant. Hanc eccleſiæ Gallicanæ doctrinam totam tam reverenter accipio, quam procaciter eam *Ed.* RICHERIUS abjecit, diſtinctione excogitata inter ſtatum, & regimen eccleſiæ, atque ordinis unitatem cum efficaci executione canonum ſolum a capite repetens; dum non ipſam legitimam poteſtatem conſtituit in ſubordinatione ordinis hierarchici ad caput Romanum Pontificem, regimen purum ariſtocraticum in eccleſiam induxit. Quamvis mala, ac contentiones ex ſuis libris ortas contuitus, in ultima ſenectute reſipuiſſe perhibeatur, erroremque agnoviſſe.

DEO ſemper unionem in comunione poteſtatis legitimæ præſtante.

X. Qui error maxime capitalis eſt, ac periculoſus, quando non ſolum ad actus regiminis eccleſiaſtici, ſed etiam ad fidem, quod eſt præcipuum in eccleſia, extenditur. Dum in hac ſumma cauſa dogmatum æque infallibilis auctoritas, aut capiti, aut membris demitur, litigando an ea in capite vel in membris, an in Papa, an epiſcopis ſit? Cum in utriusque conſenſu una eademque per divinam Spiritus ſancti operationem auctoritas conſtituenda ſit. Equidem non diffiteor, quodſi in fidei materia Papa, & collegium epiſcoporum in concilio diverſas & con-

trarias ſequerentur doctrinas, concilio ad hærendum potius fore quam Papæ; at id futurum nego, atque divinis promiſſionibus tam PETRO ſingulariter, quam collegio apoſtolorum communiter factis contrarium aſſero, ut unquam eveniat ejusmodi diſſenſus inter ſucceſſores PETRI & apoſtolorum. Ita autem in eorum concordia omnium quidem maxima auctoritas ſeſe exerit. Certior eſt aperiorque veritatis manifeſtatio in collegio epiſcoporum, eorumque unanimi conſenſu; ut tamen certa pariter ſit in definitionibus pontificiis veritatis catholicæ aſſertio. Quia eadem Spiritus ſancti affulget lux tam PETRI quam apoſtolorum ſucceſſoribus: cum in PETRI confeſſione eadem fides fuerit expreſſa, atque a Patre cœleſti PETRO revelata, quæ fuit in apoſtolis & eccleſia. *Quicunque ſit*, inquit S. THOMAS Cantuarienſis in epiſtola ad Angliæ epiſcopos, *qui rigat, aut plantat DEUS nulli dat incrementum, niſi illi qui plantavit in fide Petri & doctrinæ ipſius acquieſcit. Sane ad eum maxima populi judicia referuntur a Romano Pontifice examinanda, & diſpoſiti ſub eo matris eccleſiæ magiſtratus, quatenus in partem ſollicitudinis acciti ſunt, creditam exercent poteſtatem.*

CAP. III.

CAPUT III.

Ad communionem legitimæ poteſtatis eccleſiaſticæ, quam unice ſit neceſſaria cum centro unitatis arctiſſima cohæſio ac neceſſitudo.

I.

Quanti momenti ſit unio eccleſiarum ad centrum unitatis.

Poteramus iſta peculiari capitis hujusce tractatione ſuperſedere, illis contenti, quæ circa hoc argumentum alibi jam congeſſimus, de legitima eccleſiaſtica poteſtate agendo, quæve in hujusmet diſſertationis exordio non pauca in hanc rem reſperſimus. Quoniam vero ad inſtituti noſtri rationem hæc unionis, communionisque eccleſiaſticæ materia eſt quantivis momenti ac ponderis, non fuit omnino prætereunda, quæ in antiquis eccleſiæ monumentis utramque fere paginam implet: eſtque uti pacis, & concordiæ eccleſiaſticæ, ita etiam illius concordantiæ & communionis poteſtatis ordinis hierarchici, quam hic ſtabilire contendimus, unicum fundamentum, vinculumque. Quod cum poſteriore ætate non ſatis attenderetur, exortum eſt diſſidium illud non ſolum in ſententia doctorum, ſed etiam inter ipſos ſummos eccleſiæ

hierarchas Pontificem & epiſcopos, *Quis eorum videretur eſſe major?* Cujus nullum in puriori eccleſiæ ſtatu habetur veſtigium, quando præſules omnes unitatis communionisque ſtudium tenebat maximum, quo mutuis ſeſe conſiliis ac operis in exercenda poteſtate ſua juvabant, arctiſſimo unionis nexu invicem conſtricti in fide, charitate, religionis cultu, ac omnibus ſanctis officiis, iisque omnibus regiminis ſacri partibus, quibus perfecta & plena conſiſteret totius eccleſiæ per orbem diſperſæ communio. In id omnes conſpirabant, ut ſalva, ac integra conſervaretur auctoritas eccleſiæ contra quoscunque eidem obſtrepentes: tum unitas ac communio contra eos omnes, qui ab ea vel ſeſeipſos legitimæ poteſtati adverſando, abſtinebant, vel abſtenti judicio, ac cenſura præſulum fuerant. Hoc modo communio Sanctorum, pax unitasque eccleſiæ, ac auctoritas ſacri magiſtratus optime conſiſtebat, quando ſeſe invicem in ea defendebant, non oppugnabant, ut quam quis ab una eccleſia ſententiam tulerit, vel a communione extorris factus fuerit, toti eccleſiæ mox ligaretur, pariterque obſtrictus teneretur, ac cauſa uniuscujusque eccleſiæ communis totius chriſtianitatis duceretur, ſolis illis excluſis,

qui

qui moliendo contra legitimam auctoritatem aliquid ausi fuissent. *Pereant sibi soli*, in ejusmodi causa ait S. CYPRIANUS(*a*), *qui perire voluerunt. Extra ecclesiam soli remaneant, qui de ecclesia recesserunt. Soli cum episcopis non sint, qui contra episcopos rebellarunt.* In judicio, auctoritate, unitateque episcoporum sibi arctissime junctorum communionis istius per totam ecclesiam ratio decurrebat litterarum communicatoriarum officio, quando locus vel occasio conventuum deerat, in quibus communio potestatis ecclesiasticæ insigniter resplendebat; ut tamen non minus per litteras ista communicatio obtineretur unius catholicæ ecclesiæ. Qua de re ad CORNELIUM scribens S. CYPRIANUS ostendit, quanta cura teneretur, ad CORNELII communionem contra NOVATIANUM stabiliendam. *Ut te*, CORNELIUM alloquitur, *universi collegæ nostri, & communicationem tuam, id est, catholicæ ecclesiæ unitatem pariter, & charitate probarent firmiter, & tenerent.* Hic eodem argumento ad ANTONIANUM de ejusmodi litteris, quibus invicem mutuam communionem contestabantur eodem modo scribit, jubens exemplum ejusmodi lit-

(*a*) Epist. XL. ad plebem de 5. presbyteris schismaticis.

terarum ad CORNELIUM transmittere, *Ut*, ſcribit, *depoſita omni ſollicitudine jam ſciret te ſecum, hoc eſt, cum catholica eccleſia communicare.*

Ex ſententia SS. Patrum.

II. Scio, quam vim ac robur inſignes catholici doctores his S. CYPRIANI ſententiis inditum tueantur ad eccleſiæ Romanæ cum eccleſia catholica eandem ac individuam conſociationem, ut idem ſit communicare cum eccleſia catholica, ac Romana. Nec me latet, quid excipere contra ſoleant hoſtes æque eccleſiæ catholicæ ac Romanæ: Catholici enim ad unum omnes, quam adverſo etiam alias ſint in Romanum Pontificem animo, atque ejus potentiam deprimere ſtudeant, in hoc hactenus conveniunt, eandem eſſe eccleſiæ catholicæ ac Romanæ communionem. Neque aliter unquam exiſtimaſſe veterem eccleſiam, ipſumque CYPRIANUM, ſi non invicte probetur ex allatis textibus, collatis tamen aliis compluribus inconcuſſum manet: eum non ſolum pro illis rerum circumſtantiis tenuiſſe, eandem eſſe eccleſiæ Romanæ Pontifice CORNELIO communionem, quæ eccleſiæ catholicæ, verum etiam unitatis eccleſiaſticæ radicem fontem ac centrum in cathedra PETRI cum tota retro antiquitate collocaſſe: quatenus *DEUS unus eſt, & Chriſtus unus, & una eccleſia,*

ſia, & cathedra una ſuper petram Domini voce fundata, ut loquitur S. Pater (*a*): Neque etiam ſimiles, ſuperius allatis S. CYPRIANI ſententiis, deſunt, in quibus promiſcue pro eccleſiæ catholicæ communione Romana accipitur. SATYRUM fratrem ſermone de obitu ejusdem refert S. AMBROSIUS, advocaſſe ad ſe epiſcopum percontatumque ex eo eſſe, utrum nam cum epiſcopis catholicis, hoc eſt, cum Romana eccleſia conveniret. Erat tunc illis in partibus periculum a ſchiſmate Luciferiano; a quo ſe immunem declarabat, qui in communione Romano-catholicæ eccleſiæ ſe eſſe profitebatur. Id quod ipſum, quoties ſchiſma aliquod eccleſiam ſcindebat, pariter obſervatum fuit; ut vera eccleſia Romanæ tanquam centro unitatis adhæreret, hocque indicio vera a falſa diſcerneretur, DEO ita eccleſiæ contra ſchiſma providente: in qua una cathedra, juxta S. OPTATUM *Mil. L. II.* unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent. Nec aliter ſe S. HIERONYMUS ex orientalium ſchiſmate extricabat, quod Meletianum dicitur, diſtinctum ab Alexandrino, de quo in concilio Nicæno. *Beatitudini tuæ*, ſcribit ad DAMASUM, *id eſt, cathedræ Petri* a.

(*a*) S. CYPR. Ep. XL. ad plebem de quinque &c.

communione confocior. Et poſtea : *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit.*

Ac Doctorum etiam recentiorum.

III. Hæc atque infinita alia, quæ opus non eſt iterum inculcare, catholicos omnes in id conſpirare oſtendunt, eſſe eandem eccleſiæ Romanæ & catholicæ communionem. Ipſe *Edm.* RICHERIUS, quæ differuit Card. PERRONIUS ad epiſt. CASAUBONI de neceſſitate unitatis eccleſiæ retinendæ & communicandi cum eccleſia catholica apoſtolica, & Romana matrice, dilaudat in append. ad T. I. hiſt. conc. general. ill. BOSSUET idem confitetur. (*a*) *Certum eſt*, inquit, *Romanum Pontificem a DEO eſſe poſitum, qui catholicæ ſocietatis communionisque eſſet vinculum. Stat ſemper invictum illud Optati de Romano Pontifice : cum quo nobis totus orbis unitatis in ſocietate concordat ; & illud Hieronymi ad Damaſum, qui tecum non colligit, ſpargit ; & illud Cypriani, illud Ambroſii, illud omnium, ut cum epiſcopo Romano, id eſt, cum eccleſia catholica communicemus.* Scribit hæc ill. Præſul eo in opere, quo eccleſiæ, atque collegii epiſcopalis auctoritatem contra Romani Pontificis jura defendit. Nec diſſentiunt libertatum Gallica-

(*a*) Defenſ. declar. cleri Gall. P. II. Lib. XV. c. 32.

licanarum, quas vocant, defenſores. Inter hos *Antonius* HOTTMANNUS (*a*) agnoſcit in primatu Romanæ cathedræ vinculum eſſe unitatis eccleſiaſticæ propter omnium membrorum compaginationem cum capite: *Si capite enim*, ait, *orbetur eccleſia, tum antiſtites quilibet ſparſim per orbem ſuæ ſolertiæ indulgebunt & ad libidinem ſuam propoſitiones alias, & alias pugnantesque in eccleſiam invehent, atque ita religionem catholicam diſſipabunt.* Atque hæc in cauſa ſunt, quod, ſi quando hanc eccleſiam ſchiſmate turbari contigerit, tantopere ejus conciliationi allaborarit univerſus chriſtianus orbis; ut conſtat primo, & ultimo omnium pertinaciſſimis ſchiſmatibus NOVATIANO, & magno illo ſæc. XIV. & XV. In epiſtola ſynodi Aquilejenſis ad imperatores adverſus antipapam Urſicinum a S. AMBROSIO perſcriptam hæc habentur: *Totius orbis Romani caput Romanam eccleſiam atque illam ſanctam apoſtolorum fidem, ne turbari ſineret, obſecranda fuit clementia veſtra. Inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant.* a.

IV. Illud vero paradoxum atque contra antiquitatis rationisque ſenſum eſſe videtur, ut agnoſcatur quidem neceſſitas communionis cum PETRI cathedra, Romano- Quæ unio maxime in rebus fidei ſeſe demonſtrare debet.

(*a*) Libertez de l'Egliſe Gall. p. 312. &c.

manoque Pontifice ; cauſæ tamen eſſe poſſe dicantur , ut neceſſe ſit illius communionem deſerere, ſi in Romano Pontifice fides deficiat; liceatque tunc ei impune non obedire: cum communio chriſtiana in nulla re magis, quam in unitate conſenſioneque fidei ſeſe exerat. Ipſe agnoſcit ill. BOSSUET in celebri fidei expoſitione art. 21. eoquod ſedes apoſtolica centrum ac radix unitatis ſit, deberi PETRI ſucceſſoribus obedientiam, eam quam concilia ac Patres ſemper agnoverint. De rebus fidei agens *Jo.* GERSON *de conc. gen.* quæ eadem debet eſſe apud omnes, *Et hæc*, ait, *identitas & unitas vix aut nunquam perpetuari poteſt, niſi recurſus eſſet finalis ad unum caput.* Nec cum RICHERIO ordinem a regimine diſtinguere licet, ut illius ſolum non hujus gratia Romani Pontificis primatus inſtitutus eſſe dicatur. Qua ſua in opinatione eo etiam proceſſit , ut Papam dumtaxat ſymbolum & figuram ejusmodi unitatis , & primum miniſtrorum Chriſti & eccleſiæ edixerit contra Card. PERRONIUM in appendice *T. I. hiſt. conc.* Quod commentum a Græcis ſchiſmaticis eſt mutuatus, qui itidem ordinis conſervandi cauſa eminentem honoris magnitudinem Romanam ſedem a beatis Patribus adeptam dicunt, ut NILUS *Theſſal.* habet de primatu

matu Papæ: ſic demum dictorum ſummam concludens, atque totam tractationem claudens (*a*). *Summa dictorum hæc eſt: Quamdiu quidem Papa ordinem ſervat, & cum veritate ſtat; a primo & proprio principatu non removetur, & caput eſt eccleſiæ, & ſummus Pontifex, & Petri reliquorumque apoſtolorum ſucceſſor; omnesque ei obedire oportet, nihilque eſt, quod ipſius honori detrahat. Si vero quum ſemel a veritate receſſerit ad eam redire noluerit, damnatorum pœnis erit obnoxius.* Huc tandem rediguntur, qui Pontificis tanquam unitatis centri auctoritatem retractabilem eſſe putant, ac errori obnoxiam; in quem ſi forte inciderit, jam ei adhærere piaculum erit, deſinetque eſſe unitatis centrum. Quomodo enim unitus eſſe ei tuto ſemper conſtanterque quis poteſt, qui aliquando aliam ac illi fidem tenere, atque ab illius obedientia recedere ſibi non liberum tantum, ſed neceſſarium eſſe confiteatur: cum primum unitatis vinculum fidei unitas ſit, atque agnita fuerit ab illis in cathedra PETRI, qui omnibus retro ſæculis unitatis neceſſitatem cum eccleſia Romana luculentis teſtimoniis aſſeruerunt. Mirum eſt ergo jam aliter ſentire complures de ſummis

a.

(*a*) NILUS *Theſſal.* apud GOLD. Monarch. T. I. p. 39.

ſummis Pontificibus. *Nec cogitare eos eſſe Romanos*, ut S. CYPRIANI verbis u-
a. tar (*a*), *quorum fides apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Dubitandum itaque non eſt, ſummum illum, & *inter magiſtros ma-*
b. *giſtrum*, ſic eum vocat CASSIANUS (*b*): *Qui Romanæ eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habet, ita & ſacerdotii principatum, ac viciſſim uti ſacerdotii, ita fidei:* cui ſi ſe unire debet eccleſia, ſi ei obedire, non alienam poteſt a ſua profiteri fidem: cum eccleſia una potiſſimum ſit ob unam fidem; DEO id eccleſiæ ſuæ præſtante, ut in hanc unitatem ſemper conſpiret cum centro ſuo ac capite eccleſia, quoties aliquid definiendum. Sic in Epheſina ſynodo acclamarunt agnoveruntque Patres: *Unus Cæleſtinus, unus Cyrillus, una fides ſynodi.* Quæ hic paucis ſunt complexi Patres Epheſini, Gallicani præſules nuper in negotio Janſeniano pluribus expreſſerunt, uti habent ipſa verba ad collegas epiſcopos, ubi teſtantur de conſtitutione Pontificis ad eos perlata: *Epiſcopos congregatos, ut deliberarent, quid in hoc negotio facto opus eſſet, uno ſpiritu, uno corde, uno ore ita conſenſiſſe ad recipiendum illius judicium, cui per unita-*

(*a*) Epiſt. LV.
(*b*) De Incarn.

unitatem chriſtiani epiſcopatus hierarchica ſubordinatione colligati eſſent ; ut merito crediderint propoſitionum condemnationem una cum eo a ſe quoque prolatam ac pronunciatam. Innuunt hic tacite præſules, quod olim in cauſa PHOTII pro Romani Pontificis ſententia Patres Cpolitani edixerunt: *Sanctus enim*, ajunt (*a*), *Spiritus, qui locutus eſt in ſancta Romanorum eccleſia, credimus, quod & in noſtris eccleſiis loquutus extiterit.* Nec decepti ſunt opinione ſua, quamdiu conjuncti cum centro unitatis fuerunt, atque ita in communione eccleſiæ catholicæ conſtiterunt, in qua, qui colligantur ſacri hierarchæ, ducti Spiritus ſancti inſtinctu, unam ſemper anunciabunt, deprædicabuntque fidem. Ad præſens vero argumentum cumprimis facit, quod præſules illi Gallicani paulo ante laudati referunt, in eadem ad collegas epiſtola, cur in oblata materia de fide primi ſententiam non ferrent. *Ne id facerent*, ajunt, *epiſcopos qui Papam conſuluerant animorum diſſenſionibus fuiſſe prohibitos.* Ita ergo Chriſtus unitati eccleſiæ ſuæ conſuluit, inſtituto unitatis centro, ob diſſenſiones ac ſchiſmata, ut conſtanter veteres aſſerunt. D. THOMAS (*b*) editionem ſymboli hanc ob cau- a. b.

(*a*) Act. VI. Conc. Conſt. IV.
(*b*) S. THOM. 2. 2. q. 1. art. 1. in corp.

cauſam ad ſummi Pontificis auctoritatem refert : *Quodque ad ejus auctoritatem pertineat finaliter determinare, ea quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur ; quod unitas ſervari non poteſt, niſi quæſtio fidei determinetur per eum, qui toti eccleſiæ præeſt, ut ſic ejus ſententia firmiter a tota eccleſia teneatur.*

Pontificisque auctoritatem ſummam in eccleſia comprobat.

V. Quæ cum ita ſint, ſitque in unitate eccleſiæ fidei unitas palmare caput, ego quidem non percipio, qua ratione neceſſitas communionis cum cathedra PETRI ſtatui poſſit, ſi in ea ſedens ac docens a fide deficere, atque adeo neceſſitas incumbere poſſit, hoc unitatis vinculum abrumpendi. Hunc nodum ut ſolverent Galli, diſtingunt inter ſedem & ſedentem in hunc non in illam errorem cadere poſſe, illamque cathedram ſcilicet, ſedem ac eccleſiam eſſe volunt, quæ pro ſui Pontificis dignitate, uniendæ eccleſiæ neceſſaria, numquam a vera eccleſia, numquam a vera fide abrumpatur. Ita
a. rem explicat BOSSUET (*a*), cujus doctrina proin, ut clarior evadat, eam verbis ipſius explicabimus. *Neque*, ſcribit ille, *propterea dicimus, ipſam ſedem aliquid exercere poſſe poteſtatis, aut jurisdictionis, aliter quam per ipſum præſidentem, ſed ſi præſidens*

(*a*) Defenſio declar. cleri Gall. P. II. L. XV. c. 5.

ſidens erraverit, errorem eum ſtatim repellendum, neque coaliturum. Neque vero diſtinguimus a Romanorum Pontificum fide, Romanæ eccleſiæ fidem, quam ſcilicet non aliter quam a Petro, atque a Petri ſucceſſoribus Romani didicerint Neque huic fidei oberit, ſi aliquot Pontifices officio defuerint, atque a vera fide, eique injuncta fidei profeſſione ac prædicatione aliquando aberrarint: ſtat enim Romana fides ab eorum anteceſſoribus ſtabilita, ab eorum ſucceſſoribus ſtatim vindicanda, ut factum in Liberio, Honorio aliisque vidimus, nullo Romanæ fidei, aut Romani primatus detrimento. Etſi enim, inquit Leo (a), diverſa nonnunquam ſunt merita præſulum, tamen jura permanent ſedium: quanto magis permanent jura in ſedem apoſtolicam per Petrum, auctore Chriſto collata. Accipiendi ergo Romani Pontifices tanquam una perſona Petri, in qua nunquam fides penitus deficiat, atque ut in aliquibus vacillet, aut concidat, non tamen deficit in totum, quæ ſtatim revictura fuit: nam & Petrus negavit, & incredulus fuit, poſtquam etiam audivit illud: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: *ſed ſtatim exſurgit, confirmaturus fratres, atque omnium nomine communem prædicaturus fidem, ſicut in Actis legimus; ſit ergo* 2.

(a) Epiſt. LXII. ad Max.

go in Leone; ſit in Agathone, ſit in aliis egregiis Pontificibus Petrus fratres confirmans. Sit etiam in Liberio, ſit in Honorio, Petrus ad horam nutans, & negans: ſed ſtatim reſpiciente Domino convaleſcens, ſeque ipſo validior; ut firmitudini Domino providente, etiam lapſus ipſe ſerviat. Hæc integra exſcribere operæ pretium fuit, ut conſtet, ſi velitationes contentioſitatem atque involucra ſcholarum demantur, vix Ultramontanos diſcrepare, nec tantam opinionum, quanta eſt alpium eſſe inter eos ſejunctionem. Quam illuſtriſſimus præſul inter PETRUM & Romanos Pontifices errantes inſtituit comparationem, declarat de Infallibilitate Pontificum facile poſſe conveniri: quis enim non Pontificem cum PETRO ſe contendi ſinat, cui infallibilitatis donum nemo neget, quem omnes afflatu Spiritus ſancti gaviſum Catholici credunt? Id unum ſupereſt, ut, quam diſtinctionem facit inter ſedem & ſedentem, eam ad id redigat, qua ſedens non ſedis doctrinam, ſed privatam ſuam ſequitur. Id eſt, quando non loquitur ex cathedra: id enim ex cathedra loqui exiſtimamus, ſi Pontifex eccleſiæ ſuæ, cathedræ ac ſedis doctrinam proponit: quod dum fit, ſatisfit votis BOSSUETI, qui errori nulli perviam ſtatuit cathedræ ac

eccleſiæ

eccleſiæ Romanæ fidem. Erit ergo etiam ab erroris periculo immunis Pontificis ſententia, ſi ſit ipſiſſima eccleſiæ ac ſedis ſuæ: id eſt, quando loquitur ex cathedra. Pontificis enim eſt docere; fidelium autem dictis eſſe audientem, non fidem præſcribere.

VI. Hoc fundamento nititur id, quod a ſucceſſione epiſcorum antiqui omnes SS. Patres, nosque hodie adverſus Proteſtantes urgemus argumentum pro veritate Catholica ac traditione: Quo de poſtea differendi locus erit. Nunc ex S. CYPRIANO (a) id tantum ad rem præſentem annotamus; ſi, ut illis videtur, doctrina potius in ipſa eccleſia, quam in ejus præſide conſtans & inconcuſſa putetur, id teneri, quod S. Martyrfontem hæreſum ac ſchiſmatum omnium aſſeruit. *Neque enim*, ait ille, *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti DEI non obtemperatur. Nec unus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundum divina magiſteria obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum ſacerdotum collegium quidquam moveret &c. nemo diſſidio unitatis Chriſti eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens & tumens ſeorſim foris novam hæreſin conderet.*

Dummodo legitima ſpectetur in ſede, quæ eſt centrum unitatis, auctoritas.

a.

G S. ergo

(a) L. I. Epiſt. 3.

BAYER. STAATSBIBL. MÜNCHEN

S. ergo CYPRIANUS non ab eccleſia, ſed ab ejus epiſcopo, non a ſede, ſed a ſedente, non ſolum unitatis fontem repetiit, ſed etiam aliter agere originem hæreſum ac ſchiſmatum exiſtimavit. Idem alii antiqui omnes præſtiterunt, eccleſiarum fidem & unitatem ab eorum præſidentibus colligentes. Cui nihil officit, quod alii aliis decedentibus ſuccedant: quæ enim ex diſtantibus conſtant, eadem manent, etiamſi decedentibus aliis alii in eorum locum ſuccedant. Quod hic maxime locum habet, ubi ſedes, quæ ex ſe muta eſt, a ſedente non diſtinguitur, hoc eſt Papa a papatu, ut rem exprimit Jo. GERSON: *Congregatio eccleſiaſtica*, inquit (*a*), *dici poteſt habere duplices partes integrantes eam, quædam ſunt fluentes, quædam permanentes, & ut ita loquamur eſſentiales. Primæ ſunt ipſæ perſonæ mortales conſtitutæ in graduum varietate. Aliæ ſunt ipſimet gradus dignitatum & adminiſtrationum. Exemplum in Papa & papatu, in epiſcopo, & epiſcopatu, & ſimilibus: Papa fluit, papatus ſtabilis eſt.* Quæro jam, an papatus ſit ipſe cœtus fidelium, ſeu eccleſia Romana, an vero dignitas pontificia ac papalis? Quod hic certe agnoſcit GERSON, & res ipſa loquitur. Hic ergo radix unitatis eccleſiaſticæ collocan-

a.

(*a*) Propoſit. coram Anglicis conſid. IV.

locanda eſt, quia iſtic poteſtas legitima a Chriſto PETRO ejusque ſucceſſoribus conceſſa reſidet, non in ipſa eccleſia ſeu fidelium cœtu, penes quem etiam non recte ſedes ac cathedra, quæ ad præſides ſpectat, conſtituta dicitur. Neque epiſcopi ſuam auctoritatem a fidelibus ſibi ſubditis repetent, ſed ipſi potius collegium apoſtolorum repræſentantes, illis credenda, agendaque dictandi ac præſcribendi poreſtatem vindicabunt. Cur igitur quod jus, fasque habent epiſcopi apoſtolorum ſucceſſores, ſucceſſoribus PETRI denegant? Niſi cum RICHERIO dicere velint, claves primario eccleſiæ eſſe datas. Quo principio collocato, ipſe magis conſequenter loquitur, acuteque vidit, quod alii aut non vident, aut diſſimulant: qui licet poteſtatem eccleſiæ ſtatuant eſſe immediate hierarchiæ eccleſiaſticæ, apoſtolis ſuccedenti, datam, & hoc revera etiam tueantur penes collegium epiſcoporum, quoad Romanum Pontificem tamen aliam ineunt viam, atque eccleſiam in apicem auctoritatis collocant, quæ eſt in eccleſiæ præſide; prærogativamque integritatis fidei eam, quam negant Pontifici, ejus eccleſiæ attribuunt. Id quidem & nos quodammodo admittimus, quoad *paſſivam* nimirum *indeficientiam*, qualis in eccleſia

Romana, ſicut in eccleſia per orbem diſperſa, per divinam providentiam ſemper futura ſit; quatenus fideles docibiles ſemper & audientes erunt, in ſede ac cathedra docenti veram fidem: quod activam præſupponit in cathedra, utique non vacua, ſed ſedentem, atque ex cathedra loquentem complexa. Aliud enim hic extundi nihil poteſt, diſtinctum in ſede ac ſedente, quam cum RICHERIO eccleſia, vel nobiſcum Pontifex: quidquid ſit de Pontifice ut privata perſona: qua de re poſtea viderimus. Nunc de eo loquimur, ut in cathedra ſedentem, ex cathedra loquentem, ac ſi ita dicere liceat vivam cathedram agnoſcamus: quam nos unitatis centrum dicimus, ac indeficientem nobiſcumque etiam Galli, ſed paulo diverſa cathedræ notione: quamvis niſi in RICHERII ſyſtemate potius in nomine, quam re ſit diverſitas; ut adeo magni ſit facienda

a. iſta profeſſio Meldenſis: *Quæ*, inquit (*a*), *cathedra, ſi concidere poſſet, fieretque jam cathedra non veritatis, ſed erroris, & peſtilentiæ; eccleſia ipſa catholica non haberet ſocietatis vinculum, jamque ſchiſmatica, & diſſipata eſſet, quod non eſt poſſibile.*

Quod qui minus attenderunt,

VII. Ex quibus omnibus etiam illud eluceſcit, quanta ſit eccleſiam inter catho-

(*a*) Def. declar. cleri Gall. P. II. L. XI. c. 6.

tholicam & Romanam neceſſitudo, ut qui ab hujus communione ſit extorris, ab illa alienus ſit. Ut fruſtra in eccleſia eſſe ſe glorietur, qui a PETRI ſede ſegregatus, ab unitatis origine receſſerit, fidei periculo facto: *Qui eccleſiæ renititur, & reſiſtit*, ſunt ſæpe laudati S. CYPRIANI verba, *qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt eccleſia, deſerit, in eccleſia eſſe confidit?* Et ut S. OPTATUS *Mil.* (*a*) loquitur, *ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.* Hoc in omni caſu valet, quo unitas eccleſiæ colligata conſiſtit; ne quis hæc ad ſingularem ſchiſmatis ipſam Romanam ſedem dividentis eventum reſtringat: ut ſedi ſuæ non nimium tribuerit Pontifex BONIFACIUS I.(*b*) in hunc modum ſcribens: *Hanc eccleſiis toto orbe diffuſis velut caput ſuorum certum eſt eſſe membrorum, a qua ſe quisquis abſcidit, fit chriſtianæ religionis extorris, cum in eadem non cœperit eſſe compage.* Ipſam illam epiſtolam exorſus, hanc inſtitutionem univerſalem naſcentis eccleſiæ in honore B. PETRI eſt profeſſus, in quo regimen ejus & ſumma conſiſtat. Quid celſius fuerat patriarchalibus Orientis eccleſiis? ut primum tamen ſe a communione Romana abſtinuerunt, ab eccle-

ab eccleſia cito ſunt abſciſſi.

a.

b.

(*a*) L. II. contra PARM. (*b*) Ep. XIV.

ſiæ totius compage, & fide abiiſſe probati ſunt, contra vero eccleſiæ communione eadem ſemper perſiſtente, quæ Romanæ. Hanc poſt multa ſæcula poſteriori tandem ævo luculentius obſervatam, omni tempore eodem vigore florentem fidei conſtantiam, & indeficientiæ prærogativam, qua reliquæ maximæ eccleſiæ deſtitutæ, collapſæ ſint, Romana ſemper inconcuſſe ſteterit, probe perpendiſſe e re cumprimis eſt. *Nicolaus* de Cusa prima ſuarum epiſtolarum hoc egregie illuſtrat: allato enim eo argumento, quo vetuſtas omnis uſa eſt, ex ſucceſſione epiſcoporum apoſtolicæ ſedis, omnia colligit, quæ dici in hanc rem poſſunt. Nec pigebit argumentationem ejus exſcripſiſſe hic, legiſſeque.

a. (a) *Cum populus*, inquit, *adhærens Pontifici, particularem conſtituat eccleſiam, & cum unus ſit per orbem principatus, qui ſuo priori adhærere debeat, Romanæ ſcilicet ſedi: erit neceſſario catholica eccleſia illa, quæ primæ ſedi Petri adhæret. Et licet ſæpe multi ſchiſmatica diviſione ab illa Romana eccleſia receſſerint; nunquam tamen fuit, quin major fidelium numerus in unitate illius Romanæ eccleſiæ ex fidelibus, & primo epiſcopo compactæ, perſeveraret. Quare in ea noſtræ ſaluti neceſſaria remanſit hactenus,*

(a) *Nic.* de Cusa Epiſt. I.

nus, & remanebit veritatis columna. Hujus ſtabilis veritatis exempla plura legimus, quoties aliæ eccleſiæ, maxime Cpolitana, a fide erraverit; & ab ipſa Romana fatua præſumtione ſe abſciderit; & demum ad unitatem ipſius & obedientiam reducta ſit. Ita de Alexandrina, & aliis patriarchalibus ſedibus paria plura inveniet. Nullum tamen eorum de Romana eccleſia, aut quod ipſa unquam a fide erraverit, aut per quamcunque ſedem fuerit reducta, comperiet. Sed ſicut aliæ ab ipſa aliquoties receſſerunt, in erroremque ceciderunt: ita per principatum fortiſſimum Petri debiles demum confortati in fide, ad ejus unionem reducti ſunt. Unde infallibilitatis refugium eſt, in unione eſſe cum principe in eccleſia, qui omnis principatus ſpiritualis tam Petri inter apoſtolos, & Judæos, quam Pauli inter gentes ſucceſſor. Quia occidentalis eccleſia præ oriente ita fuit perſuaſa, atque arctius eccleſiæ Romanæ adhæſit, eamque auſcultavit, minus etiam turbata fuit, ac firmior in fide ſtetit. Gloriatur de hac re PAULINUS Aquilejenſis (*a*). *Nos intra terminos apoſtolicæ doctrinæ, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ firmiter ſtamus, illorum probatiſſimam auctoritatem ſequentes, & ſanctiſſimis inhærentes doctrinis.* Nec alia totius occidentis longo ſæculorum decurſu

(a) Lib. I. contra FELICEM.

fuit perſuaſio, ac mens vel ipſis etiam hæreticis, quamdiu necdum omnem perverterunt animum, ſenſumque. Sic PELAGIUS ad finem libelli ad INNOCENTIUM Papam deſtinati, ſucceſſori ejus ZOSIMO exhibiti, ſuæ fidei expoſitionem continentis, *In qua*, inquit, *ſi minus perite, aut parum caute aliquid forte poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri, & fidem, & ſedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicunque me maculare voluerit, ſe imperitum vel malevolum, vel etiam non catholicum non me hæreticum comprobabit.* Primus qui Romanam ſedem in occidente conculcarit poſt mille demum chriſtiani nominis annos BERENGARIUS fuit, de quo

4. LANFRANCUS (*a*): *Traditus in reprobum ſenſum ſanctam Romanam eccleſiam vocas eccleſiam malignantium, conſilium vanitatis, ſedem ſatbanæ. Et hoc impio ore garriviſti, quod garriviſſe nemo legitur, non hæreticus, non ſchiſmaticus, non falſus aliquis chriſtianus.*

Oriens totus huic malo ſuccubuit, occidens autem ex parte.

VIII. Peſſime hactenus ceſſit occidenti a reverentia, obedientiaque Romanæ ſedis aliena admiſiſſe principia, monſtra præſertim doctrinæ, cavillationibus horrendis ac blaſphemiis referta: qualia certe in oriente ſunt inaudita, etiam poſtquam animum a fidelitate in Romanam

(*a*) L. de Euchariſt.

ſedem

ſedem alienavit. Prima, parvis initiis illic orta, ruinæ ſplendidiſſimæ illius eccleſiæ cauſa fuit, quod cenſuras eccleſiæ Romanæ parvipenderit, ac contempſerit, in animum ſibi inducens, communionem eccleſiæ catholicæ ſeſe retenturam, etiamſi Romanæ eccleſiæ non cohæreat, quæ ſemel convellendo repagula, in eum, quo nunc jacet, eſt collapſa miſerrimum ſtatum, atque exciſionem. Hoc NICOLAUS I. ſcribens (*a*) ad imperatorem MICHAELEM egregie expreſſit: cum is exiſtimaret contra Pontificis ſententiam damnantis PHOTIUM, IGNATIUM reſtituentis, ſeſe retenturum eccleſiæ communionem. *Sed dicis o imperator*, inquit, *etiam ſine conſenſu noſtro Photium & eccleſiam retenturum, & eccleſiæ communionem habiturum, Ignatium vero nihil per nos meliorationis adepturum. At nos e diverſo credimus, quod eccleſia Chriſti ſacros canones, & præcipue Nicænos, non tradat oblivioni, præcipientes videlicet, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Credimus etiam, quod diu membrum incolume non ſubſiſtat, hærens membris capiti non hærentibus. Poſtremo credimus, quod cætera membra ſi tamen affectant vivere, caput quandoque ſequantur.* Hoc idipſum eſt, quod S. CYPRIANUS ſolito eloquentiæ flu-

2.

3

(*a*) Epiſt. IX.

mine expreſſit libro de unitate eccleſiæ: *Avelle radium ſolis a corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non potuerit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcit. Sic & eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit.* Hæc autem unio quomodo ex ſententia D. Cyprianı ab uno incipiat, ſatis a nobis eſt expoſitum hactenus. Funeſta experientia ſemper edocuit, exaruiſſe, qui ſeſe ramos, ac rivos ab hac radice, ac ſcaturigine ſejunxerint, contra hactenus vigorem eccleſiæ catholicæ retinuiſſe, qui huic ſedi individui adhæſerunt. Quod jam olim antiſtites Galli obſervarunt, atque hinc de ſuæ eccleſiæ flore conſtanti gloriati ſunt. Poſtquam enim hujus
a. rei exempla laudarunt, ſic colligunt (*a*): *Unde datur intelligi, ſanctos, & eruditos viros, per diverſas mundi partes, prædicationis, & ſcientiæ lampade corruſcantes, non ſolum a ſancta Romana eccleſia non receſſiſſe: ſed etiam tempore neceſſitatis ob fidei corroborationem ab ea adjutorium implorasſe. Quod regulariter omnes catholicæ debent obſervare eccleſiæ, ut ab ea poſt Chriſtum ad muniendam fidem adjutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentoſa hæreſum capita calcat, & fi-*

delium

(a) Vol. Carol. L. I. c. 6.

delium mentes in fide corroborat. A cujus ſancta & veneranda communione multis recedentibus, noſtræ tamen partis nunquam receſſit eccleſia. Securitatem iſtam eorum, qui hæc unitatis conſervandæ conſilia, adhærentes illius centro, ſunt ſecuti, periculum contra & caſum illorum, qui his præſertim temporibus in occidente ſeceſſionem fecerunt, exempla triſtiſſima docent. A quo enim tempore occidens etiam in variis ſuis partibus, ut prius totus oriens, jugum, ac communionem eccleſiæ Romanæ abjecit, in ſectas varias diſciſſa eſt, non ſolum cum eccleſia catholica, ſed etiam ſecum ipſis pugnantes. Sectæ hæ quidem nihil non egerunt, ut ſuas partes & factiones tuerentur, tum cauſis cum exemplis ſeparationem ſuam defendentes; ſed dum has ipſas partes, ac factiones inter ſe multiplicant, contra ſeipſos præjudicium faciunt, ſententiamque pronunciant, unitatem eccleſiæ ac fidei non conſtare ſine centro unitatis. Exempla quod attinet, nullum hactenus attulerunt, quo, facto diſcidio, alia eccleſiæ catholicæ, alia Romanæ effecta ſit communio, aut quo probent reliquas eccleſias non ſemper ſibi duxiſſe eccleſiæ Romanæ tenere communionem. Quod enim de MELETIO in medium adducunt, qui ſanctitatis fama cele-

celebris in communione orientis ſola, excluſus a Romana, vixerit, ad rem non eſt, qui communionem ſuam cum Romana ſede alte profeſſus eſt; nec qui ei communicarunt a communione eccleſiæ Romanæ abſtinuerunt, aut abſtenti ſint, licet eccleſia Romana PAULINO communicaret, exemplo non inaudito, ut in una eccleſia œconomiæ gratia plures tolerarentur antiſtites. (*a*)

a.

Turbæ Quesnellianæ demonſtrant, quam ſit unice tutum hærere ad centrum unitatis,

IX. Qui hodie ob bullam *Unigenitus* factiones fovent in Galliis, hoc maxime exemplo ſchiſmatis Meletiani abutuntur, quo vel id obtineant ſaltem, ut ſuo arbitrio relinquantur, donec res per concilium œcumenicum, aut communem totius eccleſiæ conſenſum in rem judicatam tranſeat. Sed neque nunc poſtquam non modo reliquarum per orbem regionum epiſcopi, ſed etiam maxima Galliarum pars judicio Pontificis in damnatione CI. propoſitionum QUESNELLI acceſſit, huic ampliſſimæ auctoritati concedere volunt. Experiuntur jam id epiſcopi Galli in ſuis ovibus ac ſubditis, qui id moliuntur contra decreta ſua, quæ ipſi in ſummi Pontificis auctoritatem præſumſerunt. Incipit, quo hæc ſcribo tempore, res in apertum bellum erumpere, novique quotidie ad nos afferun-

(*a*) Vid. *Lud.* THOMASIN. Diſſ. 16. in concilia.

feruntur nuncii motuum ac turbarum quibus totum regnum cum ſchiſmatis periculo concutitur. Flagitant epiſcopi, qui bullam acceptarunt, a ſuis ſchedas, quas vocant *Billets de Confeſſion*, quibus teſtatum ſit, ſe receptioni bullæ conſenſiſſe; quas niſi exhibeant, Sacramentis eis, etiam viatico interdicitur. Magnus eſt numerus eorum, qui diem ſuum extremum obierunt parochi præſertim & ſacerdotes deſtituti ejusmodi ſchedis: neque animum inducere valent, ut bullæ ſubſcribant, Sacramentis omnibus privari potius ſuſtinentes, quam Pontifici ſuisque epiſcopis obedientiam deferre in damnatione propoſitionum QUESNELLI. Vident jam Gallicani præſules, æque a ſuis ſibi negari obedientiam, quam Pontifici. Vident, quam parum paci eccleſiæ Gallicanæ conſultum ſit, poſtquam anteceſſorum ſuorum reverentia in ſummam ſedem diminuta eſt. Vident, quam arctiſſime epiſcoporum auctoritas cum ſummi Pontificis prærogativis ſit colligata. Tam acriter repugnantes ſibi jam patiuntur ſuos, quam antea Pontifici: qui ſuo ſe judicio relinquendos volunt, donec conſenſu totius eccleſiæ, aut concilii œcumenici auctoritate aliquid ſtatuatur.

X. Sed

Aliis propoſitis viis ad finiendos motus haud profecturis.

X. Sed auſim dicere, nec harum viarum unam ad pervicaciam frangendam fore aptam. Conſenſum quod attinet talis jam habetur, qualis in *activa* eccleſiæ infallibilitate poſcitur, quæ a Catholicis omnibus in conſenſione epiſcoporum cum ſummo Pontifice ſtatuitur. Atqui cernimus, jam epiſcopos, paucis exceptis, bullæ Pontificis acceſſiſſe, cohæreregue centro unitatis, non ſolum communione pacis eccleſiaſticæ, ſed etiam ſententiæ, quoad propoſitiones QUESNELLI in bulla notatas. Res igitur ad concilium veniat decidenda, quid futurum ſit, non poſſunt non videre. Sed ut nunc collegio epiſcoporum cohærenti conſpirantique, quoad caput controverſum cum centro unitatis refragandi cauſas comminiſcuntur, idem in concilium auderent; cum utique eadem ſit hæc ſenatus catholici auctoritas, ſive in orbem diſperſi, ſive in concilium congregati. Non vana loquor. Jam non ſemel locum dederunt factionibus his addicti juſtæ ſuſpicionis. Sunt ex illis, qui de conciliis etiam œcumenicis loquentes aſſeruerint, ſcire Pontifices in illis modum tam bellum dominandi inſinuandique ſeſe, ut res ex arbitrio eorum ac voluntate eant. Eſt mihi præ manibus

bus auctor recentiſſimus (*a*), qui nuper- 2.
rime ad judices a rege in hac cauſa delegatos litteras quasdam commentus eſt, quibus eos perſuadeat ad tolerandos ſeſe contra Pontificis ac epiſcoporum ſuorum decreta receptionis bullæ *Unigenitus*. In his accumulat exempla ejusmodi tolerantiæ ac œconomiæ, non ſolum poſt pontificias definitiones, ſed etiam poſt œcumenica concilia. Utitur exemplo controverſiæ de paſchate, rebaptizatione hæreticorum, diverſorum ſchiſmatum ac fidei controverſiarum, quibus, non obſtante epiſcopi Romani ſententia aut communione, œconomiæ locus fuerit, donec judicio totius eccleſiæ res fuiſſet judicata ac finita. Etiam conciliorum œcumenicorum, ac imprimis Nicæni exemplis pugnat, poſt quod non ſtatim ab eccleſia ſint præciſi, qui voce *Conſubſtantialis* uti detrectarint: Epheſini, in quo licet cauſa fidei deciſa, non tamen niſi ſimultatibus & controverſia, præſertim inter CYRILLUM & JOANNEM *Antiochenum* multo poſt mutua collatione finitis, conſenſus orthodoxus evaſerit, paxque & unitas eccleſiæ demum reddita. Idem ex V. & VII. ſynodi hiſtoria

(*a*) La Defenſe de Theologiens &c. contre l'ordonnance de M. de CHARTRES, art. VII. conſeq. 3.

ſtoria tolerantiæ argumentum inſtruit, poſt quæ longo tempore in occidente ob tria capitula, & cultum imaginum diſſenſus fuerit orthodoxorum, nullo pacis ac communionis diſpendio, patienter toleratis iis, qui non ſolum contradixerint, ſed etiam audacter in ſynodos iſtas inveherentur, ut factum in concilio Francofordienſi contra uſum imaginum. Neque ſolum in quæſtionibus facti ejusmodi diſcrepantiam admittit, ſed etiam in rebus fidei, manente interim pacis fœdere, diſſimulato errore.

Divina providentia ad hanc unionem ſuaviter inducente ſummos eccleſiæ paſtores.

XI. Quibus principiis, quæ jam iſti civitate donare volunt, quo tandem deveniatur, nemo non videt? Neque tamen ab illis ſatis cautio præſtari valet, niſi centrum unitatis in communione ſummorum eccleſiæ paſtorum æque in deciſione fidei, quam conſociatione ſtatus eccleſiaſtici agnoſcatur. In quo agente divina providentia veluti recapituletur fides, non obſtantibus, quos inferi portæ adverſus petram eccleſiæ turbas ac fluctus immittant. Quod uti alias ſemper patuit, ita in hac ipſa bullæ *Unigenitus* cauſa egregie eluxit in Gallicana eccleſia, totis niſibus ſeſe adverſus eam opponentibus ipſis etiam epiſcopis, imbutis alia, quam hic urgemus, de centro unitatis in Pontifice Romano, doctrina.

Quæ

Quæ cum diu obſtetiſſet concordiæ collegii ſacri hierarchici inter ſummos eccleſiæ principes epiſcopos & Pontificem, tamen ſuaviter diſponente DEO, atque conciliante animos, paulatim coaluit: eo majore miraculo, quod epiſcopi, retentis ſuis opinionibus adverſus legitimam ſummi Pontificis in eccleſia poteſtatem, tamen ejus judicio acceſſerint, eamque nunc apud ſuos efficacius etiam urgeant, quam ipſi Pontifices: anathemata vibrando, tanquam in publicos peccatores rigorem exercendo, uſque ad privationem ſacramentorum, etiam in articulo mortis. Neque ullis malis, incommodis, ac difficultatibus, quæ maximæ nunc a parlamentis objiciuntur, totumque Galliæ regnum perturbant, mitigari temperarique zelus poteſt paſtorum horumce (a):

(a) „ Des eveques, (invehitur in hunc zelum immerito quidem auctor litterarum ad delegatos a rege judices) qui n'auront, que le fiel „ ſur les lévres, & les foudres dans la main, „ qui ne voudront traiter avec des hommes „ unis a l'Egliſe, mais qui leur paroiſſent „ dans l'erreur ou même dans un ſimple ente- „ tement, que comme avec de pecheurs pub- „ lics, & des gens chargés d'anathêmes, & „ qui cantonés dans certaines regles de ri- „ gueur, ou dans l'attachement a des prati- „ ques arbitraires, ne ſe montreront, que com- „ me de barres inflexibles. „ *Lettres adreſſées a MM. les Commiſſaires &c.*

CAPUT IV.

Cathedræ Petri ceu centri unitatis prærogativæ ſingulares, & auctoritas.

I.

Adhæſiſſe centro unitatis unice proficuum ac neceſſarium.

Quam ſuperiore capite expendimus de centro unitatis doctrinam, non ſolum pulcherrimum ordinem illum atque perfectionem in ſubordinatione ſtatus hierarchici demonſtrat; verum etiam invictum robur ac firmitatem eccleſiæ conciliat eccleſiaſticisque ſanctionibus, rerum ſumma ad unum demum redacta, cui ſumma eſt auctoritas in communione poteſtatis eccleſiaſticæ. Dudum in hoc firmam eccleſiæ baſin ac fundamentum agnovit imperator JUSTINIANUS dum ſubſcriptioni litterarum ad AGAPETUM Papam iterato datarum hæc innectit verba: *Quapropter, ſicut præfati ſumus, ſequentes in omnibus ſedem apoſtolicam, quæ ab ea ſtatuta ſunt prædicamus ac promittimus iſta inconcuſſe ſervari, & compellere, ut juxta tenorem libelli iſtius, omnes faciant epiſcopi: ut ſanctiſſimi quidem patriarchæ ad veſtram faciunt ſanctitatem, metropolitani vero patriarchis; quatenus per omnia ſancta catholica eccleſia noſtra ſuam habeat firmitatem.*

Fallun-

Falluntur ergo qui hic aliam eccleſiæ catholicæ, aliam Romanæ cauſam eſſe volunt, cum unitatis ratio, qua tota eccleſia inter ſe cum centro ſuo compaginatur, alteram ab altera ſegregare non ſinat. Quæ res fraudi ſemper eis fuit, qui ſchiſmata, a ſeipſo regnum eccleſiæ dividendo, ſunt moliti, Græci imprimis, qui Romanam eccleſiam ita particularem eſſe ſibi perſuaſerunt, ut aliarum inſtar poſſit a vera eccleſia exſcindi, atque a recta abire fide. Hoc in eorum ſcriptis poſt ſchiſma contra Romanam eccleſiam editis utramque fere implet paginam. Videndus inter alios BARLAAMI Mon. de principatu Papæ libellus. Qui ſecum perpendiſſe debuiſſent neceſſitatem illam Romanæ eccleſiæ adhærendi, tanquam unitatis centro, ſingularem illi firmitatem afferre, ut nunquam deficiat, ſi eccleſia ipſa firma conſiſtere debeat: unde etiam ſumma accedat neceſſe eſt ſedi huic auctoritas in communione poteſtatis eccleſiaſticæ, qua ſola pax & unitas ſalva eſſe poſſit. Id in concilio Conſtantienſi egregie aſſeruerunt inſignis cardinalium, epiſcoporum, abbatum, theologiæ doctorum, canoniſtarum, jurisconſultorum cœtus & congregatio, quibus examinandi doctrinam WICLEFFI negotium eſt commiſſum. Qui in illam propoſitionem

n. 41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere eccleſiam Romanam eſſe ſupremam inter eccleſias*, ita ſententiam dixerunt: neceſſe eſt, permanente univerſitate chriſtianorum in terris, remanere hujusmodi eccleſiam ſupremam in officio & auctoritate docendi, & præcipiendi, ad quam populum chriſtianum oportet in arduis & difficilibus recurrere & ei obedire: & talis ex quid nominis vocatur, & eſt eccleſia Romana, ubi Papa caput eſt, & collegium Cardinalium corpus; igitur de neceſſitate ſalutis eſt, credere Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter omnes eccleſias. Eſt enim ſupra modum neceſſarium & expediens in univerſitate chriſtianorum per orbem terræ diffuſa, eſſe quamdam permanentem compendioſam communitatem apertam & manifeſtam populis chriſtianis, in qua ſit ſummus principatus eccleſiaſticus in terris, cum auctoritate præcipiendi, docendi, regendi, judicandi, cognoſcendi, & definiendi univerſaliter de univerſa materia catholica, & eccleſiaſtica. Hoc paradoxum Græcis eſt viſum, unde ab eccleſia deſciverunt: cum contra occidens ſemper ſteterit, quando ita unione devotioneque Romanæ eccleſiæ cohæſit. Notavit id ipſe etiam *Jo.* GERSON ſermone coram ALEXANDRO P. in die Aſcenſ. habito, in

quo

quo hæc memoranda dixit: *Græcos mala tempeſtas a ſede Petri disjectos non modo ſchiſmatis, ſed nonnullius etiam hæreſis macula fœdavit. Latinitas ipſa purior, & immaculatior ſedem habet Petri, pro cujus fide ne deficeret, ſpecialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus eſt pro ſua reverentia.*

II. Pertinet ergo ad opera divinæ providentiæ circa eccleſiam ſuam inconcuſſa Romanæ eccleſiæ firmitas indefectibilitasque: quia eidem eccleſia intime eſt innexa, ac conjuncta. *Domus DEI*, inquit *Petrus* BLESENSIS (*a*), *quæ in lapide adjutori ſuper fundamentum apoſtolorum ſtabilita eſt; a Petro, & ſucceſſoribus ejus formam ſemper eruditionis, & ſtatum incolumitatis accepit. Quod enim ſtipiti rami, quod capiti membra, quod radii ſoli, quod fonti rivuli, hoc apoſtolicæ ſedis eminentiæ debent eccleſiæ omnes, quas ubique terrarum religio chriſtiana fundavit.* Atque hæc quidem fuit eccleſiaſticæ antiquitatis perſuaſio, credulitasque; ut ſibi in animum inducerent, DEO inſpirante, agenteque, nunquam concutiendam eam firmitatem, aut ſubreptum iri integerrimo illius judicio. Qua fiducia jam olim S. CYRRIANUS (*b*) nihil eccleſiæ huic timuit a fraudibus eorum, qui Carthaginenſium ſchiſmaticorum

Quia eſt indefectibilis, & inconcuſſa illius firmitas.

a.

b.

(*a*) Epiſt. LXIX. ad URBANUM P.
(*b*) Epiſt. LV.

corum litteras Romam ferebant. *Navigare audent*, inquit, *& ad Petri cathedram, atque ad eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, a ſchiſmaticis & profanis litteras perferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides apoſtolo prædicante fundata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Quod cum antiquiſſimi hi in primæva eccleſia certo tenerent, deinceps ſucceſſu temporis rerum eventus confirmavit. *Hæc quæ dicta ſunt*, ſunt HORMISDÆ P. ad orientales verba, *rerum probantur effectibus, quia in ſede apoſtolica immaculata eſt ſemper ſervata religio. Unde ſequentes in omnibus apoſtolicam ſedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta, ſpero ut in una communione vobiſcum, quam ſedes apoſtolica prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra & verax chriſtianæ religionis ſoliditas.* Hæc deſumta ſunt ex profeſſionis formula ab HORMISDA P. orientalibus in ACACII cauſa præſcripta, atque ab illis omnibus, eorumque anteſignano Cpolitano, recepta. Neque arrogantiæ duci potuit Romanis Pontificibus, tam eximia de ſua fide prædicaſſe, utpote non propriis, aut meritis, aut ſcientiæ, doctrinæque præſtantia, ſed divinæ gratiæ munere inſtructa ſolidataque hac eccleſia. *Quæ*, ſunt AGATHONIS ad CONSTAN-

STANTINUM *Pogonatum* verba epiſtola a PP. concilii VI. laudata, atque in acta relata, *per DEI omnipotentis gratiam a tramite apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut ab exordio fidei chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fide hactenus permanet.* Scripſit hæc Pontifex poſtquam caſus ille HONORII anteceſſoris ſui acciderat, quem, qui poſterioribus temporibus auctoritatem Romani Pontificis deprimere cœperunt, perpetuo in ore habent; cum tamen poſt recentem tunc rei memoriam hæc dicat ille, porro ſubjungens: *Conſideret itaque veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare fratres ſuos admonuit, quod apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum.*

III. Præciſe hic ſermonem habet de eccleſia Romana nunquam defectura, deque munere confirmandi fratres, quod ſui anteceſſores ſemper ſtrenue executi ſint, nec unquam deficiendi periculum ſubierint. Atque vel ipſi Galli, nihil quidem referre putant, ſi quandoque deficiant Pontifices, deſintque muneri ſuo, dum-

Nihil obſtantibus Ultromontanorum circa hanc rem conflictibus.

dummodo ecclesia Romana, atque tota
a. series & successio Pontificum maneat. (a) Quin ad hoc necesse sit, ut quivis Pontifex semper rite, quod sui muneris est, perficiat, aut per divinam promissionem sustentetur. AGATHO tamen palam edixit, tanquam cunctis cognitum, apostolicos Pontifices suos prædecessores id semper confidenter feciſſe, idque divinis promissionibus jussionibusque ad hoc firmatos ac fulcitos. Recurrit hic, atque locum habet, quæ hodie inter theologos agitatur de infallibilitate Pontificis quæstio, non quod privatam illius personam spectat, sed prout Papam, atque ex cathedra, quam tenet, PETRI, universæ ecclesiæ doctorem agit; ubi locum vel maxime habet Pontificis cum ecclesia nexus & vinculum, estque indiscreta ejus cum ecclesia causa & auctoritas. Quæstio hodie libere in utramque disceptatur partem, Pontificibus non importune id agentibus, ut infallibiles credantur; ut etiam minus quam olim anteceſſores ostentare videri queant auctoritatem suam; quamvis offerentibus sese occasionibus strenue, quod muneris sui est in communione potestatis ecclesiasticæ exequentes, id semper effectu

(a) Vid. BOSSUET defens. declar. cler. Gall. P. II. L. XV. c. 34. & 35.

ctu ipſo obtineant, ut judicio ſententiæque ſuæ accedant illi etiam, qui alias non exiſtimant eſſe irretractabile Romanum arbitrium, cujusmodi antea exemplum dedimus. Non parum tamen curſum decretorum Pontificiorum ſiſtit ea contentio, quo minus ſine turbis recipiantur. Non dubitavit facultas Pariſienſis illam *Jac.* VERNANTII propoſitionem ut temerariam, & in errorem inducentem condemnare, *Qua parte aſſerit*, ſunt ipſa cenſuræ verba, *ſummum Pontificem eſſe veram regulam fidei*: quod nempe in errorem inducat is, qui pro regula fidei ponat Pontificem, quem infallibilem eſſe non conſtet. De ea quæſtione *Ben.* BOSSUET in defenſione celebris declarationis an. 1682. ita præſulum Gallicanorum mentem prodit *p.* 405. *Procul has ſchola voces, rixasque habuerunt: non id epiſcopale ſuumque æſtimarunt. Ad praxin maxime reſpicere placuit, atque id pro certo figere, utcumque Jctolaſtica ac ſubtilis quæſtio ſe habeat, tamen convenire inter omnes Catholicos, Pontificum decretum non haberi pro irreformabili, neque ultimum robur eſſe conſecutum, niſi eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Quo dogmate conſtituto, tota infallibilitatis quæſtio, ſpeculativas inter vanasque quæſtiones, habeatur.* Id quidem etiamſi conceda-

tur, illud tamen minime hic prætereundum eſt, quo unice hæc noſtra tractatio collimat, eam eſſe inter ſummos eccleſiæ principes poteſtatis eccleſiaſticæ communionem, ut tamen primæ ſedis auctoritas ſeparata, aut disjuncta haud conſiderari debeat, ſed cum eccleſia catholica tanquam centro unitatis tota implicita, & commiſſa; quo ipſo nihil a cathedra illa emanet abſonum a credulitate eccleſiæ. Quod qui non attendunt, non ſatis alieni ſunt a ſcholaſticis tricis, ut eas vocat illuſt. Bossuet, vanisque ac ſpeculativis quæſtionibus, per quas, ſubtilibus diſtinctionibus excogitatis, inter res plane easdem, nullus ponitur diſputandi, litigandique finis.

Poſteriore demum ætate infeliciter exortis, prius magno eccleſiæ commodo incognitis.

IV. Quod in hac cauſa factum occidentem ſecum commiſit, qui antea in reverentia obedientiaque Romanæ ſedis tutiſſime degebat. Accidit id per ea calamitoſa illa tempora, quo eccleſia diro ſchiſmate longo tempore divexata eſt, occaſioque arrepta, ut non ſolum in ſcholis de limitibus poteſtatis inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem Romanum & epiſcopos diſputaretur acriter, & in iſta ſententiarum varietate de re fidei ſeſe tractare partes exiſtimarent. Cum momentum fidei hac in re haud in diviſione a ſcholaſticis excogitata, ſed potius

potius in communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ præſules vergat, quæ anterioribus temporibus ſemper eſt agnita, hinc ſummorum Pontificum auctoritas eadem ac eccleſiæ eſt habita, ejusque decreta & judicia ſtudioſe ſemper quæſita, & reverenter ab omnibus accepta ſunt; atque ea perfecta ſcientia eſt exiſtimata (juxta ſynodi Romanæ ſuggeſtionem CONSTANTINO *Pogonato* factam, in cauſa Monotheliſmi) ut terminos catholicæ, atque apoſtolicæ fidei, quos uſque adhuc apoſtolica ſedes nobiſcum & tenet, & tradit, tota mentis cuſtodia conſervemus. Libenter hic utor teſtimonio de illa fidei cauſa, cui HONORIUS Pontifex implicatus fuit, atque Pontificiæ auctoritatis æmuli arcem ſuæ diſputationis collocant. Qua de re nos ſuo loco tractaturi: id iterum notamus, ſynodum Romanam illis omnibus, quæ HONORIO imputabantur, nihil detractum exiſtimaſſe apoſtolicæ ſedis firmitati, atque in fide conſtantiæ. In eadem cauſa SOPHRONIUS primum monachus, ac poſtea Hieroſolymorum patriarcha, quo tempore orientem Monotheliſmus turbabat, eadem, de apoſtolicæ ſedis fide, tenebatur perſuaſione deſtinato ad limina apoſtolorum STEPHANO *Dorenſi* epiſcopo. Qua de legatione ſua ita ille in ſynodo

Roma-

Romana ſub MARTINO relationem facit:
a. *Duxit me*, inquit (*a*), *indignum, & ſtatuit in ſancto calvariæ loco, ubi Chriſtus ſponte crucifigi dignatus eſt, & ibi alligavit me vinculis inſolubilibus dicens; quantocius ergo a finibus terræ ad terminos ejusdem deambula, donec ad apoſtolicam ſedem, ubi orthodoxorum dogmotum fundamenta exiſtunt, pervenias.* Non ſolum pontificiæ definitiones, ſi quando juxta eccleſiæ Romanæ, cathedræ PETRI, fidem emanarunt, recipiebantur, ſed etiam ſollicite emergentibus caſibus quærebantur, in communione legitimæ eccleſiaſticæ poteſtatis. Hanc in rem habemus præclarum FERRANDI monitum: *Interroga*, in-
b. quit ille (*b*), *ſi quid veritatis cupis audire, principaliter apoſtolicæ ſedis antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diverſa loca epiſcopos.* Ita antiqui non contendebant, atque inter ſe opponebant Pontificis & epiſcoporum auctoritatem, ſed ſociabant, ſatis gnari unam, eandemque eſſe uno, eodemque ſpiritu inſpiratam. Neque forte hac in re unquam in partes abiiſſent ſententiæ, niſi horrenda tum orientis cum occidentis ſchiſmata in diverſa abripuiſſent, in tan-

(*a*) Conc. Rom. ſub MART. ſect. II. T. 6. conc.
(*b*) Epiſt. ad SEVERUM ſchol. Cpol.

tanta pronitate animorum ad opinionum conflictus, ſine quibus ſcholaſtica exercitia diſputandi, atque omnia in dubium revocandi non conſtabant: aliter egerunt ſemper theologi, qui in antiquitate eccleſiaſtica verſati, nec ullis præjudiciis ducti, ſententias ſuas ac placita moderantur, juxta uſum & obſervantiam eccleſiæ veteris, non ſecundum animoſitatem ac conflictus diſceptationum ſcholaſticarum: in quibus ſolemne eſt, diſſidentes opiniones in arenam deducere, partes factionesque controverſas, atque inter ſe pugnantes, fovere: quod in hac re magno pacis eccleſiaſticæ diſpendio factum eſt, ſummis eccleſiæ principibus inter ſe commiſſis, de ſuprema cauſarum & negotiorum religionis decidendarum ordinandarumque facultate: imaginantes ſibi diſcrepantiam ſententiarum, ubi in unitate eccleſiæ concordia debet eſſe doctrinæ.

V. Qui ſi attentionem ſuam in omnem retro ætatem reflectant, *Experiuntur*, ut cum FACUNDO (*a*) loquar, *quantum illos ſua ſuſpicio fefellerit. Quia non ille in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potius in defenſionem atque ultionem, primam accepit, & maximam poteſtatem: nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus cæteris ſuis conſacerdotibus poteſt.*

Quæ facile ceſſarent lites, ſi digna habeatur de centro unitatis in communione poteſtatis legitimæ opinio.

(*a*) L. II. c. 6.

teſt. Ita igitur præſumendum, certeque credendum de ſingulari illa auctoritate, qua ſummus Pontifex in eccleſia pollet, eam non contra veritatem catholicam, ſed pro ea poſſe, quodcunque poteſt Quo ſemel in animum inducto, illi, qui infallibile eccleſiæ agnoſcunt judicium, quod Catholici omnes faciunt, facile largientur, in eandem ſemper ſententiam conſpiraturos judices eccleſiaſticos ejusdem fidei conſortes, atque ejusdem nunquam non fore, operante aſſiſtenteque Spiritu ſancto, veritatis præcones. Faceſſet vero æmulatio de imperioſo capitis dominatu, ac digna exiſtimatio de communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ antiſtites mentem paci, & concordiæ ſententiarum inclinabit, uti Spiritus ſanctus concentum illum eccleſiæ univerſæ cum capite, conſenſumque cum ejus de fide ſanctionibus, ſemper conſervat, ac operatur cœleſti afflatu. Qui quidem ſacer impulſus eo nunc eſt ſpecioſior, ac, ut ita dicam, excellentius divinæ providentiæ opus, in quo radii divinitatis inſigniter reſplendeant, quod non obſtantibus contentionibus inter ipſos ſupremos judices, nunquam tamen circa caput religionis diſſenſus eos a ſummo capite ſcindat, etſi nunc rariora ſint concilia, ac

ſummus

ſummus Pontifex ſi unquam alias, poſtrema hac ætate arbitrium rerum religionis exercuerit, exerceatque. Attamen felicior longe fuit antiqua obſervantia, quando citra obſequii invidiam ultro in obſequium cathedræ PETRI currebant ſacrorum antiſtites, nullum ſibi præjudicium propriæ auctoritatis meruentes ab eo, cujus judicium eodem ac ſuum duci ſpiritu non ambigebant; nec proinde ſuæ collegii apoſtolici infallibilitati derogari ſuſpicabantur, cum auctoritate ſummi Pontificis in communione poteſtatis eccleſiaſticæ conjuncta haud magis ac quilibet apoſtolorum immediato afflatu uſus Spiritus ſancti ſibi aliquid demtum putavit, ſi ad PETRI fidem exigeret. *Si Paulus præco veritatis*, inquit THEODORETUS (*a*), *tuba Spiritus ſancti ad magnum Petrum ſe contulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali converſatione ambigebant, explicationem ab illo referret; multo magis nos humiles, & puſilli ad apoſtolicam ſedem veſtram recurrimus, ut eccleſiarum ulceribus remedia a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit.* Illud poſtea mirabile addit, qua inter multas prærogativas maxime ornetur ſedes iſta, fidei puritate, cujus ſucceſſu temporis potius aucti ſint uberrimi fructus

a.

(*a*) Epiſt. 113. ad LEONEM.

ctus quam diminuti. *Præcipue autem illam fides ornat*, inquit, *cujus teſtis idoneus eſt divinus Paulus clamans*, *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo. Si ſtatim poſt ſuſcepta ſalutaris prædicationis ſemina mirabiles hos fructus uberrime protulit: prædicandæ, quæ in ea nunc viget, pietati quænam par eſſe queat oratio?* Quodſi verum hujus ſententiæ intellectum venari liceat, eo videtur eſſe referendus, ut ſucceſſu temporis evolutis declaratisque (ut ferebat occaſio emergentibus dubiis ac controverſiis) fidei capitibus ſeſe explicarit quodammodo pietas prædicandæ fidei. Id ſane ita ſe habet, atque ſemper magis ad hunc uſque diem ſplendor hujus eccleſiæ radios ſuos protendit, quo major eſt facta acceſſio, ac numerus decretorum definitionumque, quibus opera & auctoritate cathedræ PETRI catholica religio aſſerta eſt & colluſtrata, creviſſe ejus gloriam oportuit, non minui: ſecus autem multorum contentiones ac ſtudia ferunt, qui in ordinem redigere præſides Romanos Pontifices conantur, quaſi non ſat firmitatis, infallibilitatisque poſſidentes in examen revocari, ac retractari aliquando eorum ſcita neceſſum foret. Contra quod facinus recte ſuam obtendunt auctoritatem Romani Pontifices, exemplo anteceſſorum ſuorum ſanctiſſimorum virorum,

rorum, qui, nullum jactantiæ, arrogantiæque metuentes crimen, conſtanter & aperte, quod ſui juris erat, deprædicabant, non ſua oſtentantes merita, ſed divina privilegia eccleſiæ uſu perpetuo firmata. *Quamvis Patrum traditio apoſtolicæ ſedi*, ſunt Zosimi verba (a), *tantam auctoritatem tribuerit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet, idque per canones ſemper ſervaverit, & currens adhuc ſuis legibus eccleſiaſtica diſciplina Petri nomini, a quo ipſa quoque deſcendit, reverentiam, quam debet, exſolvat. Tantam enim hujus apoſtoli canonica auctoritas per ſententias omnium voluit eſſe potentiam ex ipſa quoque Chriſti DEI noſtri promiſſione, ut & ligata ſolveret, & ſoluta vinciret &c.* Hæc aliaque complura de cathedræ ſuæ auctoritate epiſcopi Romani ad integras orbis partes ſecure perſcribebant: quod, niſi cauſam apertiſſimam, a nullo in dubium vocatam habuiſſent, nunquam auſi fuiſſent; quin a quoquam reprehenſionem timerent, eo potiſſimum tempore, quo totus orbis chriſtianus maxime florebat, ac abundabat epiſcopis, doctoribusque præſtantiſſimis: in Africana quorſum hæc ſcribebat Zosimus tum cum S. Augustino alii præſules inſignes vivebant: nec ad unum eorum Zosimus, ſed

2.

(a) Epiſt. ad Patres Afric.

universos hæc scribit. Nec solum Zosimus, sed qui ipsum antecedebant, subsequebanturque, eodem modo in omnes terræ partes, atque ad universum episcoporum collegium modo in orbem dispersum, modo in concilio collectum, sedis suæ prærogativas extollebant, a nemine unquam arrogantiæ insimulati aut reprehensi. *Vid. R. P. Matt. Petitidier Tract. de auct. sum. P. c.* 4. & 7.

Qualis semper habita, ubi etiam suspiciones adversæ pulsare mentem potuissent.

VI. Illud vero memorabile hac in re, nunquam prærogativas ejusmodi sedis Romanæ prorsus singulares magis commendari, deprædicarique solitas, quam illis temporibus, quibus nunc æmuli auctoritatis pontificiæ labem aliquam erroris adhæsisse contendunt. Veluti hunc ipsum Zosimum, de quo nunc mentionem injecimus, opponunt, Coelestio, ac Pelagianis nimis deferentem, faventemque: cum vix unquam sanctiores, præstantioresque Pontifices fuerint, quique nihilominus pleno ore auctoritatem suam extulerint, quam circa Pelagianæ hæresis tempora: quod patebit legenti epistolas Innocentii I. antecessoris, & Bonifacii (a) successoris Zosimi, qui haud minora ad orientis episcopos scribens expressit, quam Zosimus ad Africanos de S. sedis suæ inconcusse tenendis definitioni-

(a) Epist. 15.

tionibus. *In cujus*, inquit, *contumeliam, quisquis insurgit, habitator cœlestium non poterit esse regnorum.* Tibi, *inquit*, dabo claves regni cœlorum, *in quos nullus sine gratia janitoris intrabit.* Genuinæ priorum Pontificum decretales desiderantur, nec non & acta, majorem partem. A quo vero tempore plura ejusmodi de illis suppetunt monumenta, constanter & commendasse & exercuisse leguntur summam in rebus religionis potestatem, præsertim in fidei negotiis, causam ecclesiæ strenue semper tuendo, nec suæ solum sedis depositum servando in sese, sed etiam in collegis universaque ecclesia, pro accepto munere confirmandi fratres, cui unquam defuisse, non sunt comperti. Cesserat ad momentum LIBERIUS, atque a studio tuendæ veræ contra Arianos fidei remiserat, exilio, & ærumnis fractus: at nihilominus THEODORETUS harum rerum probe gnarus postea de illibata sedis apostolicæ fide insigne hoc edidit testimonium. *Habet sanctissima illa sedes ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab hæretica labe immunis mansit, nec ullus fidei contraria sentiens in illa sedit, sed apostolicam gratiam integram servavit.* Vides THEODORETUM non distinguere sedem a sedente, ut hoc demum ævo subtiliter

tiliter diſtinctio excogitari cœpit, ſed ideo ſedis ab errore immunitatem defendit, quod nullus fidei contraria ſentiens in illa ſederit, quin apoſtolicam gratiam integram ſervarit. Alter HONORIO attribuitur lapſus; a nobis tamen ſuperius ſunt allata teſtimonia, quibus deinceps in ea ipſa cauſa in fide conſtantiam & profeſſi ſunt Pontifices, & agnovit eccleſia: B. PETRI adnitente præſidio apoſtolicam ejus eccleſiam nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexiſſe, ejusque auctoritatem, utpote qui eſſet princeps omnium apoſtolorum, ſemper omnem catholicam eccleſiam, & univerſales ſynodos amplexas eſſe: cum in cauſa Monotheliſmi undique concurrerent ad Romanam ſedem non obſtante eo quod actum fuerat ab HONORIO. Sub ejus ſucceſſore MARTINO abbates ſupplicatione ſua id expreſſe pro incredibili habent, aliter fore judicaturam Romanam ſedem, quam eccleſiæ fides haberet. *Certiſſime*, inquiunt, *ſcientibus vobis ſanctiſſimis, quodſi aliter, quam a nobis pie poſtulata ſunt, quidquam omnino integritatem fidei corrumpens, a veſtra terminetur beatitudine, quod abſit, abfuturumque ſit: hoc enim omnino incredulum nobis eſt: liberos ſine dubio atque innocentes ab hoc quod fiet exiſtimes.* HORMISDAS hodie incuſatur, quod

quod cauſam fidei, de qua fuerat quæſitus, diem ex die protelando prodiderit; at tunc temporis nihil adeo mali de iſta dilatione cogitabatur, quamvis reſponſum ſæpius urgeretur, lentius agente Pontifice. *De hac*, ad eum ſcribit JUSTINIANUS (*a*), *intentione liberos nos properate reddere, & ſecuros: hoc enim credimus catholicum, quod veſtro religioſo reſponſo fuerit intimatum.* Ideo idem in codice ſuo (*b*) ad ſedem apoſtolicam referendum eſſe duxit, quidquid ad eccleſiæ ſtatum pertinet, *quia caput eſt omnium ſanctarum eccleſiarum, & vel eo maxime, quod quoties his in locis* (orientis) *hæretici pullularunt, recto judicio illius venerabilis ſedis coerciti ſunt.* Hic ſolemnis mos ad noſtra uſque tempora ſemper in eccleſia eſt conſervatus ab ipſis Gallis, poſtquam etiam æmuli eſſe cœperunt pontificiæ auctoritatis, ut ad Romanum Pontificem cauſas majores referant, *quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat*, ſunt ipſa Gallicanorum præſulum verba, in ea epiſtola, quam ad INNOCENTIUM X. an. 1653. de condemnandis JANSENII propoſitionibus exararunt in fidei cauſa, quæ religionis negotium præcipuum ſunt, interque ma-

a.

b.

(*a*) Inter HORMISDÆ Ep. 98.
(*b*) Lib. I. Tit. I. Leg. 7.

jores cauſas maximæ. Quod perſcri-
a. bens S. BERNARDUS (*a*) ad INNOCENTIUM II. in ſimili cauſa, *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referri apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno DEI, & præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poteſt fides ſentire defectum. Hæc quippe prærogativa ſedis.* En cauſam veram, ac genuinam, cur ultra etiam ac lubentiſſime cauſæ ad Romanam ſedem ſint relatæ ob ſecuritatem, quam ſibi omnes promittebant, ſi Romani Pontificis dictata ſequerentur, tam promiſſionibus evangelicis, quam uſu, ac experientia continua freti. Quod JOANNI *Antiocheno* ad eccleſiæ unitatem reverſo, atque cum D. CYRILLO reconb. ciliato, XISTUS III. (*b*) confidenter inculcat: *Hæc ſanctitatem tuam volumus prædicare, quæ ſcribis. Expertus es negotii præſentis eventu, quid ſit ſentire nobiſcum. Beatus Petrus apoſtolus in ſucceſſoribus ſuis quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus ſe velit ſeparare doctrina, quem ipſe inter apoſtolos primum magiſter edocuit?*

Cum hæc eccleſia aliis corruentibus ſemper immobilis perſiſtat.

VII. Hoc igitur huic ſedi eſt ſingulare, ut ſemper in fide firma aliis eccleſiis firmitatem præſtet: in cujus confeſſione omnes mundi requieſcunt eccleſiæ, ut ad

(*a*) Epiſt. 190. (*b*) Epiſt. 6. n. 3.

ad BONIFACIUM II. ſynodumque Romanam ſcripſit olim STEPHANUS (*a*), metropolita Lariſſæus. Ut poſſit recte ſoli comparari ſedes, ac ſolium iſtud D. PETRI, qui ſuam undequaque circumfundit lucem aliæque eccleſiæ luce veræ fidei colluſtrantur conjunctæ, atque communione lucis eccleſiæ hujus fruentes, ipſa ſemper immobili perſiſtente, lumen undiquaque diffundente, breves ſubinde eclypſes, nunquam lucis defectum paſſa: quod planetis contingere ſolet, quando ſolis ſplendorem effugiunt: quodque aliis particularibus eccleſiis contigit, ut aliquando luce veræ fidei deſtituantur. Hoc Græcis ob oculos poſuit CALECAS (*b*) perpendendum: *Conſideranda*, inquit, *vobis eſt eccleſiæ noſtræ dignitas, quæ nunquam de fide, niſi congrua ſenſit, ac ſtatuit: & quæ ſola, vobis omnibus cæteris circa fidem naufragrantibus, non ſolum nihil paſſa eſt hujusmodi, verum & jacentes cæteras erexit eccleſias.* Jam ſuperius de hac reliquarum eccleſiarum ſorte aliquid diximus, de funeſtis ſchiſmatis effectibus, præſertim eccleſiæ orientalis: hic pro loci opportunitate aliqua addenda, quæ hæreſum contaminationem attinent, qua ſeſe conſpurcarunt dudum etiam ante, quam

a.

b.

(*a*) Syn. Rom. ſub BONIF. II. coll. Holſten. I. Part. (*b*) L. IV. de Proceſſ. Spiritus S.

ſchiſma conflarunt. De præcipuis tantum patriarchalibus ſedibus, quas reliquæ inferiores ſequi ſolebant, quædam attingemus. De Alexandrina conſtat diu eam cathedram peſtilentiæ Arianæ fuiſſe, cum virus Arianum ex ea ipſa eccleſia ortum ſuum ducens, ſerpere cœpiſſet. Poſtea Eutychianiſmus, & quæ inde pullularunt filiæ propriam ſibi quaſi ſtabiliverunt ſedem Alexandrinam eccleſiam, & ad hodiernum uſque obſederunt diem. Antiochena eccleſia, cum id habuiſſet commune cum Alexandrina, ut ob Arianos epiſcopos, hæreticos, ac ſchiſmaticos diu a vera aberraſſet fide & eccleſia, diuturnoque in ſeipſa ſcinderetur ſchiſmate; poſtea ad NESTORII partes deflexit, ſuſcepto primum NESTORII patrocinio. A quo emerſa malo, iterum per *Petrum* FULLONEM penitus depravata decidit; tandemque Neſtoriana penitus facta. Cpolitana ſedes non ſolum Arianos habuit inſeſſores epiſcopos hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas MACEDONIUM, NESTORIUM: nec ulla alia eccleſia orientis tot, & tam variis hæreſum, ſchiſmatumque procellis eſt conquaſſata, atque ſubmerſa, quam Cpolis, quæ toti orienti præ impotentia ambitionis ruinæ ac miſeri caſus cauſa extitit: Romana eccleſia ſemper fortiter

ſtante

ſtante ac reſiſtente hujus potiſſimum Cpolitanæ eccleſiæ niſibus, ſæpe ea a ſchiſmate, ſæpe ab hæreſi revocata. *Nam Conſtantinopolitana non ſolum*, ut Græcis exprobrat RUPERTUS (*a*) abbas, *hæreticos, ſed hæreſiarchas protulit multos: Romana vero eccleſia ſuper apoſtolicæ fidei petram altius fundata, firmiter ſtetit, & tam Græciæ, quam totius orbis hæreticos ſemper confutavit, & de excelſo fidei tribunali data ſententia judicavit.* Idem argumentum indefectibilitatis ſingularis, in Romana ſede conſpicuæ, ex aliarum ſummarum etiam ſedium caſu, alia occaſione inſtruxit D. ANSELMUS *Lucenſis* (*b*) contra GUIBERTUM antipapam. *Firmamentum enim*, inquit, *fidei chriſtianæ in eorum ſedibus per beatum Petrum ſeſſorem earundem ita DEUS locavit, ut ſi unus ex tribus principalibus patriarchis ceciderit, duo ſtent; quod ſi duo ceciderint, cum pro fide Petri, ne deficiat, a Chriſto oratum ſit, unius ſcilicet Romani patriarchæ fides, in qua fratres ſuos confirmet, nunquam deficiat. Quod utique Chriſtus DEUS noſter jam oſtendere dignatus eſt in univerſalibus ſynodis jam octies univerſaliter celebratis. Nam uno vel duobus a fide corruentibus, Romanus in ejusdem fidei*

a.

b.

(*a*) De divinis Offic. L. II. c. 22.
(*b*) Bibl. PP. T. XVIII. p. 609.

fundamento, licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis. Cælum enim & terra transibunt, verba autem ejus non transibunt, qui dixit : Tu es PETRUS &c.

Atque impossibile sit, hanc concuti sedem.

VIII. Ita ergo existimandum est, inniti illius inconcussam in fide præsertim firmitatem ac constantiam illius promissis, cujus verba in æternum non transibunt. PIGHIUS hinc pro casu impossibili habet, ut a Romano Pontifice definitio aliqua prodeat a veritate aliena, quo modo per impossibile loquitur apostolus de angelis cœlestibus, qui sunt utique in veritatibus divinis confirmati: (a) *Licet angelus de cælo evangelizaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit.* Censores propositionum WICLEFFI in concilio Constantiensi, quoad primas statim propositiones ita statuunt: *Impossibile est, quod fides apostolica, & Romana ecclesia, in qua Papa vice Christi, & successor Petri, ut caput residens, & collegium Cardinalium ut corpus succedens similiter aliis apostolis in officio definiendi, & determinandi circa universam materiam catholicam, & ecclesiasticam, & errores contrarios exterminandi: impossibile, inquam, est, quod talis sedes, & talis Romana ecclesia aliquid determinet, & teneat pro fide catholica, & recta, quod non esset fides*

(a) Gal. I. 8.

fides recta. Alias in tali caſu ſedes illa apoſtolica & Romana eccleſia eſſet hæretica, & erronea, tenens tenaciter non fidem pro fide, aut fidem pro non fide. Quomodo ergo ipſa eſſet mater & caput omnium eccleſiarum in omnibus tamquam magiſtra ſequenda, ad quam in dubiis, & arduis eſt recurrendum, quando circa fidem in aliquo dubitatur? &c. Card. a Turrecremata ſuo tempore notavit theologos, *qui ad objectionem, cum arguitur de Papa facto hæretico, & definiente pro hæreſi ſua, dicunt, quod caſus non eſt poſſibilis.* Qui ſcholaſtici ſpectata communione legitimæ eccleſiaſticæ poteſtatis multo propius ad genuinam theologicam tractationem accedere videntur, quam illi, qui ſibi caſus metaphyſicos, hypotheſesque in rerum natura nunquam extituras fingunt proponuntque, ut poſſint ſine fine diſputare atque inter ſe litigare. Ejusmodi nihil hactenus interveniſſe nemo, vel parum in dogmatica eccleſiæ hiſtoria verſatus, quantumvis etiam partibus addictus inficias ibit, ante iſtam controverſiam media inter ſcholaſticorum tempora ventilari cœptam, atque in ipſa eccleſiaſtica negotia, ingenti tranquillitatis catholicæ diſpendio, traductam. Cum certa ſemel in animum inducta perſuaſione de divinis promiſſionibus, non ſolum pie credendum, ſed e-

tiam certo tenendum ſit, nunquam futurum, ut collabatur illa cathedra, cui eccleſia intime eſt connexa, atque innititur. Veluti ergo eccleſiæ catholicæ ruina impoſſibilis, ita & Romanæ : atque ut fieri nequit, ut eccleſiæ catholicæ auctoritate aliquod falſum dogma proponatur credaturque, pariter de auctoritate, ſcitisque Pontificum pie eſt tenendum quatenus communis eſt poteſtas non diſcreta multo minus ſecum pugnans, ac contraria. Quod niſi obtineatur falſo, eccleſia Romana centrum unitatis habetur, ſi ab ea deflectere licet: quod dum fit, janua aperitur lata diſcordiæ, & inobedientiæ, ſchiſmatibus ac hæreſibus. Loquimur hic de ſummis religionis capitibus, ac fidei articulis, in quibus eadem ſibi conſentiens ac indefectibilis debet eſſe eccleſia, ipſiusque adeo centrum unitatis, ac ſedes primaria in univerſam eccleſiam auctoritatem nacta. Hanc in arduis fidei cauſis aberraſſe unquam, quando legitime negotium cognovit, atque ex cathedra decidit, & in communione eccleſiaſtica dogma conſtitit, conſtanter negamus, atque ut aliquando contingat, pro caſu impoſſibili reputamus. *Quod ſedes apo-*

a. *ſtolica*, utor verbis GELASII P. (*a*), *magno-*

(*a*) Epiſt. 8.

gnopere cavet; ut quia mundo radix eſt apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima pravitatis, nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi (quod DEUS avertat, quod fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuique reſiſtere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus poſceremus? proinde ſi pietas tua, unius civitatis populum negat poſſe pace componi, quid nos de totius orbis terrarum ſumus univerſitate facturi, ſi, quod abſit, noſtra fuerit perverſitate deceptus? Non hæc ulterius urgemus, quam pro ſumme neceſſario Pontificis in eccleſiam officio, quo recta fides illibata conſervetur; quo certe defungi non poſſet, ſi ipſa defectui pateret, expoſita caſui & apoſtaſiæ in regenda eccleſia. Neque ulterius extendimus prærogativam, quam ad firmitatem fidei, non obſtantibus lapſibus forte perſonalibus: quales cum nec in apoſtolis defuerint, quid hic moroſi[illegible]mus? Hoc modo argumentum illud, quo *Jo.* GERSON (*a*) probare nititur, licere in cauſis fidei a Papa appellare, admitti poteſt, quin cauſæ fundamenta ruant. *Fas eſt*, ſcribit ille, *in caſibus concernentibus cauſas fidei declinare illius judicium, qui reperiretur devius a fide, vel eis quæ fidei ſunt cum* 2.

ſuis

(*a*) An liceat, in cauſis fidei a Papa appellare? Prop. I.

ſuis conſiliariis vehementer ſuſpectus, per aperta ſigna nimiæ diſſimulationis, vel acceptionis perſonarum, vel aliunde multis modis: ſed (loquendo ſemper cum reverentia) ſtaret aliquem ſummum Pontificem cum ſuo collegio ſic poſſe deficere circa ea, quæ fidei ſunt, quemadmodum Petrus, & alii apoſtoli defecerunt in paſſione: imo quod minus videretur, ſicut Petrus deficiebat, nec recte ambulabat ad veritatem evangelii, & reprehenſibilis erat, dum Paulus ſibi reſtitit in faciem; ac perinde declinabat ejus judicium: ergo fas eſt, interdum ſummi Pontificis judicium in cauſis fidei declinare. Non invitis nobis, caſus iſte exemplo D. PETRI fingitur, qui in juribus ac infallibilitate cum apoſtolis & PETRO communi tuto conquieſcimus (ut ex ſubſequentibus magis eluceſcet) dummodo nihil negetur divinis promiſſionibus adverſum, quibus quidquid repugnat, impoſſibile recte dicimus.

Non enim privilegio humano ſtant prærogativæ ac firmitas cathedræ Romanæ.

IX. Neque ſatis intelligo quei aliter ſentire poſſint, qui primatum illum, atque in totam eccleſiam regimen a jure divino, quod eſt incommutabile & perpetuum derivant. Certe hic magis conſequenter Græci juxta ſua erronea principia ſciſcunt, qui ipſius primatum ſolummodo ex urbis Romæ præcellentia, canonum eccleſiaſticorum, ac legum imperatoriarum

rum jure & auctoritate repetunt. Neque unquam illi primatum negarunt, ſi unum excipias PHOTIUM cum ſuis tunc temporis, qui impudentiſſime affirmavit, ut NICOLAUS I. habet (*a*): *Quando de Romana urbe imperatores Conſtantinopolim ſunt translati, tum & primatum Romanæ ſedis ad Cpolitanam eccleſiam transmigraſſe, & cum dignitatibus regiis eccleſiæ Romanæ privilegia translata fuiſſe.* Reliqui omnes admiſſo ſemper ſine tergiverſatione primatu de ſola abſoluta poteſtate, deciſionumque infallibilitate controverſiam moverunt, ut Rev. PETITIDIER probat (*b*), refertque ex NILO *de primatu Papæ* locum, tantundem non eſſe impoſſibile ut Papa erret, quod etiam errarit PETRUS, ſic enim ille: *Quod vero impoſſibile ſit, Papam a rectitudine dogmatum aberrare, id etiam ipſius Petri ſucceſſionem excedit. Ille enim etiam impegit.* Facile inter nos conveniret, ſi Græci idem tantum errandi periculum in ſummis Pontificibus agnoſcerent, quod in PETRO, qui ab ipſo Chriſto ſingularia privilegia, ut mox videbimus, accepit, & in ſuos ſucceſſores transmiſit: qualia Græci ſolum Pontifici ab eccleſia, & imperatoribus attributa dicunt.

a.

b.

(*a*) Epiſt. 70. ad epiſc. Gall. n. 7.
(*b*) Tr. de auctoritate, & infallibilitate ſummor. Pont. c. 10.

dicunt. Cernebant in conſtitutionibus canonicis, & civilibus frequenter ejus in univerſam eccleſiam auctoritatem aſſeri & ingeminari, hinc illi collegerunt, inde fontem ac originem jurium illorum provenire. Quod ſi valeat, ſtatuere debemus, quæ in conciliis aliisque monumentis eccleſiaſticis de rebus revelatis definitiones, declarationesque habentur, non eſſe ipſum divinum verbum. Igitur ſolummodo declarant canones, non conſtituunt ipſo ore dominico atque divina voluntate conſtitutam poteſtatem, ſeſeque ob id promtos exhibent ad aſſurgendum, deferendumque legitimæ poteſtati. Hoc modo vel ipſi Pontifices auctoritatem ſuam etiam ex canonicis, & imperatoriis regulis ac ſtatutis nonnunquam repetunt: veluti JOANNES ad JUSTINIANUM ſcribens: *Charitatis ſtudio edocti eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ ſedis reverentiam conſervatis, & ei cuncta ſubjicitis, & ad ejus deducitis unitatem: ad cujus authorem, hoc eſt, apoſtolorum primum, Domino loquente præceptum eſt,* Paſce oves meas. *Quam eſſe omnium vere eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & principum ſtatuta declarant.* Sic etiam aliquando auctores noſtrates locuti, quo ipſo loco contra Græ-
8. cos calamum ſtrinxerunt. RATRAMNUS (*a*),

Mon.

(*a*) Contra Græcos. T. II. Spicil. p. 147.

Mon. Corbejenſis, *Ex antiquis*, inquit, *monumentis cernimus, omnino Romani Pontificis auctoritatem ſuper cunctas eccleſias Chriſti præeminere, ut omnes epiſcopi illum habeant caput, & ad ejus judicium pendeant; quidquid in eccleſiaſticis negotiis diſponitur, ut ex ejus arbitrio vel maneat conſtitutum, vel corrigatur erratum, vel ſanciatur quodcunque fuerit innovandum.* Quomodo autem fieri poſſet, ut ita omnis eccleſia in obſequium eccleſiæ Romanæ tam conſtanter curreret ac conſpiraret; nec ulla unquam alia principatum in totam eccleſiam uſurparet, aut jugum excuteret, obedientiam negaret, niſi perſuaſi fuiſſent, divina auctoritate hæc omnia niti, qua ſemel abjecta fide, Græci mox etiam communionem abjecerunt. Contra vero obedientiæ fundamentum Patres Milevitani epiſtola ad INNOCENTIUM P. (*a*) jure divino, atque auctoritate ſacrarum ſcripturarum fultum, demum contra refragarios firmum & potens agnoverunt. *Arbitramur*, inquiunt, *adjuvante miſericordia Domini DEI noſtri, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati ſanctitatis tuæ de ſanctarum ſcripturarum auctoritate depromtæ, facilius eos, qui tam perverſa & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros.* 8.

(*a*) Inter INNOC. I. Epiſt. 27. n. 3.

Hoc ergo eſt divina auctoritate ac providentia a DEO ordinatum, ne propter diverſitatem controverſiarum unitas fidei, ac eccleſiæ deſtruatur, ut ſit in communione poteſtatis cujus ſententia controverſiæ terminentur. Sic JOANNES *de Pariſiis*, libro de poteſtate regia & papali c. 3. rem pulchre explicat: *Nam poſt corporalem ſubtractionem præſentiæ corporalis Chriſti, convenit interdum circa ea, quæ ſunt fidei, quæſtiones moveri: in quibus propter diverſitatem opinionum vel ſententiarum divideretur eccleſia, quæ ad ſui unitatem requirit fidei unitatem, niſi per unius ſententiam eccleſiæ unitas ſervaretur. Hic autem principatum hujusmodi habens eſt Petrus, ſucceſſorque ejus, non quidem ſynodali ordinatione, ſed ex ore Domini, qui eccleſiæ ſuæ noluit deficere in neceſſariis ad ſalutem.*

Sed innituntur ſingularibus prærogativis PETRI ejusque ſucceſſorum.

X. Fundantur hæ ab ipſo Chriſto immediate in Romanam ſedem derivatæ prærogativæ, illis privilegiis, quibus ex cæteris apoſtolis ſingulariter D. PETRUS eſt ornatus, atque ad regendam eccleſiam ſuam deſtinatus. Præterquam enim, quod ei omnia peculiariter Chriſtus tribuerit, quæ poſtea communiter collegio apoſtolorum ſunt conceſſa, in quo iterum PETRUS comprehendebatur, ut ſic unitas obtineretur; ſunt præterea quæ ſuper reliquos apoſtolos accepit, ipſisque

que etiam prælatus eſt. Ad quid enim trina illa interrogatio: *diligis me plus his?* ſemperque mox reddita reſponſio cum injunctione muneris paſtoralis: *paſce oves meas, paſce agnos meos.* Quibus verbis univerſitas totius chriſtiani nominis, atque ipſi adeo apoſtoli comprehenduntur: ipſaque exuperantia caritatis præeminentiam poteſtatis deſignat: *Nec modo ovium, ſed & paſtorum eſſet omnium paſtor*, ut S. BERNARDUS loquitur (a) ad EUGENIUM P. *unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico epiſcoporum, ſed etiam apoſtolorum, ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege & uno paſtore.* Hoc unum eſt, quod hic agimus, ut hanc ſingularem PETRI poteſtatem ſupra ipſos etiam apoſtolos imprimis juxta formam evangelicam ſtatim initio diſſertationis expoſitam tueamur: dum vidimus Chriſtum vituperaſſe in apoſtolis de prælatione arrogantiam ac jurgia; ad unita-

(a) De conſid. L. II. c. 8. n. 15.

tem regimen revocando, non adverſa inter ſe tribunalia inſtituendo, quorum ſuum PETRUS contra apoſtolos, apoſtoli ſuum contra PETRUM tuerentur, ſed mutua concordia communique conſilio in idem conſpirarent. Cujus rei aptiſſimum erat vinculum, ſi eadem poteſtas in totum collegium apoſtolorum diffuſa, in uno concluderetur cum præcellentia capitis. Hinc eſt, quod, quæ PETRO ſunt data ſpecialiter, collegio apoſtolorum ita generaliter tribuerentur, ut tamen cum quadam prærogativa id fieret; ut pateſceret in ſingularitate conceſſæ poteſtatis generalitatem quandam contineri, qua nihil exceptum eſſet, quo minus ampliſſime ea explicaretur in totam eccleſiæ univerſitatem ſingulariter in PETRO, & generaliter in collegio apoſtolorum, quod nec ipſum exceptum eſſet, quin etiam in iſta generalitate paſcendi oves, ac agnos PETRO data comprehenderetur. Quæ ſi ſecum perpendiſſent Græci, atque inter hos BARLAAM monachus, *libro de primatu Papæ c.* 16. mirari deſinerent, cum apoſtolorum unusquisque totius orbis paſtor, doctorque, immediate fuerit conſtitutus, antequam certi fines ac termini eccleſiarum conſtituerentur: cur poſt hos limites præſtitutos, quos uni alicui eccleſiæ præficiebant apoſtoli ſibi ſucceſſo-

ſucceſſores, eorum jurisdictio fines eccleſiæ non excederet; ſecus ac in PETRI ſucceſſore Romano Pontifice accidit, qui in ſingulares PETRI prærogativas ideo ſuccedit, atque in univerſum orbem chriſtianum principatum exercet, quia quam PETRUS ſingulariter habet poteſtatem nullis limitibus reſtrictam, eam in ſucceſſores transmiſit; & licet unam elegerit eccleſiam Romanam, tamen univerſalem jurisdictionem ex ſingulari eccleſia in omnem exercet eccleſiam: quod reliquis apoſtolis non erat commune: ut cum JACOBUS primum fuit conſtitutus Hieroſolymorum epiſcopus, licet munus apoſtolicum non amiſerit, tamen eo ex capite, quod uni eccleſiæ fuit addictus, in reliquam omnem eccleſiam qua epiſcopus poteſtatem non habuit: quia non ut PETRUS ſingulariter ei primatus ac cura eccleſiæ fuit commiſſa. *Inde eſt*, in rem ait S. BERNARDUS (*a*), *quod alii ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes ſcientes ſacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna eccleſiæ, una contentus eſt Hieroſolyma, Petro univerſitatem cedens. Pulcre vero ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, ubi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt frater Domini. Porro cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogativæ?*

(*a*) De conſid. L. II. c. 8. n. 15.

Hæc *Hen.* DODWELLUS confiĉto ex ingenio primatui cognatorum Chriſti applicet; at certe nihil ejusmodi ſomniavit S. BERNARDUS, qui & prærogativam PETRI agnovit, & ſacramentum unitatis, quod in laudato mox textu innuit pulchre explicavit in uno capite PETRO, in quo omnis poteſtas ſimul cum ipſa eccleſia repræſentatur, quæ ei gubernanda eſt commiſſa. Quomodo optime conſiſtunt, quod veteres aliquando, atque inter alios S. AUGUSTINUS dixit, nuncque RICHERIUS ac alii ad deprimendam accipiunt poteſtatis prærogativam: PETRO quæ commiſſa ſunt ſingulariter nomine omnium apoſtolorum eſſe commiſſa, atque eum figuram eccleſiæ tum repræſentaſſe. Nimirum hæc omnia eo accipienda ſunt, ut nihil ejus poteſtati ſingulari derogetur, quæ clariſſime a Chriſto eſt expreſſa, atque ad unitatem in PETRO revocata, non figura aliqua, ut ſibi hi imaginantur, judaica, ſed quæ unitatem demonſtraret eccleſiæ in regimine illius ab uno incipientem, & in uno principaliter cum univerſali totius eccleſiæ cura reſidentem; ſicut ſolemne eſt conciliis de ſe aſſerere, quod univerſalem repræſentent eccleſiam cum generali poteſtate. Atque hoc modo repræſentaſſe totam eccleſiam, poteſtatem PETRI generalem non de-

deprimit, ſed inſigniter exprimit: quomodo SS. Patres ſunt interpretandi, imprimis S. AUGUSTINUS qui dicit in Pſ. CVIII. PETRUM eccleſiæ geſſiſſe perſonam propter primatum, quem in diſcipulis habuit. Et alibi (*a*): *Petrus eccleſiæ figuram portans, apoſtolatus principatum tenens.* Quibus relatis verbis, *Hoc enim,* ait ill. BOSSUET (*b*), *habuit præ cæteris, ut cum eſſet omnium princeps, illud poteſtatis a Chriſto proxime & immediate manantis commune depoſitum principali jure, & ipſe acciperet, & ad ſucceſſores transmitteret: ut cæteros epiſcopos meminiſſe oporteat, ſe primum in Petro & unitatis capite deſignatos, formatos, conſtitutos in Petri ſucceſſore colendo & obſervando unitatem, & pacem ſervare debere.*

a.

b.

XI. Profeſſionem iſtam ab illuſtriſſimo auctore grataner libenterque accipimus, dummodo principatum iſtum in eo non fruſtretur, quod eſt capitale in religione, ac maxime eccleſiæ pacem & unitatem attinet, fidem intelligo, ob quam PETRUS, petra eccleſiæ fieri, illiusque fundamentum collocari dignus eſt habitus. Cum enim confeſſionem divinitatis Chriſti ediditſet (*c*), eum Chriſtus beatum de-

Singularibusque promiſſis de fidei ſtabilitate PETRO factis.

c.

(*a*) De verb. Dom. ſerm. XIII. c. 2.
(*b*) Defenſ. declar. cleri Gall. P. II. l. 13. c. 14.
(*c*) Matt. XVI. 17.

prædicans, *Quia*, inquit, *caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Quibus verbis ostendit, DEO non PETRO deberi istam professionem altissimi mysterii; tum pergit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Facessant hic RICHERII argutiæ (*a*), non dicere Christum, *tuam ecclesiam, aut, portæ inferi non prævalebunt adversum te.* Christi utique fuit ecclesia; at PETRO regenda, & cœlestis doctrinæ pabulo pascenda traditur: quod quei præstare poterat, si portæ inferi prævalituræ aliquando contra PETRUM fuissent: pro cujus fide Christus Patrem rogaverat, ne deficeret, quemque solidissimam petram ecclesiæ suæ posuerat. Nemo negarit, quod solent antiqui Patres docere, petram intelligi confessionem PETRI, dummodo ea non separetur a confitente PETRO, quæ duo utique Christus in suo sermone simul conjunxit. Quin & illud conceſſerim, PETRUM omnium nomine locutum fuisse, qua de re a D. CHRYSOSTOMO *os apostolorum* nominatur: suas tamen singulares & præcipuas executus est partes, fide præstans, ecclesiæ fundamentis in fidem suam

(*a*) De eccl. & polit. potest. n. 4.

ſuam receptis. *Petrus*, ait S. BASILIUS (*a*): *διὰ πίστεως ὑπεροχὴν*; *quoniam fide præſtabat*, *ἐφ' ἑαυτὸν*: *ſuper ſe ædificium eccleſiæ ſuſcepit.* Et S. GREGORIUS Naz. (*b*) *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis*, *magnis utique omnibus*, *& excelſis*, *atque electione dignis hic petra vocetur*, *atque eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat*, *καὶ τὰς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται.* Illud inſigne, quod unus ac primus confeſſionem hanc ediderit; *unde etiam*, *ſolus*, juxta S. AUGUSTINUM, *inter apoſtolos meruit audire*: Amen dico tibi &c. *dignus certe*, *qui ædificandis in domo DEI populis*, *lapis eſſet ad fundamentum*, *columna ad ſuſtentaculum*, *clavis ad regnum.* Sunt quidem & alii apoſtoli fundamentum, ac ſuſtentaculum, ipſisque etiam ſunt claves regni cœlorum datæ, ſed PETRO ſingulariter. *Hinc ergo*, inquit S. AUGUSTINUS (*c*), *Petri excellentia prædicatur*, *quia ipſius univerſitatis*, *& unitatis eccleſiæ figuram geſſit*, *quando ei dictum eſt:* Tibi dabo claves &c. Ubique ergo ſingularia in PETRO eminent, quæ in collegio apoſtolorum ſunt communia, ut ad eum ceu caput centrumque reliqui compaginarentur. Hinc ille unus confeſſionem edit, non aliam utique,

a.

b.

c.

(*a*) L. II. contra EUNOM.
(*b*) Orat. 26. de Moderat. in diſp. (*c*) Serm. 295.

quam quæ eſt apoſtolorum aut eccleſiæ, ſed pro capitis munere ſolus ipſe loquitur, atque ſublimiore ornatur fide, eique primum inſpiratur. *Tantamque*, inquit S. LEO (*a*), *in hac fidei ſublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, ſacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem, ſuper quam fundata eccleſia, portis inferi & mortis legibus prævaleret; nec in ſolvendis aut ligandis quorumcunque cauſis, aliud ratum eſſet in cælo, quam quod Petri ſediſſet arbitrio.* Hoc eſt illud ſingulare ſacramentum, ut vocat S. BERNARDUS ſupra laudatus, ac divinæ ſapientiæ providentiæque circa eccleſiam ſuam opus & myſterium ſublimiſſimum, quo omnia ad unitatem conſpirant in una fide, uno ore confeſſa, atque ad unum fundamentum firmiſſimamque *petram* revocata (*b*). *Unum igitur, hoc eſt immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra Petri ore confeſſa*, Tu es, *inquit*, Chriſtus, Filius DEI vivi: *Tanta in ſe argumenta Juſtinens veritatis, quantæ perverſitatum quæſtiones, & infidelitatis calumniæ movebuntur.* Inter quas perverſitatum quæſtiones, & infidelitatis calumnias ſunt referenda, quæcunque ad ſeparanda ea, quæ ſunt a divina providen-

(*a*) Serm. de Transfig. Domini.
(*b*) Apud S. LEONEM, Ep. XCVII. c. 3.

dentia ad unitatem in uno PETRO eccleſiæ fundamento redacta, aut fiunt, aut dicuntur: dum alia profeſſio PETRI, alius PETRUS confitens fingitur, & pro eccleſiæ petra ponitur; aut ſic eadem fides eccleſiæ, apoſtolorum, ac PETRI non ſtatuitur, ut PETRI fidei præſtantia, primæque ac ſingulares in ea confitenda partes negentur.

Atque in ejus ſucceſſores tranſmiſſis.

XII. Neque aliter quoad ſucceſſores PETRI Romanos Pontifices ſeſe res habet. Parum fuiſſet paci unitati, firmitatique eccleſiæ ſuæ, quando adhuc in cunabulis erat, & anguſtioribus limitibus ſuapte continebatur, proſpexiſſe; niſi eodem modo integritati illius deinceps eſſet proviſum, illis prærogativis ad poſteros in locum PETRI ſuccedentes transmiſſis, quas PETRO datas in evangelio legimus. Neque de hoc unquam vera dubitavit eccleſia. *Nulli dubium*, inquit in conſeſſu ſynodi III. PHILIPPUS, COELESTINI P. legatus (*a*), *imo ſæculis omnibus notum eſt, quod ſanctus beatiſſimusque apoſtolorum princeps, & caput, fideique columna, & eccleſiæ catholicæ fundamentum, a Domino noſtro JESU Chriſto Salvatore humani generis ac redemtore, claves regni accepit, ſolvendique ac ligandi peccata poteſtas ipſi data eſt, qui ad hoc uſque tempus & ſem-*

§. 2.

(*a*) Act. I. conc. Epheſ.

ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivit, & judicium exercet. Hæc, audiente, approbanteque Patrum totius Græciæ frequentia, dicere non dubitat, qui COELESTINI nomine aderat PHILIPPUS, ut hoc conſenſu jure ipſius concilii vox dici queat. Quo major eſt protervia Græculorum poſteriorum, ac præſertim ſeditioſi monachi
8. BARLAAMI (*a*) de hac hæreditaria prærogativarum ſucceſſione litem moviſſe, aut luſos egiſſe. Sic autem ille: *Quo minus Petri interim ſit ſucceſſor, clavesque regni cælorum gerat, non magnopere ſane refragabimur. Succeſſor nimirum ita erit Petri; ut morbus ſanitatis, tempeſtas ſerenitatis, tenebræ lucis. Clavesque regni cælorum geret, non illas, quæ aperiunt, ſed quæ claudunt; nec eorum cuiquam, qui ipſum ſequuntur, introire permittant.* Ita ſane in caput ſuum recipiunt mala, quæ blaſphemo ore evomunt, excæcati invidia, atque in reprobum ſenſum dati, qui Spiritus ſancti dona invidendo, in eum horrendum conſummarunt peccatum. Nemo integræ mentis ac fidei huic omnium ætatum unanimi conſenſu firmatæ obſtrepet veritati, ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivere, atque eccleſiæ gubernacula tenere PETRUM, petræ firmitate conſtanter perenniterque perſiſtente. *Manet ergo,*

cum

(*a*) Cap. 13.

cum S. LEONE loquimur (*a*), *diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perſeverans, ſuſcepta eccleſiæ gubernacula non reliquit.* Neque aliter unquam exiſtimarunt ipſi Pontifices, nec aliter eos eccleſia ſuſpexit, quam PETRI vices, ac locum tenentes. Qua de re tam frequenter PETRI vicarii ſeſe vocant, ac vocantur: quod legenti omnes fere decretales eorum epiſtolas patet, quas illi pro ſuſcepta totius eccleſiæ, PETRI nomine, cura & regimine, ubique terrarum eccleſiæ neceſſitatibus conſulentes, ſemper transmittere conſueverunt. Sic primus eorum, quorum genuinæ ad poſteros transmiſſæ habentur decretales ejusmodi, SIRICIUS Epiſt. I. n. 1. ad HIMERIUM, *Portamus*, inquit, *onera omnium, qui gravantur, quin imo hæc portat in nobis beatus apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit, & tuetur hæredes.* Quæ ergo ſingulariter accepit PETRUS in eccleſiæ regimine munia ea in ſucceſſores transmiſit, haud minus ac collegii apoſtolici prærogativæ in epiſcoporum collegium ſunt derivatæ, quæ nimirum ordinario jure gubernandæ eccleſiæ ſunt neceſſaria. Quo modo optime ſcriptura ſibi conſtat, & quæ in ea tam ſingulariter PETRO,

a.

(*a*) Serm. 1. c. 2.

PETRO, quam communiter apoſtolis data leguntur per æquas partes in eorum ſucceſſores tribuuntur: quibus tamen communi ſtudio, ac conſilio in eccleſiæ bonum utantur, de finibus ac limitibus poteſtatis minime diſputantes, nec eam ceu ſecum pugnantem & adverſam inducentes. Hac de cauſa uni ſingulariter eſt attributa plenitudo poteſtatis, quo ſecurius unitati ſua conſtaret integritas. Ea proinde una ita ſe in totam extendit eccleſiam, ut nihil ejus ſit ſubtractum amplitudini: cum collegium epiſcoporum, per portiones diviſam inter ſe, regat eccleſiam, quam pro munere apoſtolatus nullis limitibus circumſcriptam acceperunt apoſtoli. Hac ratione apoſtolatus proprie Romanæ adſcribitur eccleſiæ, ut ſæpe in antiquiſſimis monumentis, integris etiam a conciliis nominantur, ipſique ſe Pontifices apoſtolicos vocant; quod vere illis competit, utpote irreſtrictam in omnem eccleſiam nacti auctoritatem, quæ apud reliquos epiſcopos ſuæ diœceſeos continetur finibus; ut adeo ſi quando apoſtolatus nomen illis tribuatur, id improprie fiat. *Vid. Petr. Couſtant, Mon. ex Congreg. S. Mauri in Epiſt. Pont. præfatione.*

Quorum adeoque

XIII. Quem vero obſequii, ac reverentiæ ſenſum excitarit hæc de Roma-

næ

næ eccleſiæ apoſtolatu perſuaſio, ex hæreditate ſingularium PETRI prærogativarum, neminem incertum eſſe ſinunt eccleſiaſtica documenta omnis ævi. *Oſtendat tuus apoſtolatus*, ſcribit ipſe imperator JUSTINIANUS (*a*) ad HORMISDAM, *quod Petro ſucceſſit apoſtolo, quoniam Dominus a vobis utpote ſummis paſtoribus exacturus eſt univerſorum ſalutem, qui poterant eſſe ſalvi firmata concordia. Nos enim finitis capitulis, de quibus ſcripta ſuſcepiſtis, ultra non patiemur a quoquam controverſiam religionis in republica noſtra moveri.* Expreſſos hic habemus præclaros apoſtolatus effectus: ſcilicet omnium eccleſiarum omniumque cauſarum, maxime fidei ita ſatagere, atque diremtionem definitionemque curare, ut ultra de illis controverſiam moveri non ſe paſſurum teſtetur imperator. Quomodo vero ad hanc de judicio ſummi paſtoris exiſtimationem ſit inſtructus libello ad AGAPETUM dato (*b*) eſt profeſſus in hunc modum: *Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & a Patrum traditione non deviare. Quia non poteſt Domini noſtri JESU Chriſti prætermitti ſententia, dicentis:* Tu es PETRUS, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: *hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in ſede apo-*

delatum ſemper eſt auctoritati, ac deferendum. a.

b.

(*a*) Ep. 76. (*b*) Ep. 7.

apoſtolica inviolabilis ſemper catholica ſervatur religio. Similem libellum eidem Pontifici obtulit MENAS aliorum orientalium exemplo, qui a ſchiſmate Acaciano ad unitatem redierunt: Qui primi didicerant, quanti res ſit periculi, quantæque impietatis ſeſe contra eccleſiæ caput erigere, atque ab ejus communione ſcindi. Quod dum DIOSCORUS attentaſſet, a toto oriente ipſoque concilio Chalcedonenſi diris eſt devotus. De quo inaudito facinore ad LEONEM perſcribentes Patres illi, *Inſuper*, ajunt, *& contra ipſum, cui vineæ cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt, contra tuam quoque apoſtolicam ſanctitatem, & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus eccleſiæ unire feſtinas.* Iidem in eadem epiſtola produnt, quam totius ſynodi nomine perſcripſerunt, qua ipſi ſint imbuti exiſtimatione de Romana, ob PETRI vices, fide: *Quam*, ajunt, *velut auro textam ſeriem ex veſte Chriſti, & præcepto legislatoris venientem, uſque ad nos ipſe ſervaſti, vocis B. Petri omnibus conſtitutus interpres: ejus fidei beatificationem ſuper omnes adducens: unde & nos, quippe ut inchoatore bonorum, & ad utilitatem utentes, eccleſiæ filiis hæreditatem, ſortemque veritatis oſtendimus.* Non dubitant profiteri ſe acceptam ab ore ipſius veræ fidei formam,

mam, ut ipſius PETRI oraculum, ſuſpexiſſe, cui obſtrepere minime fas eſſet, aut de eo diſceptare amplius, quod apoſtolica auctoritate eſſet editum. Id quod ipſum LEONEM, ut tam confidenter ad eosdem Patres Chalcedonenſes ſcriberet, induxit, dum ad eandem legatos ſuos deſtinaret: *Nunc in vicariis meis adſum, qui dudum in fidei catholicæ prædicatione non deſum; ut qui non poteſtis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis dubitare quid cupiamus. Unde fratres chariſſimi, rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpiratam, vana errantium infidelitas conquieſcat. Non liceat defendi, quod non licet credi. Cum ſecundum evangelicas auctoritates, ſecundum propheticas voces, apoſtolicamque doctrinam pleniſſime & lucidiſſime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de ſacramento Incarnationis D. N. J. Ch. pia & ſincera confeſſio.* Nunquam clarius, manifeſtiusque enituit, quid ſit cum ſententia Romani Pontificis conſpirare, aut diſcrepare: duo agebantur ſynodi; prior ab unitatis centro diſceſſionem faciens latrocinium effectum eſt, atque uſque ad hodiernum diem dicitur; altera, LEONIS dictatis adſtipulans, inter illas quatuor œcumenicas annumeratur, quas evange-

liorum loco venerata eſt omnis ætas, ipſis etiam Pontificibus viciſſim redhibentibus veritatis teſtificationem, atque honoris, quam ſynodus illa D. PETRO in ſuis ſucceſſoribus detulit, quæ mutua poteſtatis communione faſtigium eſt nacta auctoritatis. Ut novo experimento conſtiterit, quod jam antea XISTUS III. COELESTINI ſucceſſor (qui eadem, qua LEO Eutichianam, ipſe Neſtorianam compreſſit auctoritate) ad JOANNEM *Antiochenum* ſcripſerat: *Expertus es negotii præſentis eventu, quid ſit ſentire nobiſcum. Beatus Petrus apoſtolus in ſucceſſoribus ſuis, quod accepit, hoc tradit. Quis ab ejus ſe velit ſeparare doctrina, quem ipſe inter apoſtolos primus magiſter edocuit.* Iſtud ſibi Pontifices uſurpabant gloriæ argumentum, in hoc ſe pie ac religioſe jactabant, quod ſcitis ſuis conciliabatur robur, ac firmitas veritatisque præjudicium ſingulare a PETRI vicibus, quas obibant, non propriis meritis ſive ſcientiæ, ſive ſolertiæ particularis. *Si quid*, inquit S. LEO (*a*), *recte per nos agitur, illius gubernaculis eſt deputandum, cui dictum eſt: & tu converſus, confirma fratres tuos.* Neque enim dubitare poterant, Chriſtum cum pro PETRO oraſſet, in eccleſiæ ſuæ utilitatem reſpexiſſe, quæ ſemper indiget aliquo, a quo

(*a*) Serm. III. De anniv. aſſumt. ſuæ.

a quo confirmetur, cujus fides deficere non poſſit, ut recte BELLARMINUS arguit, atque S. LEO pro certo agnoſcit, dum mox ſubjungit: *Quod nunc quoque proculdubio facit, & mandatum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos cohortationibus ſuis, & pro nobis orare non ceſſans.* Nihil ſibi, totum PETRO deputat. Nec aliis Pontificibus alia fuit mens. Inter hos NICOLAUS I. epiſtola ad Imp. cum ſummo applauſu in ſynodo VIII. perlecta, relatis Chriſti Domini ad PETRUM verbis Tu es PETRUS &c. *Petrus*, inquit, *a firmitate petræ, quæ Chriſtus eſt, ſtructuram univerſalis eccleſiæ inconcuſſam, & fidei robore ſolidatam, ita precibus ſuis munire non ceſſat, ut errantium veſaniam rectæ fidei norma reformare feſtinet, nec non intrepide eam conſocians, reunire procuret, quatenus portæ inferi malignorum utique ſpirituum ſuggeſtiones, atque hæreticorum impetus non prævaleant ejusdem eccleſiæ unitatem refringere.* Hoc eſt, quod perpetuo inculcamus, unitatis fundamentum, quæ eſt ſolidiſſima petra, cui eccleſia in PETRO ejusque ſucceſſoribus innixa, quievit: unam eandemque in communione poteſtatis auctoritatem exercens, ut ſenſit ſynodus Chalcedonenſis, in qua de ea, quam tulit, ſententia communi conſilio ac conſenſu legati pleno conſeſſu pro-

nunciant ſe unacum *ter beatiſſimo*, & *omni laude digniſſimo B. Petro apoſtolo, qui eſt petra & crepido catholicæ eccleſiæ, tuliſſe.*

In cõmunione poteſtatis legitimæ eccleſiaſticæ.

XIV. Ubi hic pugna illa, quam hodie a non longo tempore, comminiſcuntur, inter Pontificis, & epiſcoporum ſententias? Ubi tribunalium diverſitas inter PETRI ſedem, atque eccleſiæ cathedram, quam epiſcopi tenent? PETRI auctoritas in perſona ſucceſſorum una ac eadem deprædicatur, ac eccleſiæ, communi ſententia exercita, atque in PETRI fide, ſucceſſoribus relicta, ac ſolidata. Quo circa catholica fides, ac religio, apoſtolica etiam & Romana nuncupatur: ut recte obſervavit, celebris recentior ſcriptor inter eos, qui de libertatibus Gallicanis ſcripſit *Guido* COQUILLE: *Non*, ait (*a*), *quod fides noſtra urbi Romæ per ſeſe ſit affixa, ſed quod, cum Romam dicimus, in mentem venit ejus fidei, quam Petrus Romæ fevit Romanus ipſe epiſcopus: & quam Romani Pontifices ejus ſucceſſores retinuerunt.* Hoc modo tutiſſime præſtatur *una fides*, quæ in una eccleſia eſſe debet juxta apoſtolum (*b*), ſicuti eſt unus Dominus. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicuti vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus DEUS*

a.

b.

(*a*) Libertez de l'Egl. Gall. p. 4010.
(*b*) Eph. IV. 4. 5. 6.

DEUS & Pater omnium. Omnia a PAULO ad unitatem revocantur, ut chriſtianos in unitate contineat, eccleſiamque unam demonſtret. Unde in ſchiſmate Corinthiaco, dum unus huic alter alteri adhæreret, *Numquid*, inquit (*a*), *diviſus eſt Chriſtus*: oſtendens haud magis eccleſiam diviſam eſſe poſſe, quam ipſum Chriſtum, idemque eſſe hunc aut illam eſſe diviſam. Haud diſpar tunc fuit cauſa in eccleſia Corinthica ei, quæ nunc totam pene invaſit: dum unus dicit, ego quidem ſum PAULI, a collegio epiſcoporum ſto, illinc judicium certum exſpecto. Ego CEPHÆ Papam arbitrum auſculto. At numquid diviſus eſt Chriſtus? Numquid diverſas inter ſe pugnantes conſtituit cathedras, an unam PETRI? unam dico, non ſolam, communione poteſtatis. Quare erroris periculum, quod in cathedra PETRI in Romano Pontifice fingitur, in ipſum eccleſiæ tribunal redundat, unum idemque in unitate capitis coadunatum, ſolidatum firmiſſima petra in ipſa PETRI fide, ac ſede, quam Chriſtus tot promiſſionibus communivit. Quam ſi præſertim epiſcopi laceſſant, in ſeipſos deſæviunt, ut hodie experientia docet in cauſa bullæ *Unigenitus:* eadem jura jam a ſuis epiſcopis repoſcentibus refragariis.

a.

(*a*) 1. Cor. I. 13.

quæ hi haud ita pridem in Pontificem arrogabant, illius detrectantes judicium atque ad examen revocantes, in dubium vocata illius ad rectam fidem norma. In quos GELASII verba omnino quadrant in haud abſimili cauſa (*a*): *Æquum eſt, ut qui alios libenter, & competenter vultis habere ſubjectos, cedatis & ipſi antiquo more majoribus, ut confidenter imperare poſſitis minoribus veſtris. Duodecim certe fuere apoſtoli, paribus meritis, parique dignitate ſuffulti. Cumque omnes æqualiter ſpirituali luce fulgerent, unum tamen principem eſſe ex illis voluit Chriſtus, eumque diſpenſatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe vel prima, primum & præcipuum dirigeret Petrum. Ibique ſicut doctrinæ virtute ſublimis emicuit, ita ſanguinis glorioſa effuſione decoratus, æterno hoſpitio conquieſcit; præſtans ſedi, quam ipſe benedixit, ut portis inferi nunquam pro Domini promiſſione vincatur, omniumque ſit fluctuantium tutiſſimus portus.*

CAP. V.

(*a*) Apud SIRMONDUM in append. cod. Theod.

CAPUT V.

Quomodo competat ſedi Romanæ, & ab ea exerceatur auctoritas in finiendis cauſis religionis, ac fidei.

I.

Etſi igitur tot ac tantis divinis promiſſionibus petra eccleſiæ in PETRO eſt firmata, adverſus quam qui pugnent, ſatis ſe prodant ab inferi portis ſe ſtare, earumque cauſam agere, ac partes ſequi; tamen inter ipſos Catholicos, qui firmi alioquin firmiſſimæ huic petræ adhærent, reperti ſunt poſteriore ætate, qui illa, quæ una ac eadem ſunt ad unitatem eccleſiæ facientia, a ſe invicem ſeparent, quoad fidem nempe illam PETRI, pro qua, ne deficeret, Chriſtus Patrem rogavit, utique pro eccleſiæ perenniter duraturæ neceſſitate, utilitateque. *Jo.* DRIEDO triplicem hic facit diſtinctionem. *Sciendum*, inquit (*a*), *quod verbum Chriſti Patrem rogantis pro Petro poteſt concipi ſub triplici intellectu; vel primum pro eo, ut nunquam deficiat a corde Pontificis univerſalis eccleſiæ, nec videlicet a perſona Petri, nec a perſona Pontificis: vel ſecundo, ut fides nunquam deficiat a ge-*

Difficultas hic mota ſubtilibus diſtinctionibus.

2.

(*a*) De eccleſ. ſcripturis & dogm. L. IV. c. 3.

nerali cathedra, a ſede, ab univerſali eccleſia ſeu ovibus ipſius Petri: vel tertio, ut fides non deficiat unquam a propria ſede, vel diæceſi, quam Petrus peculiariter paſcendam, dirigendam, & gubernandam ſuſcepit. Pro triplici hac diſtinctione quæritur, an fides ſit defectura a perſona Pontificis, an ab eccleſia univerſali, quam regendam habet univerſaliter, an a particulari Romana, quam particulariter regendam ſuſcepit? Quæ ſingula injuria, ac periculo unitatis eccleſiaſticæ inter ſe diſtingui nos aſſerimus; nunquam futurum rati, ut eccleſia univerſalis a particulari Romana ſeceſſionem faciat. Nec fere hoc quemquam Catholicorum adverſarium patitur. Contendunt vero Galli, & ex his cumprimis Melenſis, inter eccleſiam Romanam, & Pontificem Romanum diſtinguendum, pro illa, non pro hac ſtare promiſſionem. Non quod ſeries ipſa Pontificum ac ſucceſſio unquam a vera fide ſit avellenda; ſed quod dum Pontifices nonnunquam a vera fide aberrent, interim in eccleſia Romana ea perſeveret.

Dum eccleſiæ Romanæ tribuitur, quod ad illius epi-

II. Quæ certe ſententia principia Richeriana ſapit: ac ſi claves, ſaltem doctrinæ, primario penes ipſos fideles non eorum præſules conſiſtat. *Quisnam hoc in eccleſia DEI poſſit audire?* Utar Gela-

sii verbis (a), *cum utique paſtorem ſequi grex debeat ad paſcua ſalutaria revocantem, non per devia gregem paſtor errantem. Dic mihi, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem?* Scribit hoc Pontifex in cauſa Acacii ad epiſc. Cpol. Euphemium, qui cauſabatur, Acacii nomen aboleri ex diptychis, non ferre populum. Quæ addit deinceps de eccleſia Romana videntur adverſariis noſtris favere, ea igitur adducam: *Certe ſi vobis hoc placet, multo magis nobis eſt cauſa juſtior, qui populum Romanum a fide illa ſua laudabili majorum traditione percepta declinare non ſinentem, nos penitus libenter audivimus.* At his verbis nil efficitur, niſi quod nos hic urgemus, & paulo poſt uberius explicabimus, non eſſe ſeparandam a ſe invicem fidem tum univerſalis eccleſiæ, cum particularis Romanæ. At vigilantiæ curæque paſtorum tam univerſalem eccleſiam regentium, quam particularem Romanam gubernantis deputandum, quod non deficiat fides; quodque eccleſia in orbem diſperſa, Romæ vero complicata ceu in centro habeat indeficientis fidei conſtantiam, id deberi curæ & ſollicitudini paſtorum. Quare ſi eccleſia Romana etiam particularis hoc privilegio gaudet, neceſſe eſt eam eſſe penes Pontificem prius: ne- ſcopum ſpectat.

(a) Epiſt. ad Euphem. Cpolitanum.

mo enim dat, quod non habet; ex ore autem ſui paſtoris docentis definientisque hæret fidelium multitudo. Et quidem a Pontifice dependet tam eccleſia univerſalis, quam particularis Romana, quia eſt hæres promiſſionum PETRO datarum, antequam quidem aut Romana, aut univerſalis eccleſia eſſet conſtituta: ut adeo PETRUS ab eccleſia non potuerit accipere, ſintque privilegia immediate PETRO conceſſa, cui utique ipſi Pontifices ſuccedunt in munere regendi ac docendi, fidelibus injuncta audiendi obediendique lege, atque active in eccleſia docente, paſſive ſolum in audiente ſit iſta infallibilitas: DEO id agente, ne verbum ſuum egrediatur vacuum, atque in vanum currant fidei præcones. Ita, qui hanc materiam doctiſſime tractavit DUVALLIUS (*a*), infallibilitatem eccleſiæ, & Pontifici a Chriſto eſſe conceſſam, diſtinguit: *Sed diverſo*, inquit, *modo* (*de concilio generali non loquor*) *illa quidem paſſive, quatenus nempe vi promiſſionum Chriſti, & perpetuæ Spiritus ſancti aſſiſtentia falſum pro vero nunquam poterit acceptare. Huic autem active, quatenus nunquam pro vero falſum obtrudet, & id quidem virtute & efficacia orationis Chriſti.* Addit paulo poſt: *Hæc autem duplex infallibilitas maximam fidei catholicæ firmitatem*

a.

(*a*) De infall. Rom. Pont. P. II. q. 3.

ratem arguit. Nam ſi per impoſſibile Pontifex in definiendo falleretur, eccleſia tamen illius errore non inficeretur. Et ſi ſimiliter per impoſſibile eccleſia falſum pro vero coleret, ſummus tamen Pontifex hujusmodi falſitatem ſua definitione quam primum damnaret. Dixi per impoſſibile, quia quod alterutrum horum falſum pro vero definiat, nunquam poteſt contingere. Hæc ſane eſt divini Numinis circa eccleſiam ſuam mira diſpoſitio, quæ ſeſe exerit, tam circa Pontificem PETRI ſucceſſorem, quam epiſcopos apoſtolorum ſucceſſores in communione legitimæ eccleſiaſticæ poteſtatis: tam circa eccleſiam Romanam, quam univerſalem, ut DEO mirabiliter providente in unitate fidei conſpirent: nec ſit unquam perennaturus diſſenſus, aut pugna, qualem fingunt hodie, vel inter Pontificem & eccleſiam, tum univerſalem cum particularem Romanam; vel inter ipſos ſummos eccleſiæ principes: cum ſit communio inter eos poteſtatis, ſtatuendi ea, quæ ſunt fidei. Promiſit Chriſtus ſuper PETRUM ſe ædificaturum eccleſiam: ac mox ſubjungit, adverſus eccleſiam illam portas inferi non prævalituras. Tam PETRUS ergo promiſſis oneratur, quam eccleſia; ita tamen ut ſuper PETRUM ædificetur: nec hic ergo, nec illa privilegiis divinis eſt fraudanda.

PE-

PETRUS, & apoſtoli eccleſiam regendi acceperunt pleniſſimam poteſtatem; ille ſingulariter, hi in toto collegio, non utique excluſo PETRO, imo collegii capite conſtituto.

Ac ſedes a ſedente vana ſubtilitate diſtinguitur.

III. Sed jam hæc omnia non ſolum ſubtiliter diſcernendi, verum etiam inter ea pugnas, & diſcordantias fingendi via ac ratio excogitata eſt. Ipſa ſedes, a ſedente metaphyſico acumine diſcriminata eſt: quæ utique in eo, quod nunc agitur, a ſedente deſtituta cogitari nequit. Ipſa enim ſedes per ſeſe muta eſt, nec fidei aut recipiendæ, aut depromendæ aliter capax, quam in ſuo *ſedente*. Niſi velimus ſedem pro ipſa eccleſia ſumere; patuit vero mox, nec hoc recte fieri. Recte obſervavit ac rationibus firmavit *Melchior* CANUS (*a*), quando de errore in fidei judicio, atque decreto agitur, nullum ſe diſcrimen inter ſedem apoſtolicam, & apoſtolicæ ſedi inſidentem invenire. *Primum*, inquit, *quod cum ad ſedem apoſtolicam accedimus, fidei oracula poſtulaturi, non ſingulos Romanæ eccleſiæ fideles interrogamus, nec eccleſiam ipſam Romanam in concilium cogimus, ſed Pontificis maximi judicium quærimus. Rurſum, quoniam non Romanus populus eſt, qui univerſam eccleſiam docet ea, quæ ad fidem attinent,*

a.

(*a*) De loc. Theol. L. VI. c. 8.

nent, ſed Romanus epiſcopus ; nec poteſtas judicandi, paſcendi, in populo Romano eſt, ſed in Romano paſtore, vicario JESU Chriſti ; concilia quoque non exigunt confirmationem & robur ab ipſa Romana plebe, ſed a plebis Romanæ antiſtite. Præterea privilegium firmitatis, ut ante probatum, Petro fuit peculiariter datum. Ego rogavi &c. Ne vero hoc modo pugnantem eccleſiam cum paſtore inducere videatur laudatus auctor, aſſertum a nobis ordinem DEO ita providente declarat, quo fiat, ut quam ex cathedra docet ſanam doctrinam Pontifex, eam eccleſia non reſpuat, donum DEI fidem, inquam, recipiens ſemine verbi DEI in bonam terram cadente. *In Petro,* inquit (*a*), *& ſucceſſoribus, primum firmam, & certam doctrinam aſſerimus, mox vero in eccleſia Romana, cujus Petrus cum ſucceſſoribus, & caput, & fundamentum eſt.* Quæ vero addit, ſingulari animadverſione ſunt digna : Quod ſicut, omnibus ſimul epiſcopis docentibus errores aliquos, neceſſe eſſet ſane totam eccleſiam vario in errore verſari ; ita ſi paſtor eccleſiæ Romanæ errorem fidei contrarium decerneret, oves quoque errante paſtore diſpergerentur. Quæ ſane peremtoria ſunt, atque illos vehementer ſtringunt, 2.

(*a*) Id. ibid.

gunt, qui quidem collegio epiſcoporum in concilio congregatorum, utpote univerſalem eccleſiam repræſentanti, infallibilitatem tribuunt, epiſcopo vero Romano eandem negant, qui utique eccleſiam ſaltem ſuam repræſentat Romanam, ſiquidem ex ſedis ſuæ ſententia loquitur, quam fatentur in fide deficere non poſſe. Nec aliter enim idem privilegium Romano Pontifici adſcribimus, ut mox declarabimus, niſi ex cathedra loquenti, atque eccleſiæ ſuæ doctrinam proponenti. Quæ qui ſecum perpenderunt recentiores theologi Galli, pudet jam ſociorum ſuorum, qui ſedenti infallibilem judicandi vim negant, ſedi concedunt: per quam etiamſi ipſam eccleſiam intelligant, contra proprium tamen agunt ſyſtema, ut optime advertit P. *Gallus* CARTIER contra illuſt. BOSSUETUM, qui in defenſione declarationis cleri Gallicani ex ſententia ſuorum unam eccleſiam catholicam, quæque eam repræſentat ſynodum œcumenicam agnoſcit, cui nullus unquam obrepat defectus: *Igitur ſi hic Meldenſi fides*, ſunt verba cl. auctoris (*a*), *ſola eccleſia catholica, ſynodusque œcumenica eam repræſentans infallibilis eſt: at ſedes apoſtolica, ſeu eccleſia Roma-*

a.

(*a*) P. *Gall.* CARTIER de auctorit. & infall. S. P. c. I. n. 17.

Romana omnino errori obnoxia, quippe cujus fidei & morum definitiones, ſi quid in iis ipſa erret, ab eccleſia catholica ipſa, ſynodoque æcumenica eam repræſentante, retractari, revocari, & corrigi poſſint. Ad quid ergo tanto prius apparatu nobis eccleſiæ Romanæ, ſeu ſedis apoſtolicæ infallibilitatem inculcare allaboravit, ſi modo ex ejus ſententia non major illi inſit fidei firmitas, quam qua tum ipſe, tum cleri Gallicani anni 1682. *præſules ipſum Romanum Pontificem præditum eſſe velint.* Ne quid diſſimulem locus, quem præ oculis habuit cl. auctor ex Meldenſi, cleri ſolummodo Romani meminit, qui, ſi quid erraret, ab eccleſia catholica dirigi, docerique deberet ex ſententia Meldenſis. Forte ſedem, ſeu PETRI epiſcopatum, ut alicubi loquitur, ab epiſcopo ipſo diſtinguit: ſed ſi epiſcopatum PETRI pro eccleſia ipſa habet, ſive univerſali catholica, ſive particulari Romana, res mihi multo abſurdiſſima videtur, niſi epiſcopus ſimul cum eccleſia conjunctus ſpectetur, quod nos faciendum contendimus. Alias ſane non video, quomodo eccleſia ab epiſcopo denominetur, ipſe vero epiſcopus excludatur, a quo denominatio ſumitur. Niſi ut iterum repetam ἡ ἐπισκοπὴ ſeu munus epiſcopale primario in communitate eccleſiaſtica ſtatuatur, a quo non

poſſunt

poſſunt admodum abhorrere, quos his oppugnamus, ipſeque Meldenſis non ſemper ſatis ſibi in hac re cavit, qui quodam loco huc tendentem Fr. ZARABELLÆ (a) ſententiam ejusmodi laudat: *Univerſitas totius eccleſiæ ſuperiorem non habet, niſi DEUM & Papam cum adminiſtrat: & de hoc an bene vel male, habet utique univerſitas decernere: neque unquam ita potuit transferre ipſam poteſtatem in Papam, ut deſineret eſſe penes ipſam, quia hoc eſſet contra jus divinum, & contra exempla apoſtolorum.* Sive hoc de univerſitate fidelium in orbe diſperſorum, ſive eorum repræſentatione in conciliis, ut hi loquuntur, intelligat Cardinalis, fruſtra eſt, dum poteſtatem aliunde quam a PETRO in Papam translatam dicit, ac exerceri.

a.

Quæ omnia notionem ex cathedra loquentis Pontificis, efformant.

IV. Neque vero hoc modo eccleſiæ univerſitati, ſive in fidelibus, ſive in paſtoribus ſpectetur, derogatum aliquid volumus, quibus ampliſſimas promiſſiones a Chriſto factas agnoſcimus. Solummodo eam concordiam, & conſenſionem urgemus, quæ totius eccleſiæ compagem ſimul unit in capite ac unitatis centro, non ſolum Rom. eccleſia, ſed & cathedra, eamque regente, ac tenente Pontifice. Qui omnes ut unum idemque corpus eccleſiæ con-

(a) Tr. de Schiſm.

conficiunt, ita unam ac eandem fidem tenent, quæ una eademque a Pontifice & epiſcopis, fidei depoſitum diſpenſandum conſecutis, docetur, atque tam a Romana, quam univerſali eccleſia recipitur, retineturque. Quemadmodum vero non quod quilibet epiſcopus privatus docet, catholicæ fidei præjudicium facit; ſed in quod collegium epiſcoporum conſpirat, illud eſt infallibilis auctoritatis; ita pariter non omne id, quod Romanus Pontifex ut privata perſona dicit, pro irrefragabili habetur; ſed quando paſtorale munus ſuum exercens ex cathedra loqui dicitur. Mirum vero eſt, hic difficultates poſſe necti, atque dubitari, quid ſit ex cathedra loqui, ſi quod munus eſt in eccleſia ſummi Pontificis ab omnibus Catholicis agnitum conſideretur, ut nimirum Pontifex tanquam paſtor ac caput, Romanæ totiusque catholicæ eccleſiæ declaret verbum divinum, doceatque fidem, quæ in communione legitimæ poteſtatis promulgata a fidelibus teneatur: quod dum facit, mihi ex cathedra loqui dicitur, concreditum fidei depoſitum proponens: in quo aberrare eum fieri non poſſit, ſive eccleſiæ Romanæ, ſive univerſalis traditione conſulta decernat, cum una eademque ſit inde a Chriſto per legitimos paſtores PETRO ac apoſtolis

ſuccedentes tam in Romana, quam reliqua eccleſia catholica tradita ac cuſtodita. Operoſa diſcuſſione, ſtudioſa indagatione avitæ traditionis, conſultationeque ſollicita fidei eccleſiæ Romano-catholicæ in communione legitimæ poteſtatis opus eſſe, ut his omnibus rite obſervatis deciſio ejusmodi ex cathedra emanet, me nihil monente, claret. D. *Andreas* Duvallius quomodo Papa ut Papa agere ſeu loqui ex cathedra dicatur, diſputans,
a. hæc omnia complectitur (*a*): *Illum ea debere conſulere, quibus fides pura & integra conſervatur: cujusmodi ſunt ſcriptura ſacra, traditiones, conciliorum definitiones, decreta prædeceſſorum, unanimis Patrum & doctorum conſenſus: denique conſenſus omnium fidelium, non tantum eorum qui vivunt, ſed etiam qui jam e vivis exceſſerunt: quia in his tanquam in obſignatis quibusdam tabulis, fides conſervatur, nutritur, & roboratur.* Tanto autem ſtudio opus eſt, quod oracula ejusmodi non immediato afflatu Spiritus ſancti edantur, ſed juxta conſervatum in eccleſia verbi divini depoſitum examinentur. Quod pariter illi, quoad conciliorum definitiones admittere debent, qui in his ſolum infallibile admittunt judicium. Neque enim æque omnia in illis dicta, geſtaque irrefraga-

(*a*) De ſuprema poteſtate Papæ P. II. q. 5.

fragabilis auctoritatis judicantur. *Non enim Catholici docent*, inquit unus ex illis inter præcipuos, Meldenſium antiſtes (*a*), *quæcunque in conciliis geſta ſint, ea ad eccleſiæ catholicæ fidem pertinere : ſed eo loco habent illa tantum, quæ decreto edito fidelibus omnibus credenda, ac tenenda proponuntur, quod & Melchior Canus copioſe docet, & catholici omnes uno ore conſitentur.* 2.

V. Quodſi eodem modo judicaſſet noſter Bossuet cum Romani P. decretis, deferviſſet ardor, atque indignatio, qua paſſim in ſuo opere, in doctores Lovanienſes ſtomachatur, etiam dum conditiones Pontificis ex cathedra loquentis ampliſſimas ponunt. In re tanti momenti, cujusmodi fidei ac morum ſunt, mirum videri haud debet, ubi ſumma ſeſe poteſtatis pontificiæ exerit amplitudo, ibi deliberationem ac circumſpectionem maximam adhibendam. Nec facile credendi ſunt Pontifices plenitudinem poteſtatis ſuæ explicare, niſi prius nihil reſidui fecerint, ac in ſe deſiderari ſint paſſi, in ejusmodi cauſis, quæ ceu norma, ac regula toti eccleſiæ præſcribitur: quæ quo impeditiores, abſtruſioresque nonnunquam ſunt, eo majorem etiam diſquiſitionis diligentiam ſæpe flagitant. Et quoniam ad totam eccleſiam ſpectant, Quod non cito factum eſſe præſumitur.

(*a*) *B.* Boss. defenſ. decl. cl. Gall. P. II. L. VII.

ad eam totam etiam ſcita ejusmodi deſtinari debent. Quare ſi obiter quædam proferantur, etiam in reſcriptis pontificiis, ſententiæ, de quibus illi vel omnino non ſunt conſulti, aut ab uno alterove epiſcopo tantum, neque ut judices, vel legislatores eccleſiæ rem agunt, ad univerſam eccleſiam dirigunt, decretoque eam obſtrictam decernunt, non voluiſſe oracula fundere credendi ſunt. Quod in cauſa eſt, cur HONORII epiſtolæ licet ad ſummos orientis Patriarchas datæ neminem nec eccleſiæ Romanæ, vel totius occidentis ad ſectam Monothelitarum deflexerint. Obſervant Pontifici ſumme obnoxii, atque illius amplificandæ auctoritatis ſtudioſiſſimi *Melch.* CANUS, BELLARMINUS, alii, non deeſſe etiam in corpore juris reſponſa cum eccleſiæ doctrina non omnino congrua, ut a poſterioribus Pontificibus aliquando retractata ſint, quæ anteceſſores ſui ex opinione, non tanquam de fide declararint. Quæ tametſi canonum codicibus, ac decretorum decretaliumque collectionibus inſerta, hinc tantum robur tamen non habeant, ut ultra eam opinionis ſphæram cenſerentur evecta, quam primum fuerunt edita. Nulla hactenus ejusmodi decretalium collectio tanta auctoritate aut eſt facta, aut a Pontificibus inſtru-

inſtructa, ut plenitudinem poteſtatis in ea probanda explicarint. In quibus primum privata opera collectis, fieri potuit, ut ſeligerentur quædam non ſatis caſtigata: quod etiam collectioni illi canonum contigit, qui hactenus apoſtolorum dicuntur. Conveniunt jam doctores, eorum plerosque in conciliis primitivis editos poſtea eſſe in corpus redactos; qui etiam codici fuerunt magna ex parte inſerti, quo ante novam juris canonici compilationem eccleſia Romana eſt uſa, quin ſupremam auctoritatem tribuerit. Tuetur univerſim P. *Petrus* COUSTANT, (*a*) monachus e congregatione S. MAURI, minime idcirco Pontificum epiſtolas, ad privatas exterasque eccleſias miſſas, per eccleſias etiam ſpecialiter ad ſedem apoſtolicam pertinentes robur acquiviſſe, obediendique indixiſſe neceſſitatem, cum e privatis ſcriniis in publicum codicem eductæ promulgari, ac pro inſtituto decretali haberi cœpiſſent: promulgari vero conſuetas, cum ad eccleſias ipſas fuiſſent deſtinatæ pro rei gravitate vel ad plures, vel ad omnes in communione nimirum legitimæ poteſtatis receptæ, ac fidelibus ad credendum propoſitæ. Qua in re poſterioris generis ſcita tantum ad cen- 2.

(*a*) Præfat. in Epiſt. Pont. P. I. n. 43.

cenſum deciſionum ſpectare poterant, quæ ex cathedra locutum Pontificem arguerent; aut ſi hæc phraſis diſpliceat: quæ a Pontifice, ut eccleſiæ paſtore, judice, ac legislatore toti eccleſiæ diſtricte tenenda proponebantur, promulgabanturque cum anathematis fulmine, quod indicat ab eccleſiæ communione fideique unitate excidiſſe refragarium, cujus centrum eſt Romana eccleſia, cum quo cohærendi omni Catholico eſt neceſſitas, nemine diffitente aut detrectante vere Catholico.

Inter quas palmaris ut traditione conſulta deciſio fiat.

VI. Nullibi magis eſt implicata totius eccleſiæ cauſa, quam ubi & res totius eccleſiæ, eaque ſummi momenti agitur: qualis ſola digna Pontifice ex cathedra loquente, ut Pontifex totam ſuam exerceat poteſtatem, quam ceu PETRI ſucceſſor ad paſcendas oves dominicas ſingularem accepit. Quo in judicio, ſi quoquo modo poſſet decipi, in errorem abduceret oves, quas nullis exceptis, paſcendas ſuſcepit. Fieri autem nequit per promiſſiones Chriſti eccleſiæ ſuæ aſſiſtentis, tam in ejus paſtoribus, ut verbi divini pabulum corrumpant aut ſubtrahant, quam fidelibus populis, quin illud ſuſcipiant, atque in ſuccum, utita dicam, ſanguinemque convertant. Iterum

ergo

ergo divinæ providentiæ operibus, ac curæ circa eccleſiam ſuam ſeſe opponunt, qui hic pugnam inter doctrinam ac fidem paſtoris docentis, & gregis credentis ſerunt, quaſi diverſa eſſe poſſit; & non Pontifex ex cathedra locuturus hoc unice agendum ſuſcipiat, ut eam proponat doctrinam, quam, a Chriſto apoſtolisque receptam, conſervavit ſemper illibatam eccleſia. Quomodo cum BELLARMINO (*a*) agnoſcunt omnes, definitiones de fide præcipue pendere ex traditione apoſtolica, & conſenſu eccleſiarum. Non quod ante conſenſum explicite a tota eccleſia præſtito, & quidem juxta appellantes Gallos in concilio generali, deciſio Pontificis robur non habeat; ſed quod Pontifex, ejusmodi definitionem edens, nihil proponat, niſi quod traditioni apoſtolicæ, & fidei eccleſiæ congruat juxta leges communionis legitimæ poteſtatis inter ſummos eccleſiæ paſtores. Quo ſenſu, nobis minime repugnantibus, Meldenſi liceat ex cathedra dicere, quod ex communi traditione aut conſenſione ſit proditum. Hac enim explorata demum Pontifex ex cathedra loquitur: eam autem fatente etiam Meldenſi in eccleſia Romana, quæ nunquam a vera fide deficiet, quin ſit

(*a*) L. VII. c. 6.

centrum unitatis, reperire poteſt. Nimirum una eſt fides, una eccleſia, una cathedra. *Nec altera Romanæ urbis eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt*, ut
a loquitur S. HIERONYMUS (*a*). Quo ſenſu MARTINUS V. in concilio Conſtantienſi ad art. XLI. *Jo.* WICLEFF, & HUSS: *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere, Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias*, ſic approbante concilio dicit: *Error eſt, ſi per Romanam eccleſiam intelligat univerſalem eccleſiam, aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias eccleſias particulares.* Procul abſit, ut nos eccleſiam Chriſti ſcindamus, atque ejus legitimam poteſtatem inter ſeſe dividamus. Secus ipſi PETRO, ac ſucceſſoribus illius injuriam faceremus, ſi cathedræ illi eccleſiam orbis ſubtraheremus: eamque opponeremus cathedræ collegii apoſtolici, penes epiſcopos depoſitæ; ſed unam eſſe dicimus communione poteſtatis; ut neque epiſcopi aliam contra PETRI cathedram ſtatuant, nec PETRUS ſuam, aut ſolam, aut contra collegii apoſtolici cathedram erigat. Quod minime facit Pontifex ex cathedra loquens, ſuſcepta prius traditionis diſquiſitione, tandem definiendo,

atque

(*a*) Epiſt. ad EVAGR. & refertur Diſt. 95. C. legimus.

atque toti eccleſiæ credendum aliquid proponendo, quam regendam ſuſcepit, quamque repræſentat, dum ex communi illius fide decernit, a Chriſto, & apoſtolis acceptum diſpenſans depoſitum. Quodſi vero poſt diligens examen, diſcuſſionemque non ſequatur definitio, ſignum eſt hanc divinam deficere traditionem, quæ ſufficiens præbeat fundamentum ad quæſtionem ejusmodi tanquam de fide definiendam. Quod æque in concliis, quam in pontificiis decretis fieri poteſt, non vero in communione legitimæ poteſtatis eccleſiæ univerſali propoſitis ad credendum.

VII. Et quoniam iſta oracula fundendi auctoritas non ſubita inſpiratione, ac immediato afflatu, ac revelatione exercetur, ſed requirit, ſupponitque materiæ occurrentis diſcuſſionem, traditionisque ac fidei eccleſiaſticæ examen; accidit ſæpe motibus graviſſimis conflictari, donec omnibus involucris, ac difficultatibus expediatur propoſita quæſtio. Nunquam deficit traditionis veritas, ſæpe vero, donec in apricum deducatur, occultius latet. Et quoniam præter Romanam nulla particularis eccleſia aberrandi, devian-dique a vero traditionis tramite periculo immunis eſt; hoc ipſum eſt, quod Romanam cathedram in arcem poteſtatis

Cujus eccleſia Romana ſemper fuit fideliſſima cuſtos.

collocat, quæ a fide nunquam deflectens, ſemper in ſinu ſuo vivam quandam traditionem cuſtodit, atque fidei quandam exuperantiam in eccleſiam per orbem diſperſam exundat, conſtans ſemper ac invicta in tuenda, vindicandaque avita traditione; ut ſi quando particulares quædam eccleſiæ ab ea deflectere tentent, ſtatim violatæ traditionis arguantur. Luculentiſſimo æque, ac antiquiſſimo exemplo rebaptizationis hæreticorum hoc conſtat, integra tunc florentiſſima Africæ eccleſia duce S. CYPRIANO ſeſe opponente ſpecioſa quædam rationum momenta, uſumque multarum quidem eccleſiarum, non adeo vetuſtum tamen, urgente. Contra quæ omnia S. STEPHANUS unice ſe tuebatur conſuetudinis robore, quo tenebatur orbis terrarum, ut de eo teſtatur S.
a. AUGUSTINUS (*a*), muniit, quam in eccleſia Romana aliisque conſtanter retentam deprehenderat: illud perpetuo ingeminans: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.* Licet pacis unitatisque ſtudens non ſtatim arbitraretur rem ſuprema poteſtate cum exciſione ab eccleſia ſua centro unitatis, atque ad eccleſiæ univerſalis uniformem obſervantiam ex cathedra conſtituendam. Dum interim nihil eorum omiſit, quæ ad revocandos ab errore devios,

(*a*) Lib. II. de Bapt. c. 7.

devios, atque receptam eccleſiæ traditionem tuendam conferre potuerant. Quam viam alii antea, poſteaque conſtanter pro incumbente ſibi totius eccleſiæ, conſervandæ præſertim fidei, cura, Romani præſules præſtiterunt traditionis acceptæ retinentiſſimi: id in reſcriptis ſuis quibus eccleſiam replebant aut rogati, aut pro munere ſuo ultro caventes ne quid novi, aut alieni ab apoſtolicæ traditionis depoſito ſibi ab apoſtolorum principe PETRO relicto decernerent. A quo tramite nec etiam in diſciplinæ capitibus ſibi recedendum putabant. Ut in paſchatis cauſa ANICETUS, ac VICTOR, in aliis innumeris alii Pontifices oſtenderunt: unde cerni poteſt, quo zelo in fidei capitibus, ne qua acceptæ traditionis mutatio locum reperiret, teneantur. Ita quidem SIRICIUS (*a*) in ejusmodi cauſis ſedis Romanæ mentem expreſſit: *Prædico ut unam fidem habentes, unum etiam in traditione ſentire debeamus.* Idem alio loco (*b*): *Si ergo una fides eſt, manere debet, & una traditio. Si una traditio eſt, una debet per omnes eccleſias diſciplina cuſtodiri.* Hunc illi in finem ſolliciti erant, ut in eccleſia ſua Romana ne latum quidem unguem a traditis diſceſſio fieret, aut aliqua locum inveniret mutatio; idem

a.

b.

(*a*) Ep. VI. n. 2. (*b*) Id. Ep. X. n. 9.

idem in univerſa eccleſia pro viribus ſatagebant : ſtudioſe etiam , quidquid ad rem chriſtianam ſpectabat, ſeu ab ipſis Romanis Pontificibus, ſcriptis præſertim undique terrarum epiſtolis , emanaſſet, ſeu aliunde collato cum collegis conſilio & opera provenerat , cuſtodiebant , deponebantque in ſcriniis : quæ emergentibus cauſis , ac dubiis evolvebant , ac conſulebant, quo poſſent conſtantius eadem ſemper judicia formare, atque decreta , ſi neceſſitas poſceret , omnisque procul eſſet novitas. Hinc eſt, quod ſcrinia ſedis ſuæ toties in epiſtolis allegent: ſintque ea antiquitati tam celebria; *archivum*, ſeu *chartarium* alias dicta.

Eamque cum ſucceſſione apoſtolica intemeratam cuſtodit.

VIII. Sed non ſunt hæc chartacea in archivis ſervata monumenta, quibus eccleſiæ Romanæ ſtat traditionis conſtantia, atque hinc decretorum ejus firmitas: ad alia nos vocat TERTULLIANUS. *Age jam*, inquit ille (*a*), *qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ apoſtolorum , ſuis locis præſidentur : apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur , ſonantes vocem , & repræſentantes faciem uniuscujusque. Proxima eſt tibi Achaja ! habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes*

(*a*) Lib. de Præſcript. c. 14.

habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Felix eccleſia, cui totam doctrinam apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Aliæ quidem eccleſiæ omnes perierunt, quibus apoſtoli doctrinam ſuam aut litteris, aut ſanguine ſuo conſignarunt, ſola Romana incolumis ac inconcuſſa ſtat, ſingulari divinæ providentiæ argumento, ut ſua, promiſſis PETRO factis, ſtet firmitas, in illius ſucceſſoribus propagata, retenta conſtanter fide, quam PETRUS accepit a Chriſto Patrem deprecante, ne unquam deficeret, illique in depoſitum perpetuum tradidit. *Beatus Petrus apoſtolus in ſucceſſoribus ſuis, quod accepit hoc tradidit*, repetam inſignia XISTI III. ep. 6. verba, *quis ab ejus ſe velit ſeparare doctrina, quem ipſe inter apoſtolos primum magiſter edocuit? Non hunc auditus ſermo per alterum, non ſermo lectus inſtruxit, doctus eſt cum aliis ore doctoris. Non ſcripturæ, non ſcriptorum paſſus eſt quæſtionem: abſolutam, & ſimplicem fidem, & quæ controverſiam non haberet, accepit.* Hæc igitur abſoluta ſimplex, & controverſiæ expers, doctrina Romanæ eccleſiæ quotiescunque in eccleſia per orbem promulgatur, omnino non eſt detrectanda, aut in controverſiam vocanda a fidelibus,

libus, qui legitimæ poteſtati eccleſiaſticæ obſequium fidei præſtare debent. Romana vero eccleſia, dum ab apoſtolis fundatæ reliquæ omnes exciderunt apoſtolicæ, per ſucceſſionem continuam ceu in canali traductæ fidei & traditionis puriſſima fluenta propinat, quam fidem totus occidens cõmunem cum Roma habet, quæ conſtanter matrici adhæret. Sic jam olim S. AUGUSTINUS (*a*) JULIANUM Pela-
a. gian. coercet allatis teſtimoniis occidentalium epiſcoporum *An ideo*, inquit, *contemnendos putas, quia occidentalis eccleſiæ ſunt omnes, nec ullus eſt in eis commemoratus orientis epiſcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci ſint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium, ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere conciliis, niſi quod antiquitus apoſtolica ſedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter eccleſia.* Non heri inſurgat RICHERIUS, ad hoc, ut rite dicatur ex cathedra loqui Pontifex, opus eſſe totius occidentis concilio. S. Pater inconcuſſam Romanæ ſedis fidem Africanis per

(*a*) Lib. I. contra JUL. c. 4.

per INNOCENTIUM declaratam non a concilio, ſed a traditione avita ſedis apoſtolicæ repetit, qui alibi etiam hac ſucceſſione ſacerdotum ab ipſa ſede PETRI ſe in gremio eccleſiæ teneri dicit, atque ut ſæpe jam a noſtris ſunt collecta teſtimonia, præter AUGUSTINUM ad hanc traditionem in ſucceſſione continua manantem provocavit omnis ætas: integra etiam occidentalis eccleſia Romæ congregata poſt AUGUSTINUM ad imperatorem CONSTANTINUM *Pogonatum* (*a*) per os Pontificis erroris omnis hinc nubeculam ab eccleſia Romana abſterſam teſtata eſt: *Ipſum catholicæ fidei ſplendidiſſimum lumen, ex veri luminis fonte, tamquam de radio vivifici fulgoris per miniſtros beatum Petrum & Paulum apoſtolorum principes, eorumque diſcipulos, & apoſtolicos ſucceſſores, gradatim uſque ad noſtram parvitatem, DEI opitulatione ſervatum eſt, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum.* a.

IX. Hæc autem eſt illa prærogativa per legitimam ſucceſſionem PETRI vicariis, in rebus religionis ac fidei adhærens, ut quando judices ac legislatores juxta leges communionis legitimæ eccleſiaſticæ poteſtatis ex cathedra ſententiam proferunt, atque decernunt, ita Spi- In ea vero ediſſerenda, ac deciſionibus faciendis nihil in ſe deſiderari patiuntur Pontifices.

(*a*) Act. IV. Syn. 6.

Spiritu ſancto aſſiſtente regantur, ne unquam a vero aberrent, falſam proponenda doctrinam. *Spiritus S. afflatui ſucceſſit in eccleſiæ regimine*, rem explicat cl. P. *Corbin.*

2. THOMASIUS (*a*) *interna atque occulta Spiritus S. aſſiſtentia, non utique in novarum veritatum ſupernaturalium revelatione, neque in afflatu quodam ac illapſu, aut inſpiratione extraordinaria, ſed in ſpecialibus quibusdam internis gratiis, arduitati rerum proportionatis, conſiſtens, vi quarum intellectus non ſolum cohibetur a quovis, contra fidei ac morum doctrinam, errore, ſed ad ipſam propoſitæ cujuslibet fidei aut morum materiæ veritatem, ſuppoſita nimirum, atque adhibita, quanta in aliis magni momenti negotiis alias adhiberi ſolet, debetque, morali induſtria, infallibiliter pertingit.* Quo minus autem quidquam in negotiis ejuscemodi diligentiæ ac operæ deliderari patiantur, propoſitum habent, quem ipſi apoſtoli tenuerunt judiciorum ordinem, quem iſti ſervarunt ad eccleſiæ exemplum, etſi eſſent immediate a Chriſto edocti, didiciſſentque illapſu Spiritus ſancti omnem veritatem. De controverſia Antiochiæ orta ob legalia circumciſionem præſertim convenerunt apoſtoli, ac ſeniores tunc Hieroſolymis commorantes, primus

(*a*) Spicil. theol. de eccleſia Chriſti. Diſſ. VI. n. 16.

mus judicavit PETRUS, ei cæteri ſunt adſtipulati, decretumque quod placuit apoſtolis & ſenioribus miſſum Antiochiam. Hanc ſibi formam conſtanter ſemper retinendam duxerunt Pontifices. *Norant ſcilicet veteres illi*, inquit doct. P. COUSTANT (*a*), *tametſi Petrum ſibi peculiariter adeſſe confidebant tamen ineundas eſſe communes vias, quibus ad veritatem pervenire nos DEUS voluit. Idoneos, ac domeſticos apoſtolicæ traditionis teſtes conſulebant presbyteros, diaconosque, qui acceptæ a majoribus ſuis fidei, ac diſciplinæ innutriti fuerant. Si quæ agitarentur cauſæ paulo graviores, quæ ad inſignem aliquam eccleſiam, aut ad totam ſpectarent, illas ad epiſcoporum Italiæ ſynodum referre non omittebant. Sive autem cum clero, ſive cum epiſcopis Italiæ convenirent, ſolebant exterarum etiam regionum præſules in conventum vocare, ſi quos Romæ tunc temporis verſari contingeret.* Quæ deinde variis a prima vetuſtate repetitis exemplis illuſtrat. Exempla illa oſtendunt, quæcunque gravioris momenti præſertim fidei, geſta ac agitata ſunt, nonnunquam etiam cum populo fuiſſe communicata, ſemper autem cum clero, in quo vix unquam epiſcopi defuerunt, qui aut Romæ commorarentur, aut illuc acciti fuerant, tra-

a.

(*a*) Præfat. in epiſt. ſumm. Pontif.

ſtatu ſæpe cum collegis plurimis habito, ut in NOVATIANI cauſa dum TROPHIMUM ad eccleſiam reciperet, loquitur CORNELIUS. Ex SIRICIO jam laudavimus locum, quo apud illum facto presbyterio conſtitit *Joviniani ſcriptionem doctrinæ noſtræ*, inquit, *id eſt chriſtianæ legi, eſſe contrariam.* De JOVINIANI etiam aſſeclis, *quod aliter quam accepimus, annuntiabant omnium tam presbyterorum, & diaconorum, quam etiam totius cleri unam fuiſſe ſententiam*, ibidem ad eccleſiam Mediolanenſem perſcribit. In difficilioribus autem cauſis fidei exortis hæreſibus plerumque occidentis Romæ fuit coactum concilium, quando etiam in oriente habita concilia. Quo ipſo patuit illuſtrius, quanto intervallo inter ſe diſſiti judicarent Patres, in eandem tamen ſemper conſpiraſſe ſententiam, legatis Pontificis exponentibus occidentis ſententiam. Ex quibus quidem conſtat non eandem fuiſſe ſemper initam rationem quoad capitales etiam fidei cauſas, ſed congruentem tamen ſemper pro paſtorali Pontificum cura fuiſſe adhibitam diligentiam: nihil prius decernentibus illis, quam ſtudioſe omnes cauſæ ſinus exploraſſent. Qua propter rebus chriſtianis tantopere invigilabant Pontifices, factorumque rationem ad ſuam notitiam deferri tam

anxie

anxie petebant: *Quoniam*, inquit S. LEO in ſimili de EUTYCHE cauſa (*a*), *nos qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe judicia, nihil poſſumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam univerſa, quæ geſta ſunt, veraciter audiamus.* Quamvis vero Pontifices pro ſuapte auctoritate, qua in ejusmodi judiciis pollebant, non ſemper expreſſerint, (quod tamen frequenter faciunt) quorum conſiliis ſint uſi; tamen ea adhibere non omiſerunt. Sic dum orientales ob hanc rem expoſtularent, ac ſi ACACIUS absque ſynodo eſſet damnatus reſponderunt hujus rei cauſa collecti apud B. PETRUM epiſcopi (*b*): *More, qui apud nos ſemper obtinuit, quoties intra Italiam propter eccleſiaſticas cauſas, præcipue fidei, colliguntur Domini ſacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor præſulum ſedis apoſtolicæ juxta ſollicitudinem ſibi eccleſiarum omnium competentem cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium.* Unde elucescit ſummam auctoritatis penes Pontificem fuiſſe repoſitam. Nec ideo quiritandum, ſi hodie, emergentibus ejusmodi cauſis, deciſiones non ſemper in ſynodis fiant, quando harum celebratio jam rarior difficiliorque evaſit. Nec olim

a.

b.

(*a*) Epiſt. VIII. ad FLAVIAN.
(*b*) FEL. Epiſt. XII. n. 4.

lim id ſemper in damnandis etiam hæreſibus obſervatum. Veluti teſte Hieronymo (*a*), Pontianus adverſus Origenem ſolum ſenatum hoc eſt clerum congregavit: atque hoc modo Jovinianum damnatum paulo ante intelleximus: aliaque complura referentur ſuo loco exempla. Conſiderare etiam licet, clerum Romanum ex orbe terrarum magno ſtudio ſelectum, ſenatum longe graviſſimum præſeferre, inſigni epiſcoporum, cardinalium hominumque doctiſſimorum frequentia auguſtum. Qui ſi traditione totius eccleſiæ, tam præſentis, quam veteris, religioſe diſcuſſa, operoſa diſquiſitione præmiſſa conſulta ſua Pontificibus offerant, ut juxta Spiritus ſancti ſibi aſſiſtentis dictatum decernant ipſi etiam in lege Domini ac verbo divino eruditi a juventute, atque in curia Romana negotiis ejusmodi jugiter uſque in ſenectam exercitati, qua jam profecta admodum ſolent Pontifices eligi; minus adeo de maturo eorum judicio dubitari par ſit; dum ipſis præterea varia variorum conſulta & rationes expendenda ac dijudicanda proponuntur, de quibus jam olim Innocentius (*b*), *Mihi quoque*, inquit, *ipſi, de collatione docilitas accedit, perſcrutatis rationibus ad propoſita reſpondere compellor*,

a.

b.

(*a*) Apud Ruff. L. II. Invect. (*b*) Epiſt. 3.

lor, eoque fit, ut aliquid ſemper addiſcat, qui poſtulatur, ut doceat. Præterea vero ab aliis eccleſiis, ſicubi doctrina erronea ſerpit, cura paſtorum doctorumque ad Romanam ſedem defertur tanquam avitæ fidei eccleſiarum ſuarum contraria, ut ad Romanæ eccleſiæ fidem exigatur, & pro cura paſtorali, quam in univerſam eccleſiam gerit Romanus Pontifex, configatur error. Deinde Romana decreta ad ſummos eccleſiæ paſtores per orbem transmittuntur, qui ea fidei eccleſiarum ſuarum conſona, fidelibus ſubditis tenenda proponunt, ac promulgant. Qua ratione exacte ſervantur leges communionis legitimæ poteſtatis inter ſummos eccleſiæ paſtores ſucceſſores PETRI & apoſtolorum, quibus aſſiſtentiam ſuam uſque ad conſummationem ſæculi Chriſtus promiſit, quove canali, ut IRENÆUS vocat, tradux veræ fidei traditionisque apoſtolicæ decurrit & conſervatur in eccleſia, ac formatur fidelium credulitas, ineluctabilique auctoritate conſiſtit doctrina propoſita, etiamſi in concilium non coeant paſtores. Niſi enim diſperſis etiam per orbem catholicum adſit Spiritus S. labaſcit fidei integritas in fidelibus ab ore ſuorum paſtorum pendentibus in Romana haud ſecus ac aliis omnibus eccleſiis, una fidei communione conſociatis.

CAPUT VI.

Regimen eccleſiæ ſummis Pontificibus non pro lubitu, aut deſpoticum eſt traditum, ſed juxta præſcriptam formam, & communionem legitimam poteſtatis.

I.

Pontifices in exercenda ſua poteſtate traditione & canonibus ſtant.

Ea quæ a nobis ſunt dicta, de ſtudio Romanæ ſedis conſervandi avitam traditionem, atque judicia ſua mature, & cum conſilio juxta eandem exigendi, quam illa curam non ſolum in definiendis fidei capitibus, ſed etiam ordinanda diſciplina tenuit, ſuſpicionem illam a ſanctiſſima hac ſede removere debent, qua æmulis abſolutum dominatum ambire eſt viſa. Neque alia de cauſa ſaluberrimas leges, & eccleſiaſticum ordinem ſecundum obſervantiam apud ſe receptam tantopere in alias eccleſias inducere allaboravit, quam ea vindicandi, conſervandique cauſa, quæ primitus in eccleſia Romana diligentiſſime cuſtodita obtinebant, ac conſtantiſſime retinebantur, aut per ſacros canones, ac decreta pro eccleſiæ emolumento deinceps ſtatuebantur, ſeu alias pro vario rerum ſtatu utilia, ac neceſſaria ſunt viſa, atque

in

in hac præprimis eccleſia vigorem habebant, & pro incumbente totius eccleſiæ cura, & regimine in aliis eccleſiis urgebantur: ut non pro arbitrio eccleſiam gubernandam ſibi ſumerent Pontifices, ſed per canones, præſertim totius mundi reverentia conſecratos, aut alias ſalubriter inſtitutos, ac canitie ſua venerandos. Neque in hoc regimine abſolutam adeo poteſtatem arrogabant, quin, qui in partem ſollicitudinis ſunt vocati, & in eccleſia per orbem diſperſa apoſtolorum collegium repræſentant, ſua obire munia permitterentur.

II. Si quid poſterioribus temporibus in hac re fuit peccatum, id factum, quod pluſculum indulgeretur inſtituendis comparationibus ſtatum inter ac regimen politicum & eccleſiaſticum: veluti jam a GRATIANO (a) illud non ſatis ad leges evangelicas eſt poſitum, quaſi Pontifices nonnunquam ſeu jubendo, ſeu definiendo, ſeu aliter agendo, ſe decretorum dominos & conditores oſtentent. Ejusmodi vero principia in ſcholis potiſſimum ventilabantur pro ſtudio partium, atque ſæpe invidiam Pontificibus creabant. Nota ſunt, quæ ob hanc cauſam in concilio Florentino ſunt mota, dum circa legitimam Pontificis poteſtatem tra-

Non lubitu ſuo.

a.

(a) c. Interp. 25. q. 2.

ctaretur inter Græcos & Latinos; ut nec hodie ſatis inter Latinos etiam de decreto ibi in hac cauſa edito conveniat. Neque aliquid Græcos ſchiſmaticos pejus habuit, quam quod ipſis videretur Pontifex Romanus legibus ſolutum arrogare dominatum, diminuta collegii epiſcopalis legitima poteſtate. Sic BARLAAM Mon. de principatu Papæ diſputationem orditur, noſtramque a ſua diſtinguit ſententiam: *Tu*, inquit, *affirmas, Dominum noſtrum JEſum Chriſtum B. Petro eccleſiam ſuam tradidiſſe, communemque ejus paſtorem, ejusdem & doctorem inſtituiſſe. Romanumque epiſcopum, utpote hujus ſucceſſorem, debere omnibus imperare, præeſſe omnibus: ut qui in omnes poteſtatem obtineat; ipſique licere pro amplitudine poteſtatis ſuæ, quidquid libuerit decernere: nec fas eſſe cuiquam illius contradicere placitis; ſed omnes omnino teneri ad decreta ipſius, ceu DEI eloquia, ſine ulteriore disquiſitione, amplexanda. Ego vero B. quidem Petrum totius eccleſiæ paſtorem ac doctorem fuiſſe univerſalem veriſſimum agnoſco. Atqui, non ille ſolus fuit, ſed eadem cum illo ſorte æqualique honore duodecim apoſtolorum unusquisque. Nam ſic ſe res habet. Petro claves regni cælorum Chriſtus ſe daturum pollicitus eſt. Quas nihil plane aliud eſſe, quam ligandi ac ſolvendi poteſtatem*

ſtatem verbis ſubſequentibus aperte declaravit. Verum iſtam utique poteſtatem a Domino reliquis quoque apoſtolis datam conſtat: Quidquid enim ligaveritis &c. Non ſunt hæ admodum iniquæ componendæ unionis paciſcendæque communionis poteſtatis inter ſummos eccleſiæ antiſtites conditiones. Sed, ut fit, a Græcis æmulatione, ambitioneque inflatis, ultra fas æquumque urgebantur. Pontificiæ poteſtati, licere pro amplitudine quod libeat, imputatur, unde collegii epiſcopalis jura diminuantur: qua in re æquiores conditiones poſuit *Jo.* GERSON (*a*), qui, dum agnoſcit plenitudinem poteſtatis eccleſiaſticæ ſitam in unico ſummo Pontifice, in ſua Concordia ponit, quod plenitudo poteſtatis eccleſiaſticæ ſit in ſummo Pontifice, & eccleſia. *Nec tamen*, inquit, *plenitudo poteſtatis papalis ſic intelligenda eſt immediate ſuper omnes chriſtianos, quod pro libitu poſſit immediate jurisdictionem in omnes per ſe vel alios extraordinarios paſſim exercere. Sic enim præjudicaret ordinariis, qui jus habent immediatius, imo immediatiſſimum ſuper plebes ſibi commiſſas actus hierarchicos exercendi.* Extenditur igitur plenitudo poteſtatis Papæ ſuper omnes inferiores, ſolum dum ſubeſt neceſſitas ex defectu ordi-

2.

(*a*) Conſ. 2.

ordinariorum ſubordinatorum. Vel dum apparet evidens utilitas eccleſiæ.

Hoc ipſi in ſuis decretalibus identidem ſunt profeſſi.

III. Id vero etiam evenire potuit, ut ſi quando ſollicite eccleſia Romana neceſſitatibus, utilitatibusque eccleſiarum conſulere vellet, præpotenti dominatui tribueretur. Nihil antiquius unquam huic ſedi eſſe debuit, quam invigilare, ut ubique terrarum canonum ſtatuta ſervarentur, ne quid ſinerent in deſuetudinem venire, a novitatibus admodum alieni; a quo utique omnis dominandi ſuſpicio abeſſe debet: *Non quo nova præcepta aliqua imperentur*, ajebat olim INNOCENTIUS I. (*a*) ejusmodi ſalutaria diſciplinæ capita renovans, *ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus.* Quæ ipſiſſima verba etiam in quadam SIRICII epiſtola leguntur. Tum omnes antiquæ Pontificum epiſtolæ ac reſcripta ejusmodi conteſtationibus ſunt reſperſæ, quibus ſtudium ſuum indicant, non dominari ſe velle, ſed antiquas leges: *Dominentur nobis regulæ*, inquit COELESTINUS (*b*), *non regulis dominemur: ſimus ſubjecti canonibus, cum canonum præcepta ſervamus.* Conciliorum, quæ univerſim ab eccleſia recepta erant, & auctoritate ſedis habita ſunt, ſtatutis ſervandis ſeſe in in-

a. b.

au-

(*a*) Ep. II. n. 2. (*b*) Epiſt. III.

auguratione ſua poſt octo priora concilia juramento obſtringebant: ſibi incumbere rati, ut cæteris exactius ea ſervarent, juxta GELASII (*a*) profeſſionem: *Uniuscujusque ſynodi conſtitutum, quod univerſalis eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ cæteris oportere quam primam, quæ unamquamque ſynodum, & ſua auctoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit.* Neque ſuam poteſtatem exercebant dominandi libidine, ſed quod id ſibi muneris, onerisque injunctum pro officio gererent a Chriſto commiſſum, atque ab eccleſia ſemper agnitum & firmatum, ut adeo ignorare non potuerint idem ſecundum evangelii leges, non ſæcularem faſtum exercendum: quam illi certe nunquam animo ſuo deponere potuerunt exiſtimationem, ut non ſolum chriſtianis principiis, ſed etiam ſanæ rationi ipſique naturæ adverſam conciperent in exercenda poteſtate opinionem, quaſi ſtaret pro ratione voluntas, aut liceret, quod libeat: cum ſe ſervos ſervorum DEI, vicarios in regno Chriſti concreditam ſolum adminiſtrationem non dominationem accepiſſe per PETRUM non poſſint diffiteri, atque adeo communi lege ſeſe ſuperiores, & exemtos dicere non queant; quæ lex cujusmodi ſit, ſatis agno-

(*a*) Epiſt. XI.

gnoverunt poſteriores etiam Pontifices, poſtquam jam ambitionem locum occupaſſe dicunt æmuli. *Sit lex communis eccleſiæ catholicæ*, inquit SYLVESTER II. *eccleſiæ catholicæ, evangelium, apoſtoli, prophetæ, canones Spiritu DEI conſtituti, & totius mundi reverentia conſecrati, & decreta ſedis apoſtolicæ ab his non diſcrepantia.*

Quodſi ſecus aliquid factum, vitio datum.

IV. Ad ejusmodi communem legem ſemper revocanda eſt Pontificum intentio, ne vana cogitatio de poteſtatis præcellentia ſubeat: ut vitio naturæ noſtræ pronum eſt, facile in licentiam agendi prorumpere, dum præſertim habenæ poteſtatis laxantur. Acriter iſtud EUGENIO P. S. BERNARDUS inhibet, & quidquid ejusmodi per errorem humanum obrepere poterat, exprobrat. *Probatis vos*, ait (*a*), *habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ forte non ita; facitis hoc, quia poteſtis, ſed utrum debeatis quæſtio eſt. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti: & quia non eſt ad quem appelleris, poteſtatem exercere, negligere rationem.* Qui a PAULO III. ad notanda reformationis capita ſunt ſelecti, hunc fontem ac originem indicarunt, *ex quo veluti equo Trojano tot abuſus, & graviſſimi morbi irruperint, qua doctorum adulantium fallacia contigerit, ut voluntas Pontificis qualiscunque ea fuerit, ſit regula,*

a.

(*a*) S. BERN. de conſid. L. III. c. 8.

regula, qua ejus operationes, & actiones dirigantur, ut quidquid liceat, idem etiam libeat. Sed hæc lubido ab optimis quibusque Pontificibus ad communem illam catholicæ eccleſiæ legem paulo ante ex SYLVESTRO II. memoratam reſtringebatur. Et a S. BERNARDO ad prototypum exemplum Chriſtum JESUM revocatur EUGENIUS. *Tune*, pergit, *major Domino tuo, qui ait: Non veni, facere voluntatem meam, & non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Quidquid vero ejuscemodi in uſum aliquando ſeſe inſinuavit, ex hinc fieri cœpit, quando juxta ſchema politicum de poteſtate eccleſiaſtica cogitari cœpit, atque in ſcholis diſceptari, ſciſſa communione poteſtatis inter ſummos eccleſiæ præſides, una factione huic, altera alii primas ac ſuperiores partes atrribuente: unde quælibet ſibi arrogare potuit, contra communem illam eccleſiæ catholicæ legem, ſuam non ſolum privatim exercere auctoritatem, ac vindicare, ſed etiam in alteram ceu adverſam factionem ſtringere, unaquaque viciſſim tale jus uſurpante: quod ad deſtructionem, non ad ædificationem neceſſario debuit vergere, ut funeſta experientia illorum temporum docet, quibus diuturno tempore inteſtina bella ac ſchiſmata eccleſiam pene confecerunt. Neque ferendus eſt *Ed.*

a. Richerius (*a*) pro ſua in Romanam ſedem ejusque legitimam poteſtatem invidia, ac malevolentia, dum contendit, jam inde a primo concilio Cpolitano a Romanis Pontificibus cœptum eſſe ſibi reſerare pededentim auctoritatem abſolutam, non communicando actis conciliorum, quibus canones conderentur; qua ratione epiſcopi Romani lapſu temporis oſtendere voluerint, ſe eſſe ſupra canones, atque diſciplinam eccleſiaſticam ab eorum abſoluta auctoritate pendere. Cum in eo capite, quo hæc facta fuiſſe fingit Richerius contrarium plane acciderit: nimirum in prærogativa ſecundæ ſedis Cpolitano epiſcopo arrogato: uti quidem mox legati Leonis in Chalcedonenſi ſynodo publice ſunt conteſtati act. XVI. *Heſterna die*, ajunt, *poſtquam poteſtas veſtra ſurrexit: & humilitas noſtra veſtigia veſtra ſequuta eſt, quædam geſta dicuntur, quæ nos & præter canones eccleſiaſticos, & diſciplinam æſtimamus effecta.* Ea geſta concilio Nicæno can. VI. adverſabantur, viſaque ſunt ibi dicta doctiſſimo Duvallio (*b*) niti hæretico, nedum falſo, & erroneo fundamento, ſedi ſenioris Romæ propter imperium civitatis, privilegia primatus Patres contuliſſe. En quorſum

b.

(*a*) Hiſt. conc. gen. T. I. L. I. c. 8. n. 39.
(*b*) De ſupr. poteſt. Papæ. P. IV. q. 8.

ſum ventum, dum vel ad momentum communio poteſtatis eccleſiaſticæ eſt neglecta, culpa in eos redundante, qui neglecto capite ſtatuendi jus ſibi privatim ſumſerunt, non penes eum permiſerunt, qui, antiquos canones conſervandi ſtudio, conſenſum detrectabat: quo certe animo fuiſſe jam legatos vidimus, ipſeque Pontifex LEO M. tam ad MARTIANUM imperatorem, quam ad PULCHERIAM auguſtam perſcripſit. Quod ſi quid labis ejusmodi nonnunquam Pontificibus Romanis adhæſit, id longe poſtea fieri cœpit, ut diximus, atque doluit eccleſia, *Cum ille*, utor verbis THOMÆ de Corſellis (*a*), *qui primus ſacros canones exequi debebat, & cæteris viam ſalutis oſtendere, omnia hæc conſtituta, & decreta (quantum ipſum concernebant) rejiciebat, ita ut nullum unquam decretum concilii, concernens reformationem, in efficacem executionem ponere compertus ſit.* Non hæc refero, plenam ipſi omnem adhibens fidem, quæ & loco & occaſione ejusmodi dicta ſunt, quando poteſtas eccleſiaſtica inter ſe diviſa ſecum pugnabat, utraque ſuas diviſim defendens partes: unde ex una parte ſaluberrima reformationis capita interciderunt, ſupre- 2.

(*a*) Propoſ. facta Biturigibus præſente rege & concilio Gall.

ſuprema non fulcita auctoritate ; ex altera eo animoſitatis eſt proceſſum , ut novo ſchiſmate eccleſia ſcinderetur eo in conventu , Baſileenſi inquam , ubi communione poteſtatis ſacræ legitime exercita, magna eccleſiæ detrimenta ſarciri, ac commoda curari potuiſſent.

Si quid ſtudio amplificandæ non conſervandæ communionis poteſtatis legitimæ actum.

V. Gliſcebat primum in contentionibus diſputationum opinatio, ex foro contentioſo litigantium partium in ſcholas theologorum translata,& apud JCtos præformata: hinc paci, unitati, communionique poteſtatis eccleſiaſticæ adverſa ſtudia, quandoque ſummis eccleſiæ principibus inſtillata ſunt: ut pars auctoritatem ſibi in caput uſurparet, præſumeretque res eccleſiæ nullo illius interventu tranſigere; pars avitum canonum ſtudium non undiquaque infixum animo præſeferret, quælibet vero, de alterius uſurpationibus exceſſuque poteſtatis conceſſæ, ſiniſtras foveret opiniones. Præſertim autem epiſcopi ſibi de Pontifice perſuadebant, eum ambire abſolutam, atque legibus omnibus ſolutam poteſtatem, quod potius in opinionibus doctorum, quam in ipſa Pontificum perſuaſione ſitum erat: quibus ignota eſſe non potuerunt omnium ſuorum anteceſſorum dicta , factaque tam frequentia, tam orbi nota, quibus ſe præ

omnibus

omnibus canonum tutores, ac executores præſtabant: in quibus condendis cum ipſi habuerint ſemper præcipuas partes, propriæ adverſarentur auctoritati, ſi eorum cuſtodiam negligerent: cum contra id jure ſuo petant, ne excluderentur a negotiis ejuscemodi contra leges communionis potestatis legitimæ; nec ſuæ auctoritati adverſa aliqua permitterent. Quod ſemper male ceſſit, quando utrinque de abuſu potius in exercenda poteſtate fuit præſumtum, quam de legitimo uſu communi pacifice transactum. Pie enim confidendum, imo pro indubitato tenendum erat, DEUM promiſſis ſuis adeſſe eccleſiæ, atque aſſiſtentia ſua corpus eccleſiæ cum capite ſuſtinere, at unitum, non inter ſe diviſum: quæ unitio conſenſionem neceſſario flagitat; ea autem quomodo conſiſtet, ſi timeatur pars parti adverſari, Pontifex vero a canonibus totius orbis obſervantia conſecratis diſcedere? Aut ſi exiſtimentur, qui a Pontifice ſtant, ſibi in animum inducere, caput aliter quam eccleſiam ſentire poſſe. Quæ qui rite perpenderit, facile intelliget, hanc pugnam ex utraque parte niti hypotheſi falſa, vana, ac fictitia: totamque hanc diſputationem in nihilum recidere, ſi legitima communio poteſtatis eccleſiaſticæ ſtatuatur, nulla

pars alteri detrahat, ſeſeque ſubtrahat: unde patet, de illis, quæ laudatus paulo ante *Thomas de* CORSELLIS diſputavit, quid ſit ſtatuendum, cujus hic verba proponam: *Quod vero dicit proponens ex adverſo, quod eſt diffidentia reprobata, ſi quis dicat ſedem apoſtolicam errare poſſe: dicitur quod adhuc major eſt diffidentia, ſi quis dicat univerſalem eccleſiam legitime congregatam errare poſſe. Nec aliquis diffidit, quod Papa in ſuis ſententiis errare poſſit, ſi non velit agere contra ea, quæ in ſententiis, & in ſcriptis ſanctorum Patrum & conciliorum definita ſunt.* Id vero quei fiat in communione poteſtatis? Quæ in hoc ipſo conſiſtit, ut non privata voluntas, ac ſententia, ſed communis lex eccleſiæ catholicæ obtineat, ſicque pax & unitas conſervetur. Quo in ſenſu illa cleri Gallicani verba ſine ſcrupulo admitti poſſunt, ejusmodi pacis fœdus inter ſummos eccleſiæ antiſtites Pontificem, & epiſcopos ineuntis. *In Romano Pontifice*, ajunt (*a*), *Petri ſucceſſore ſummam licet non ſolam cum B. Bernardo, a DEO inſtitutam apoſtolicam poteſtatem venerati, ſervato crediti nobis Chriſti ſacerdotii honore, claves primum uni traditas eſſe, ut unitati ſervarentur, cum ſanctis Patribus eccleſiæque doctoribus prædicamus; ſicque ſummorum Pontificum, ſeu*

a.

(*a*) Deput. cler. Gall. ep. ad collegas an. 1682.

ſeu quoad fidem, ſeu quoad generalem diſciplinæ morumque reformationem, decretis fideles omnes cenſemus eſſe obnoxios, ut ſupremæ illius ſpiritualis poteſtatis uſus per canones totius orbis obſervantia conſecratos determinandus, moderandusque ſit. Addunt poſtea ſuam de celebrandis conciliis opinionem, quam nos ſuo loco infra expendemus. Quam enim eorum doctrinam attulimus, ad hunc præciſe locum ſpectat, eſtque luculenta, ad unitatis fontem & originem indicandam, in communione poteſtatis eccleſiaſticæ, quæ non ut ſumma, ita ſola Pontifici competit; non ex voluntatis arbitrio, ſed ex communi eccleſiæ catholicæ lege moderanda.

Contra voluntatem & inſtitutionem Chriſti.

VI. Illa vero communis eccleſiæ catholicæ lex quam paulo ante attulimus ſimul omnes ſtringit eccleſiæ antiſtites, eosque ad communionem poteſtatis ſuæ conſtringit, apoſtolicæ poteſtatis uſum moderatur per canones Spiritu DEI conditos, & totius mundi reverentia conſecratos: niſi quod in illis, qui ſunt juris eccleſiaſtici, pro neceſſitatibus utilitatibusque eccleſiæ exerceatur diſpenſandi remittendique legitima facultas. Uti vero fas non eſt pro libidine leges totius mundi reverentia conſecratas ſubvertere, ita reliquis eccleſiæ hierarchis in illis condendis capitis ſui nullam habere ratio-

nem, communioni poteſtatis unitatique eccleſiæ obeſt, quæ eſt ab ipſo Chriſto ſapientiſſime in eccleſiæ regimine conſtituta, cum uni primum traderet claves, ut ipſi loquuntur Gallicani præſules, ut unitati ſervarentur: imo in unitate ſervaretur, nec inter ſe divideretur eccleſia in ſua hierarchia. Inde illæ ardentes Chriſti ad Patrem ſuum preces: inde ſaluberrima exempla Chriſti, ac præceptiones, quibus omnis faſtus, prædominandi libido ab apoſtolorum collegio averteretur, quo primum apoſtoli inter ſe ſcindebantur quæſtione: *quis eorum videretur eſſe major:* quæ demum poſteriore ævo iterum inter ſummos eccleſiæ principes agitari cœpit contentio: dum in miniſtris eccleſiæ ſuæ cavere voluit, Chriſtus, ne in regimine eccleſiæ ſchema politicum ſibi imaginatione atque elatione mentis ſuæ efformarent; hinc grave
a. illud effatum: *vos autem non ſic.* (a) *Non ita eſt autem in vobis, ſed quicunque voluerit fieri major, erit veſter miniſter: & quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.* Ante omnia revocanda fuiſſet cogitatio ad principia evangelica, & ſic in pace manſiſſent omnia. Evangelium omnes pariter chriſtianos ſtringit, eos præprimis qui ad clavum ſedent, qui-

(a) Marc. X. 43. &c.

quique apoſtolis ſuccedentes, ſibi, quæ illis dixit Chriſtus, præprimis dictum eſſe exiſtimare debent, ut nullas inter ſe contentiones fieri ſinant, aut eas mox a Chriſto moniti compeſcant. Quod tam ſtrenue factitarunt apoſtoli, hoc ſibi eorum ſucceſſores faciendum non dubitent, cogitentque communi conſilio, & opera eccleſiam ſibi regendam, non in partes dividendam, eſſe commiſſam. Huc providentiſſima Chriſti diſpoſitio, vota, monita, & præcepta, huc tota lex evangelica in charitate, unitatis matre, collimat. Huc totius eccleſiæ in unum corpus compactæ ædificium revocat, in tanta membrorum varietate, unoquoque tamen membrorum ſuum locum, ſuum peculiarem uſum obtinente. Huc exempla eorum trahunt, qui ultra mille trecentos annos, etſi inferi portæ turbas etiam & fluctus contra eccleſiam excitarint, ferram ejusmodi contentionum nunquam reciprocarunt, ad ſcindendam dividendamque inter ſe legitimam poteſtatem, ſed illius communione paci, & tranquillitati eccleſiæ proſpexerunt: donec poſtrema mundi ætate, quando refriguit charitas, principia, & documenta evangelica contentioſis pro more ſæculi ſcholaſticorum ac litigioſis juris conſultorum formulis ſufflaminari ac ſiſti videri po-

tuiſſent, cum manifeſto pacis & unitatis eccleſiaſticæ periculo; niſi DEUS, cujus conſiliis nulla humani ingenii inventa, ac molimina obſiſtere valent, eo inſigniori ſapientiæ opere ac potentiore manu petram eccleſiæ in ſua firmitate, ſoliditateque inconcuſſam ac indiviſam conſervaſſet, quo gravioribus inſultibus non ſolum exterius portæ inferi, ſed etiam interius inteſtinum diſcidium impetum faciebat.

CAPUT VII.

Exemplis D. Pauli præſertim D. Petrum reprehendentis, corrigentisque, quid in ſimilibus cauſis in Petri ſucceſſores valeant, ſucceſſores apoſtolorum declaratur.

I.

Summus Pontifex quatenus a legibus atque judicio inferiorum ſit liber, vel non?

Quum vero Chriſtus, adverſum dominationi mundanæ, inſtituit ordinem, ac miniſterium eccleſiæ ſuæ, ita, ut (a) *qui major eſt, fiat ſicut minor*; tunc maxime huic parent legi evangelicæ ſupremi eccleſiæ principes, quando, cauſis emergentibus, inferiorum judicio ſe ſponte ſubdunt. Romani Pontifices ad illud faſtigium dignitatis evecti videantur,

(a) Luc. XXII. 26.

tur, ut nullius ſubſint judicio, ſupremorum principum more ſoli DEO obnoxii, cui factorum ſuorum reddant rationem. Nihilominus apud eccleſiaſticos antiſtites, atque ipſum ſummum Pontificem multo magis locum habere debet, quod D. AMBROSIUS (*a*) Imp. VALENTINIANO præſcribit: *Cum præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti & tibi: leges enim imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat.* Idem S. Pater non ſemel agnoſcit, regem ac principem ſummum ſoli DEO obnoxium pro peccatis ſuis eſſe. Sic in Pſ. CXVIII. Oct. 16. *Etſi*, inquit, *rex leges in poteſtate habet, ut impune delinquat, DEO tamen ſubditus eſt, qui nulli debet.* Id utique haud minus valere debet de ſummo capite eccleſiæ. Atque tantopere fuit commota eccleſia, Gallicana præſertim, cum in judicium Romæ SYMMACHUS fuit adductus. Allegarunt, qui eum in jus vocabant, ipſum SYMMACHUM ſæpe cauſas, & crimina epiſcoporum miſſis, & conſtitutis judicibus examinanda commiſſiſſe: *Viſitatores*, inquiunt, *& aliis epiſcopis dedit ipſe; & juſtum eſt, ut facti ſui lege teneatur.* Quid ad hæc ENNODIUS? *Non vos*, inquit (*b*), *in hoc titulo falſitatis inceſſo. Dico tamen lato-* a. b.

(*a*) Epiſt. XXXII.
(*b*) ENNOD. in Apolog. apud SIRMOND.

rem juris definitionis ſuæ, niſi velit, terminis non concludi. Et niſi princeps faſtigii ſumma moderetur, fruſtra ad illud, quod dederit, jus vocatur. Aliorum forte hominum cauſas DEUS voluit per homines terminari, ſed ſedis iſtius præſules ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio. Voluit B. Petri ſucceſſores cælo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam. Eccleſia potiſſimum Gallicana, dum aliter contra SYMMACHUM actum, rei indignitate commota eſt, ut celeberrimum tunc, ac eloquentiſſimum AVITUM *Viennenſem* (*a*) negotio oneraret exprobrandi hoc inauditum facinus Romanis. *A cunctis*, inquit ille, *Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipſum non minus per mandata, quam per litteras oneratus, quæcunque a vobis omnes ambimus, unus ſuggerenda ſuſcepi.* Quam vero totam eccleſiam Gallicanam commoverit auſum hoc in contextu epiſtolæ acerrime conteſtatur. *Quaſi*, ſcribit, *ſenator ipſe Romanus, quaſi chriſtianus epiſcopus obteſtor. Dum de cauſa Romanæ eccleſiæ anxii nimis, ac trepidi eſſemus, utpote nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes, quos omnes una criminatio percuſſerat, ſi ſtatum principis obruiſſet. In ſacerdotibus cæteris poteſt, ſi quid forte nutave-*

a.

(*a*) Ep. XXXI. ad ſenatores urbis.

caverit, reformari: at si Papa urbis vocetur in dubium episcopatus videbitur jam non episcopus vacillare. Non ambigebant, nec in dubium vocabant jus istud Patres in Romano concilio collecti. *Nobis*, ajunt (*a*), *quid facere possimus, non remansit, nec invitum ad disceptationem nostram adducere possumus .... Nova res est, Pontificem sedis istius apud nos audiri, nullum constat exemplum.* Tum in decreto, quod etiam ab AVITO perstringitur, *Decernimus*, ajunt, *ut Symmachus Papa sedis apostolicæ præsul, quantum ad homines respicit, quia constat divino arbitrio fuisse dimissum, sit immunis, & liber.* Ita ergo nulli dubium erat, haud minus ecclesiæ caput, quam principes hujus mundi, nulli nisi divino esse obstrictos judicio; atque hoc etiam nomine AVITUS obtestatur Romanos: *Ne*, inquit, *minus diligatis in ecclesia vestra sedem Petri, quam in civitate apicem mundi.* At SYMMACHUS illius memor evangelici, qui est major in vobis, fiat sicut minor, sponte se judicio synodi subiecit *affectu purgationis suum culmen humilians*, ut de se ipse loquitur. Idque ab aliis etiam factum: ut enim de incerto MARCELLINI facto taceam, XISTUS III. & senatum sui causa fieri fecit, & concilium convocavit: his memorabilibus usus

(*a*) Relat. episc. ad Regem.

ſus verbis: *Quamquam in meo arbitrio ſit, judicer, an non judicer: tamen meo judicio non abſcondatur veritas.* Nec dubitavit ergo etiam coram ſenatu cauſam ſuam dicere, uti nec SYMMACHUS coram rege THEODORICO ſe ſiſtere refugit: cujus rei excuſationem ex evangelicis principiis, atque exemplis ita ſuſcipit laudatus AVITUS *Viennenſis*, ut ſimul anſam novam arripiat epiſcoporum facinus perſtringendi. *Intelligimus*, inquit, *ſanctum Symmachum Papam, ſi ſæculo primum fuerat accuſatus, conſacerdotum ſuorum ſolatium potius aſciſcere, quam recipere debuiſſe judicium. Quia ſicut ſubditos nos eſſe terrenis poteſtatibus jubet arbiter cæli, ſtaturos nos ante reges, & principes in quacunque accuſatione prædicens: ita non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.* Sic ergo commendabilis in Pontifice virtutum evangelicarum, atque apoſtolicorum exemplorum eſt exercitatio, ut ſimul præſumtio eorum damnetur, qui factis ejusmodi abutuntur. Neque enim inde quod, qui eſt major, fieri debeat ut minor, minori idcirco ſeſe ſupra majorem efferendi datur licentia. Atque recte SYMMACHUS, qui imbutus hoc chriſtianæ humilitatis ſenſu ſeſe concilio ſubjecit, poſtea tamen, cum cerneret in auctoritatis, ac

digni-

dignitatis ſuæ verti hoc detrimentum, amplius ſe ſiſtere conſtanter detrectavit: utrinque ſanctiſſime ſe gerens, ad eccleſiæ ſpiritum congruenter, qui humilitatis abiectione dignitatem eccleſiaſtici miniſterii deprimi non vult. Sicut in hac ipſa cauſa egregie AVITUS l. c. loquitur. *Sanctorum voce patet*, inquit, *Pontificum dignitatem ſedis ejus ſanctam, toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium eſt, ubique ſubmittitur, dum totius orbis caput eſſe dignatur, de qua mihi videtur dictum per prophetam* (ISA. 10.) *ſi hæc humiliabitur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam veſtram?*

II. Senſit ergo tunc eccleſia Gallicana, non tantum non detrahere epiſcoporum gloriæ, ſi indemnitas conſervetur ſupremo eccleſiæ capiti, nec in jus vocetur; verum demum integram eam præſtari ſacerdotii gloriam in capitis ſecuritate; nec eſſe quo confugiatur, ſi ipſe ſummus Pontifex in judicium trahatur. III. Meldenſis omnia tantummodo de particulari Romana ſynodo interpretatur, aliter vero cenſet de œcumenicis conciliis, quorum judicio ſubſint Romani Pontifices. Quemadmodum etiam in ſynodo VIII. decernitur (*a*): *Si qua vero œcumenica ſynodo collecta de Romana etiam eccle-*

Præſertim in concilio œcumenico, & in cauſa hæreſeos.

a.

(*a*) Synod. VIII. c. 13.

eccleſia controverſia extiterit, licebit cum decente reverentia de propoſita quæſtione veneranter ſciſcitari, reſponſumque admittere, non tamen impudenter contra ſenioris Romæ Pontificis ſententiam dicere. Præſertim autem caſum hæreſeos urgent; cujus cauſa recte judicatum de HONORIO ipſe ADRIANUS agnoverit, quia *fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi.* Quæ ſunt ipſa hujus Papæ ad Orientales verba. Quorſum etiam facit famoſus ille canon apud GRATIANUM verbis S. IGNATII M. relatus *c. ſi papa. d.* 40. ubi inter alia hæc habentur: *Hujus culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nemo, quia cunctos ipſe judicaturus a nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur a fide devius.* An vero, & quomodo hæreticus fieri poſſit ſummus Pontifex, diverſæ ſunt etiam catholicorum ſententiæ, qui nihilominus in cathedra PETRI, Romanaque ſede ſupremam agnoſcunt judicandi auctoritatem, quæ utique ſe in cauſis fidei maxime exerere debet. Celebris illa cleri Gallicani de eccleſiaſtica poteſtate declaratio, anno 1682. edita, ſtatuit, in fidei quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes, ejusque decreta ad omnes, & ſingulas eccleſias pertine-

tinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi ecclesiæ consensus accesserit. Qui in defensionem declarationis spissum opus edidit *Ben.* Bossuetus, ut cathedræ Petri, ceu unitatis centro, atque capiti potestatis ecclesiasticæ consulat, ab hac cathedra, quidquid etiam de fide ac religione tradidit, ac traditura est, sic accipiendum vult, ut non quod unus forte, & alter Pontifex, sed quod ipsa Pontificum successio & ecclesiæ Romanæ ecclesiarum matris perpetua (*a*), & 3.
constans, & firma professio pro articulo fidei tenuerit, docuerit, prædicarit, id pro fidei norma tantum habeatur. Alii Romanum Pontificem ut doctorem publicum, ab eo privato, ut peccatis, ita erroribus obnoxio secernunt, erroreque personali, non judiciali, ut rem explicat *Melch.* Canus, abripi posse dicunt. At hi etiam admittere debent, hoc in casu judicandi potestatem supra Pontificem ecclesiæ competere debere. Quamvis fuerint, qui existimarint, tunc ipso facto nullo intercedente judicio Papam excidere papatu. Alii tamen satis agnoverunt hujus sententiæ incommoda, qua, ut quisque sibi in animum induceret, Romanum Pontificem in hæresim incidisse, ab ejus obedientia recedendum non solum

(*a*) P. I. L. I. c. 16.

lum licitum, ſed etiam juſtum putaret. Satisque ſagaciter intellexit *Jo.* GERSON hoc ſuſtineri non poſſe propter incertitudinem eccleſiaſticæ politiæ. Acutum ſe maxime præſtitit *Card.* CAJETANUS, qui tria in Papa diſtinxit, papatum ſcilicet, perſonam quæ eſt Papa, & conjunctionem utriusque, ex qua conjunctione reſultet PETRUS Papa. Quibus ita poſitis
a. ſic ſententiam explicat (*a*): *Quoniam amotio Papæ ſive per renunciationem, ſive per depoſitionem, ſive per ejectionem non eſt corruptio papatus, nec Petri, ſed disjunctio papatus, & Petri: idcirco diligentiſſime, & cautiſſime oportet pro regula habere ante mentis oculos, cum de amotione Papæ tractatur, quod non requiritur poteſtas ſuperior Papa, ſed ſuperior conjunctione inter Petrum, & papatum.* Facile ſibi cordatus quisque perſuadebit, has ſubtilitates non potuiſſe omnibus arridere. Alii hic Chriſti auctoritatem interpoſuerunt: ut SUAREZ
b. ſciſcit (*b*), quod tunc ipſo facto deponeretur a Chriſto.

Noſtra ſententia ſecundum comunionem poteſtatis legi-

III. Nos ad providentiam, quam circa eccleſiam ſuam gerit Chriſtus, omnino pertinere exiſtimamus, ut ad unionem, communionemque capitis cum membris divina operatione ſua præſtandam, tali in

(*a*) CAJET. De comp. auct. Papæ & conc. c. 21.
(*b*) De fide. Diſp. X. Sect. VI. n. 9.

in caſu DEUS haud dubie emolliret animum Pontificis, atque veritati docilem redhiberet, cum ad judicium res foret deferenda collegii epiſcoporum ſuccedentis collegio apoſtolorum, cui ſumma in rebus religionis eſt data auctoritas in communione mutua exercenda, non partem parti opponendo, aut factiones fovendo, aut PETRUM, ejusque ſucceſſores a communi conſilio, deliberatione, & judicio excludendo. Non cum PIGHIO tuemur Papam etiam ut privatum nulli tum peccato, cum errori obnoxium eſſe, ſed, ſi contra receptam in ſua Romana, aut cotholica eccleſia traditionem, opinionem haberet, id divinæ providentiæ tribuo, quando judicandum de re, aut a collegio hierarchico epiſcoporum, haud excluſo Pontifice, aut a Pontifice ipſo ex cathedra (id eſt in concilium vocata, & diſcuſſa Romano catholicæ eccleſiæ doctrina, ac traditione) definitionem haud dubie proditurum catholicam: Chriſto promittente, quando duo, aut tres in nomine ſuo fuerint congregati, ibi in medio ipſorum futurum. Qui vero ſunt in hac cauſa duo aut tres in nomine Chriſti, niſi quos Chriſtus idoneos teſtes conſtituit, legitima poteſtate inſtruxit. PETRUS, & apoſtoli, & eorum ſucceſſores? Sive ergo aut PETRI ſucceſſores, aut

timæ inter ſummos antiſtites.

aut apoſtolorum, congruenter tum ad fidem ſive in Romana, ſive in univerſali eccleſia retentam docuerint, aberrare a vero non poterunt. Sicque in ore duorum, aut trium ſtat omne verbum: quam doctrinam S. ANTONINUS præclare expoſuit, papam ſcilicet, ut perſonam particularem, ex motu proprio agentem, errare poſſe in fide; at Papam, ut perſonam publicam, errare non poſſe: perſonam autem publicam ſic interpretatur: utentem concilio, & requirentem adjutorium univerſalis eccleſiæ, quæ non habet maculam, neque rugam. Dudum antea Galli in difficilima illa BONIFACII VIII. quem hæreſeos accuſarant, controverſia, atque diſſidio cum PHILIPPO rege paulo ſubtiliorem diſtinxerunt caſum, primum quidem in hac re: *Non* inquiunt, *quæritur de hæreſi Papæ quondam ut Papæ, ſed ut privatæ perſonæ. Nec ut Papa potuit eſſe hæreticus, ſed ut privata perſona. Nec unquam aliquis Papa in quantum Papa potuit eſſe hæreticus. Et ideo cum de ejus mortui hæreſi quæritur, non habet congregari concilium generale Eſtis enim vos, Pater ſanctiſſime, JESU Chriſti vicarius, totum corpus eccleſiæ repræſentans, qui claves regni cælorum habetis. Nec congregatum concilium generale ſine vobis & niſi per vos poſſet*

cogno-

cognoſcere. Apertius dicitur, & præciſius, meliusque illud conſtat, quod conſtanter omnis tenuit ætas, PETRI cathedram nulla hactenus eſſe contaminatam hæreſi, atque per divinam providentiam inconcuſſam fore, neque portas inferi contra eccleſiam in fide PETRI firmatam prævalituras, ſive fides illa in particulari Romana, ſive in univerſali catholica conſideretur, utrinque eluceſcente eadem communione poteſtatis, & unitate fidei ſuper fundamentum apoſtolorum, PETRI primum, pro qua, ne unquam deficeret, ſpecialiter rogavit Chriſtus.

IV. Ad hanc igitur fidem ceu firmiſſimam petram ſe tenent Pontifices ſucceſſores PETRI, quam ipſe tum in Romana ſua, quam fundavit, tenuitque, tum univerſali, quam ut caput regendam ſuſcepit, ac confeſſione fidei ſuæ repræſentavit. Quod dum faciunt, procul ab omni erroris labe, & contaminatione ſunt: id autem præſtant, quando judicium exercent, non privatam ſententiam docendo, ſed receptam eccleſiæ Romano-catholicæ depromendo. Idque per divinam aſſiſtentiam ſemper agent: cum Chriſtus rogaverit, ne unquam deficiat fides PETRI in eccleſia tam ſua Romana, quam Catholica, nec hoc ullus diffitetur catholicus: omnesque concedunt vel illud

Juxta promiſſiones, ac præſcriptum evangelii, ac exemplum PETRI.

lud ſaltem ad Romanos Pontifices ſucceſſores PETRI pertinere, ut confirment fratres ſuos, quod munus ipſis in perſona PETRI in perpetuum cum ſit datum, atque jubendo Chriſtus præſtet, ut præceptum impleatur; non deerit providentiſſimi Numinis gratia, quo ſuo hoc rite defungatur munere ſucceſſor PETRI, quando id opus, & quando reapſe perſonam PETRI agit, paſtorale officium exercet, fidem PETRI unam eandemque in ſua cathedra, ac ſede, æque ac eccleſia univerſali indeficientem docet. Quodſi, proprias adinventiones, opinionesque ſectetur, ſi aliter ac traditum recepit, ſentiret, ſi a communione poteſtatis recederet, abſolutam ſibi imaginetur auctoritatem, aliam ab ea, & diverſam, quæ in collegio epiſcoporum, ſuccedente collegio apoſtolorum, hactenus reſidet, impoſſibilia ſibi fingeret, contra Chriſti inſtitutionem, intentionemque; contra uſum perpetuum, ac praxin eccleſiæ præſertim apoſtolicæ: ubi nunquam PETRUS privatum contra apoſtolos regimen uſurpavit, ſed communem cum illis poteſtatem exercuit; ſicque non dubitavit idem Spiritui ſancto adſcribere, quod communicato eorum conſilio viſum eſt, ita de ſuo in hac communione facto decreto ſcribendo (*a*): *Viſum eſt Spiritui ſancto*,

(*a*) Act. XV. 24.

&

& nobis. Quæ autem privatim egit, de illis nec rationem reddere detrectavit, nec etiam corripi ſe, aut emendari renuit. *Certe Petrus*, ſunt verba inter præcipuos illius ſucceſſores GREGORII M. (*a*) *poteſtatem regni cæleſtis acceperat, ut quæcunque in terra ligaret &c. & quia ex admonitione ſpiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingreſſus, contra eum quæſtio a fidelibus facta eſt &c. & tamen idem apoſtolorum primus querelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſam per ordinem expoſuit &c. ſi enim, cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in ſancta eccleſia acceperat, attendiſſet, reſpondere poterat, ut paſtorem ſuum oves, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela fidelium aliquid de ſua poteſtate diceret, profecto doctor manſuetudinis non fuiſſet.* Hæc ergo in ſchola Chriſti didicerat PETRUS, hanc diſciplinam, inſtitutionemque regiminis eccleſiaſtici eſſe noverat, non potenter dominari, ſed charitati, unitatique deferre, atque licet major foret, minorem tamen ſe, ac miniſtrum præbere. Qua in re eum ſecuti boni quique Pontifices paci, ac tranquillitati eccleſiæ conſuluerunt, ſi qui aliquando aliter agere viſi ſunt, mala ingentia, ac ſchiſmata ſunt orta. Acci-

(*a*) Lib. IX. ep. 39.

dit id eodem fere modo, quomodo de ipſo PETRO *Jo.* GERSON in ſimili cauſa ſcribit: *Judaizabat olim per diſſimulationem, Paulus ei reſtitit in faciem. Introducebat Petrus rem novam in eccleſia DEI, cum ad centurionem gentilem intravit, ſubortum eſt murmur in eccleſia, ita ut compulſus ſit Petrus doctrinam inſequi, quam tradidit ſcriptis, ut ſcilicet paratus eſſet coram tota eccleſia rationem reddere de ea, quæ in ipſo erat, fide, & ſpe, alioquin non ſibi credidiſſet eccleſia.* Optandum tamen eſſet, ut ipſe GERSON modum illum inſtillaſſet, quem antea IVO conſuluit, nec remedium exacerbaſſet: *Familiaribus*, inquit ille, (*a*), *& charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur Papa, ut ſe judicet, aut factum ſuum retractet.* Hæc ſunt ad præſcriptum legis gratiæ, evangelicam ſpirant doctrinam, decentque miniſterium Chriſti.

a.

Qui nihil privati uſurpavit, nec correptionem PAULI reſpuit.

V. B. *Petrus* DAMIANI tractatu de correctione epiſcopi, & papæ mutuam hanc in miniſterio eccleſiaſtico charitatis, manſuetudinis, ac humilitatis in communione poteſtatis legem exemplo S. PETRI egregie illuſtrat, fere inſiſtens D. GREGORII verbis, ac ſententiæ a nobis paulo ante laudatæ. Illud vero inſigne habet, quod in exemplo PAULI libere

(*a*) Epiſt. 235.

bere PETRUM arguentis ob oculos ſiſtit, ad hunc locum præcipue ſpectans, qua ratione etiam in occurentibus lapſibus, & erroribus, judicium ad chriſtianæ legis exemplique apoſtolici normam, & cenſuram ſtringi debeat. *Non ſane*, inquit ille (*a*), *omnis querela protinus accuſatio dicenda eſt. Nam aliud eſt querela compaſſionis, aliud accuſatio ſimultatis, & odii. Iſta nimirum fit, ut offenſio corrigatur: illa vero, ut is, qui offenderat, condemnetur. Petrum plane in faciem reſiſtens Paulus objurgat, & coram omnibus reprehenſibilem indicat. Quod ille in accuſationis non tulit injuriam, ſed benigne, & patienter accepit, quod non ex livore, ſed ex charitate procedere perſpicue recognovit.* Viciſſim hic habemus officia piæ correptionis ex charitate, atque promtæ correctionis ex manſuetudine, & humilitate chriſtiana: quibus mutuis officiis communio poteſtatis eccleſiaſticæ rite adminiſtratur, conſervaturque pax, & unitas eccleſiæ, ne inter ſe committatur miniſterium eccleſiaſticum in ſummis eccleſiæ principibus, Pontifice tenente locum PETRI, & epiſcopis apoſtolorum ſucceſſoribus, ſpiritu diſcordiæ, a ſpiritu evangelii alieno: quo trahere exemplum hoc non dubitavit poſt *Jo.* GERSONEM *Ed.* RICHERIUS

a.

(*a*) *Pet.* DAM. Tr. de correp. epiſc. & Papæ.

libello de eccleſiaſtica, & politica poteſtate, ad ſchema politicum, formulasque forenſes partium litigantium revocans hanc reprehenſionem PETRI a PAULO factam quaſi *appellationi ad concilium æquipolleat: Quia*, inquit l. c. *ſi D. Petrus tum temporis B. Paulo recte monenti obſtitiſſet, non dubium eſt, quin eccleſia in concilium congregata, diſſidium inter illos ſubortum diremiſſet; ut paulo ante controverſiam ſuper obſervatione legalium deciderat.* Quæro imprimis, quænam illa eccleſia fuiſſet, hos inter ſe diſſidentes apoſtolorum principes judicatura? An diverſa a PETRO, & PAULO? An non potius eadem? Sed eſt hoc nodum in ſcirpo quærere, imo potius, ut gravius loquar, divinæ providentiæ velle labefactare conſilia, & ordinem; jurgia, & lites inter ſummos eccleſiæ principes, quaſi andabatarum more, fingere, ubi ſumma eſſe conſenſio debet, eritque in communione poteſtatis, non arrogantia ſingularis potentiæ, atque obſtinatione erroris, ac lapſus, qui forte obrepat. Cujus rei documentum, exemplumque in eo, quod PETRUM inter & PAULUM acciderat controverſiæ, eccleſia ſemper ſuſpexit: dum *Nec Petrus*, quæ ſunt S. CYPRIANI verba, *quem primum Dominus elegit, ſuper quem ædificavit eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circunci-*

cumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari a novellis, & poſteris ſibi potius oportere, nec deſpexit Paulum, quod eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet: ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile conſenſit.

SS. Hieronymi & Auguſtini controverſia circa reprehenſionem D. Petri a D. Paulo factam.

VI. Quemadmodum vero Petrus ita ſe demittendo, atque Pauli reprehenſioni deferendo, egregium documentum poſteris ſuis reliquit; ita, contra id, quod prius cum collegis in concilio Hieroſolymitano in communione auctoritatis deciderat, privatim agendo, jure fuit redarguendus. Contra ac S. Hieronymo fuit viſum, qui exiſtimans legalia ſtatim in morte Chriſti mortifera reddita eſſe, contendebat, tam obſervantiam legalium, quam etiam reprehenſionem Petro factam a Paulo fictam, & ſimulatam fuiſſe: qua in re acrem in S. Auguſtino adverſarium eſt nactus, ſummis iſtis viris per plures annos ferram contentionis reciprocantibus. Non deerant ex utraque parte graves auctoritates, ac rationes. S. Hieronymus ſententiam ſuam tuebatur interpretum plerorumque adſtipulatione (*a*): *Illa vel maxime cauſa, ut Porphyrio reſpondeant blaſphemanti*, ut

(*a*) Ep. LXXV. al. 11.

ad S. AUGUSTINUM ſcribit: *qui Pauli arguit procacitatem, quod principem apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere, & arguere in faciem, ac ratione conſtringere, quod male fecerit, id eſt, in eo errore fuerit, in quo fuit ipſe, qui alium arguit delinquentem.* Duo præprimis carpebat PORPHYRIUS: primum reprehenſionem hanc auctoritati principi apoſtolorum adverſari; PORPHYRIUS ſcilicet legem charitatis ignorabat, qua ſecundum normam evangelii contra typhum, ac faſtum ſæculi ea fuerat facta correptio. Alterum PORPHYRIUS in PAULO notabat, quaſi in PETRO reprehenderet, quod ipſe antea fecerat, circumcidendo TIMOTHEUM. Id vero S. HIERONYMUM in transverſum egit, quod D. PAULUS jam in faciem reſiſteret PETRO, cui prius, & qui cum eo
a. erant (*a*), evangelii ſui rationem expoſuerat, ne forte in vanum curreret, ut hac ipſa in epiſtola teſtatur, *oſtendens*, ut
b. inquit S. HIERONYMUS (*b*) l. c. *ſe non habuiſſe ſecuritatem evangelii prædicandi, niſi Petri, & qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum.* Quod eſt etiam illuſtre communionis poteſtatis eccleſiaſticæ argumentum, ut, qui per revelationem JEſu Chriſti acceperat evangelium, vereretur in

(*a*) Gal. II. 1.
(*b*) T. II op. S. AUG. p. 172. B.

in vanum cucurriſſe, niſi illud cum PETRO, ejusque collegis communicaret. Indignum ergo videbatur S. HIERONYMO hunc gentium apoſtolum reperiſſe in PETRO, quo eſſet reprehenſibilis, maxime in eo, quod ipſe etiam PAULUS perpetraſſet. Exiſtimabat S. HIERONYMUS PETRUM bene quidem ſenſiſſe de abolitione legis, ſed ad ſimulationem illius obſervandæ timore compulſum æque ac PAULUM. *Didicimus*, inquit (*a*), *quod propter metum* 2.
Judæorum & Petrus, & Paulus æqualiter finxerint ſe legis præcepta ſervare. Qua igitur fronte, qua audacia Paulus in altero reprehendat, quod ipſe commiſit? Ego imo ante me alii expoſuerunt cauſam, quam putaverant, non officioſum mendacium defendentes, ſicut tu ſcribis, ſed docentes honeſtam diſpenſationem, ut & apoſtolorum prudentiam demonſtrarent, & blaſphemantis Porphyrii impudentiam coercerent, qui Petrum & Paulum puerili dicit inter ſe pugnaſſe certamine; imo exarſiſſe Paulum in invidiam virtutum Petri, & ea ſcripſiſſe jactanter, quæ vel non fecerit, vel ſi fecerit, procaciter id in alio reprehendens, quod ipſe commiſerit &c. Hæc S. HIERONYMUS. Qui, ut his difficultatibus, atque PORPHYRII obviaret calumniis, eam viam iniit, quo malum exaſperaretur potius,

(a) L. c. p. 173. E.

apoſtolorum principibus tam PETRO, quam PAULO ſimulationem tribuendo in obſervanda lege, quæ jam eſſet abrogata: nullo exſtante fictionis ejusmodi, aut, ſi mavis, diſpenſationis veſtigio. Ut adeo nec PETRUS ſatis a nota irreligioſitatis, ac ſcandali liberaretur, imo vero ſimul ei PAULUS etiam involveretur: præterea mendacii teneretur PAULUS, ea ſerio Galatis referens, quæ ficta tantum eſſent. Hoc modo S. AUGUSTINUS rationes inibat, atque ab ipſo S. HIERONYMO laudata in epiſtola hæc ejus ſententia exponitur: *Ut Petrus non erraverit in eo, quod his, qui ex Judæis crediderant, putaverit legem eſſe ſervandam; ſed in eo a recti linea deviarit, quod gentes coegerit judaizare. Coegerit autem non docentis imperio, ſed converſationis exemplo. Et Paulus non contraria ſit locutus his, quæ ipſe geſſerat; ſed quare Petrus eos, qui ex gentibus erant, judaizare compelleret.* Itaque ſatius duxit S. AUGUSTINUS in unum PETRUM culpam conferre lapſus, quam ſimul PAULUM ſimulationis imo mendacii arceſſere in ſcripturis ipſis canonicis, atque a DEO inſpiratis. *Hoc*, inquit, *ſi ita eſt, dicamus (quod abſit) ſatius eſſe credere mentiri evangelium, quam negatum eſſe a Petro Chriſtum.* Non ergo dubitat S. Pater in PETRO lapſum in eo potiſſimum, quod cogeret

geret gentes judaizare. *Hoc enim*, inquit (*a*), *lego ſcripſiſſe Paulum, quem mentitum eſſe non credo. Et ideo non recte agebat hoc Petrus. Erat enim contra evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Chriſtum, ſine illis veteribus ſacramentis ſalvos ſe eſſe poſſe.* In hoc quidem contra id, quod Hieroſolymis ſtatutum eſſet in conſilio, egiſſe PETRUM ſanctus doctor dicit (*b*), ne quisquam gentes cogeret judaizare. Non quod PETRUS ita faciendum animi ſententia teneret, aut doceret, ceu ſummum eccleſiæ caput, non, inquam, in D. PETRO hoc carpebat D. PAULUS, qui, quam reverentiam capiti ſuo deberet, antea communicando evangelium oſtenderat, ſed ejus ſimulationem, qua gentes judaizare cogebantur, arguebat: *Non ob aliud, niſi quia ſic illa omnia ſimulatoria gerebantur, tanquam verum eſſet, quod illi dicebant, qui ſine circumciſione præputii, atque aliis obſervationibus, quæ erant umbræ futurorum, putabant credentes ſalvos eſſe non poſſe.* Ita S. AUGUST. l. c. (*c*) Et poſtea: *In hujus ſententiæ non conſenſionem ſed ſimulationem Petrus timore inciderat, ut de illo Paulus veriſſime ſcriberet, quod eum vidiſſet non recte ingredientem ad veritatem evangelii, eique veriſſi-*

a. b. c.

(*a*) Ep. LXXXII. n. 8. p. 192. B.
(*b*) n. 10. p. 193. C. (*c*) n. 15. p. 195. B.

veriſſime diceret, quod gentes judaizare cogebat, ob hoc illa vetera veraciter, ubi opus eſſet, obſervans, ut damnanda non eſſe monſtraret, prædicans tamen inſtanter non eis, ſed revelata gratia fidei, fideles ſalvos fieri, ne ad ea quemquam velut neceſſaria ſuſcipienda compelleret. Sic conſtanter ſanctus doctor ſine excuſatione, quod PETRUS privatim converſatione ſua aberrarat, agnoſcere maluit, quam utrique imo univerſo apoſtolorum collegio ſimulationis, PAULO vero mendacii, ac diſſimulationis crimen impingere, contra illud Chriſti Domini: *Ubi duo, aut tres ſunt in nomine meo congregati, ibi in medio eorum ſum.* Quam vero laudem idem S. Pater S. PETRO tribuat ſancti, ac rari exempli humilitatis, id ſingillatim eſt notandum: defendendo nihilominus juſtam D. PAULI libertatem contra calumnias, & obtrectationes PORPHYRII hæc arrogantiæ, faſtuique tribuendo: cum utrinque reſplendeat evangelica regula, qua unitas, & charitas in communione poteſtatis legitimæ incolumis ſit: *Petrus,*
a. inquit S. doctor (a) *quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit, atque ita rarius, & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi forte recti trami-*

(a) L. c. p. 198. F.

tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda evangelica veritate, ſalva fraterna charitate, reſiſtere. Nam cum ſatius ſit a tenendo itinere in nullo, quam in aliquo declinare; multo tamen eſt mirabilius, & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem. Eſt laus itaque juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro: quæ quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adverſus calumniantem Porphyrium defendenda, quam ut ei daretur obtrectandi major occaſio, qua multo mordacius criminaretur chriſtianos fallaciter vel ſuas litteras ſcribere, vel DEI ſui ſacramenta portare.

VII. Quæ cum ita ſint, facile intelligent Romani Pontifices PETRI ſucceſſores, quid humani pati queant: quid, ſi ejusmodi aliquid acciderit, agere tum ipſi, tum collegæ debeant ad unitatem, ac fidem integram in communione poteſtatis eccleſiaſticæ conſervandam. Id etiam hinc colligi debet, quod ſi in ſimiles lapſus deinceps ſummi nonnunquam Pontifices incidant, atque vacillent, id eorum in negotio religionis auctoritati nihil derogare, haud magis ac PETRO. *Nam*, inquit ipſe Meldenſis (*a*), & *Petrus*

Similia exempla reprehenſione digna in ſucceſſoribus PETRI, ac primum LIBERIO,

a.

(*a*) Def. declar. cl. Gall. P. II. L. XV. c. 5.

Petrus negavit, & incredulus fuit, poſtquam etiam audivit illud: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: *ſed ſtatim exſurgit, confirmaturus fratres.* Verum eſt, illum hæc de primo PETRI lapſu dixiſſe, quo Chriſtum negavit; ſed ratio allata ad rem præſentem etiam facit. Imo idem ill. Præſul antea, quando de PETRI lapſu ob legalia agit, non dubitat illam laudare GRATIANI de hoc PETRI facto ſententiam: *Par autem*, inquit (*a*), *in ſe eſt a fide exorbitare, & alios exemplo, vel verbo a fide dejicere.* Quomodo jam tam operoſe conquirendo omnia Pontificum errata, & odioſe expendendo, eorum inconcuſſam fidem ac ſtabilem in cauſis fidei ſubruere nititur, qui in ipſo PETRO, cui utique prærogativam iſtam non negaverit, tantos agnoſcit lapſus? Eamus per præcipua offenſionum in ſummis Pontificibus capita. LIBERIUS, ſi etiam Arianæ perfidiæ, ut loquitur HILARIUS (*b*), ſubſcripſit, tamen æque dici poteſt, ut paulo ante ex S. AUGUSTINO adduximus, quod in hujus ſententiæ non conſenſionem, ſed ſimulationem timore inciderit: *nec ſponte, ſed exilii ærumnis fractus, & mortis minis*, ut teſtatur S. ATHANASIUS (*c*), *perterritus ſubſcri-*

(*a*) C. 2. q. 7. c. 39. (*b*) Fragm. VII. n. 6.
(*c*) Hiſt. Arian. ad monach. n. 41.

ſubſcripſit. Mox addit: *Ea ipſa re comprobatur cum violentia Arianorum, tum Liberii in hæreſim illam odium, ejusque pro Athanaſio ſuffragium, quamdiu ſcilicet libere, arbitrioque ſuo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem ſententiam eliciuntur ea non reformidantium, ſed vexantium ſunt placita.* Egerat hæc LIBERIUS poſt definitionem concilii, pro quo accerrime decertabat, cuive tota animi ſententia fuerat addictus: idem PETRUS factitarat, ea concutiendo, quæ prius Hieroſolymis cum apoſtolis, & ſenioribus ſtatuerat, & tanquam Spiritus ſancti oraculum haud minus, quam communem eccleſiæ ſententiam per epiſtolam eam ipſam in urbem deſtinarat, ubi poſtea contra mentem, ac ſententiam priorem agens ei PAULUS in faciem reſtitit (*a*), *quia reprehenſibilis erat: & ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem:* conteſtante PAULO: *quod non recte ambularent ad veritatem evangelii.* Quodſi PETRUS maculam eluit morem gerendo conteſtationi, LIBERIUS, quamprimum in integrum reſtitutus, etiam culpam eluit, &, ut prius, ita perfidiam Arianam aperte damnavit poſtea, atque Nicænam ſynodum conſtanter defendit: diem demum ſuum cum ſanctitatis, optimique

(*a*) Gal. II. 11. &c.

mique præſulis laude obiit : poſt eum eadem gloria ſedi Romanæ adhærente, ut antea, nullum fidei contraria ſentientem in illa ſediſſe.

Et Honorio, VIII. Sed longe gravius inſurgunt adverſarii objectantes Honorii circa exurgentem Monothelitarum hæreſin varias abberrationes. Cyrus *Alex.* & Pyrrhus *Cpolitanus* venenum hæreticæ pravitatis in ſinu foverant. Idque primum Cyrus edito decreto jam exſpuerat, ſub ſchemate reconciliandorum Eutychianorum, unam in Chriſto operationem DEI virilem prædicans, adſtipulante, imo occulte inſtigante Sergio. At cum proſpicerent, catholicos nec pacis nomine uni operationi conſenſuros, una conſilium inierunt illud ſuppeditante Sergio, atque ad Cyrum ſcribente, ut neque unam, neque duas operationes dici permitteret, cum una operatio aliquos conturbaret, duæ a Patrum ſententiis abhorrerent. Hæc conſilii ſumma, quod etiam cum Honorio Sergius communicat, data ad eum epiſtola, ita inter ſe, ac Cyrum *Alexandrinum*, & Sophronium hæc geſta afferens. Honorius conſilio participat, repetitis litteris ad Sergium, ac Cyrum, Sophronium in partes trahere conatus, ejus legatos inſtruens, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare nita-

nitatur : SERGIUM etiam collaudat haud ſinentem novas voces, quæ ſcandalum noſcuntur eccleſiis generare, prædicari. *Ne*, inquit, *parvuli aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur : aut certe ſi rurſus unam operationem Domini noſtri JESU Chriſti fatendum eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* Manifeſte hæc produnt HONORIUM abhorruiſſe ab aſſertione duplicis, aut unius operationis, ob ſuſpicionem hæreſis Neſtorianæ, & Eutychianæ. Quando autem in epiſtola ſua de una voluntate Chriſti Domini loquitur, aperte declarat, contrarias ſe tantum excipere. *Qua*, inquit, *profecto a divinitate aſſumta eſt noſtra natura, non culpa : illa profecto, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.* In altera ad SERGIUM epiſtola hæc habet : *Propter ſimplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæſtionum ambages, ſicut ſupra diximus, non unam vel duas operationes, ſed utrasque naturas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus : & divinam quidem, quæ DEI ſunt operantem, & humanam, quæ carnis ſunt exequentem.* Fruſtra igitur Monotheliſmi inſimulatur HONORIUS, qui ulterius progreſſus non fuerat,

quam quo fraudulenter a SERGIO fuerat inductus, qui tunc diſſimulationem ſolum dogmatis æque Catholici quam hæretici intendebat, qua ratione a concilio HONORIUS (*a*) epiſtola ſua ad SERGIUM in omnibus SERGII mentem, atque impia dogmata ſecutus fuiſſe, ac confirmaſſe haud injuria dicitur. Ibidemque Patres ſimul damnant dogmaticas epiſtolas, *quæ tanquam a Sergio quondam Patriarcha hujus a DEO conſervandæ urbis ſcriptæ ſunt, tam ad Cyrum, quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ*, ſimiliter autem & epiſtolam ab HONORIO reſcriptam ad eundem SERGIUM, has invenientes omnino alienas ab apoſtolicis dogmatibus, & a definitionibus ſanctorum conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum; ſequi vero falſas doctrinas hæreticorum. Quamvis hæc in globo, ut ita dicam, concepta, non ita ſingula ut in apertos hæreſiarchas SERGIUM, CYRUM &c. ita etiam in HONORIUM eorum fraudibus circumventum, ſeductumque ad turpem veræ doctrinæ ſimulationem, quadrent; ſemper tamen is ſimul anathemati ſubjicitur, non in hoc ſolum concilio, ſed in ſequentibus VII. & VIII. non repugnantibus legatis, nec ignorantibus Pontificibus. Quin non ſolum proximi HONORII ſucceſſores SEVERINUS, 2.

(*a*) Act. XIII. conc. V. JOAN-

JOANNES IV. THEODORUS, S. MARTINUS, S. AGATHO pariter proſcripſerunt, tam qui unam operationem dicerent, quam qui duas æque, ac unam tacendam eſſe indicerent, quamvis HONORII nomini parcerent. LEO II. ſucceſſor AGATHONIS, cum ei acta ſextæ ſynodi firmanda transmiſſa eſſent, cum aliis HONORIUM damnat, ita fatus: *Qui hanc apoſtolicam ſedem non apoſtolicæ traditionis doctrina illuſtravit, ſed profana traditione immaculatam fidem ſubvertere conatus eſt.* Is ipſe eadem acta ſyn. VI. Hiſpanis transmittens, eandem repetit ſententiam, explicatiusque ediſſerit, quæ fuerit HONORII culpa, ac error. *Qui*, inquit, *flammam hæretici dogmatis non, ut decuit, apoſtolica auctoritate incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.* ADRIANUS vero II. atque Romana ſynodus relatione de geſtis ſuis ad octavam ſynodum ulterius videtur progreſſa. *Siquidem*, inquit (*a*), *Romanum Pontificem de omnium eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus, de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum: ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus: propter quam ſolam licentia eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus reſpuendi.* 8.

(*a*) Act. VII. Synod. VIII.

Quamvis & ibi nec patriarcharum, nec cæterorum antiſtitum cuipiam fas fuerit proferre ſententiam, niſi ejusdem primæ ſedis Pontificis acceſſiſſet auctoritas. Et ſane poſtquam tot jam ſucceſſores Honorii eos, qui cum Honorio colludebant, eaque ſcripta, quæ ab Honorii epiſtolis parum abludebant, typum præſertim, damnaſſent, verendum non fuit invita Romana ſede damnari Honorium: cum etiam in diurno libro extet fidei profeſſio, ubi Honorio inter alios anathema dicitur. At vero hoc ipſum eſt, quod tantopere urgent, qui indefectibili, infallibilique Romani Pontificis judicio, ac fidei, quando eam fidelibus proponit, detrahunt. Qui ſibi perſuadere non poſſunt, hæc omnia a privata ſolum perſona Pontificis progreſſa eſſe, quæ ipſe, a tribus patriarchis de fide conſultus, reſponderit, ut arguit Meldenſis; quique hæc ita prædicanda inculcat, uti habet ad finem epiſtolæ ad Sergium: *Hæc nobiſcum veſtra fraternitas prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus.* Cum etiam in ſynodo VI. Sergii, Honorii, Sophronii ſcripta dogmatica, ſeu ſynodica appellentur (quæ Græcis idem ac Latinis *decreta, decretalia* ſunt) eoque nomine a ſancta ſynodo, prævio examine collaudentur, vel condemnentur. Hæc ſunt quæ hic Meldenſis objicit. IX.

IX. Hic ergo rogo, obteſtorque lectores pios, ut, quæ nos ſtudioſe ex SS. HIERONYMO, & AUGUSTINO de D. PETRO a D. PAULO correpto retulimus, velint in mentem revocare. De eo potiſſimum agebatur, an vere ſcripſerit PAULUS an ſimulate, ſe in faciem reſtitiſſe PETRO, quia erat reprehenſibilis: ajebat AUGUSTINUS, negabat HIERONYMUS. Agitur hic an recte damnatus HONORIUS, an omnino non. Non defuerunt, qui poſtremum hoc aſſererent, corrupta, & falſificata contendentes conciliorum acta, fraude illis inſerto HONORII nomine, loco THEODORI *Cpolitani*. Alii non dubitarunt potius hic errorem tot conciliorum Patribus adſcribere, idiotiſmi Latini ignoratione deceptis. Priores illi communiter exploduntur, quod etſi in acta conciliorum in Græcia adulteratio cadere valuiſſet, ea tamen minime locum habere potuerit in tot aliis eccleſiæ monumentis non Græcis ſolum, ſed Latinis, ipſorumque adeo Romanorum Pontificum epiſtolis HONORIUM incuſantium, damnantiumque. Qui errorem, ignorantiamque ipſis conciliis in hac re adſcribunt potius, quam HONORIO, illis haud abſimiles, quo S. AUGUSTINUS arguit, videantur ut PETRUM a lapſu abſolvant, ſcriptorem canonicum mendacii arguere haud verentes,

Variæ excuſandi HONORIUM rationes.

tes, quo veracitas ipſius ſacræ ſcripturæ infringatur. Neque enim conciliis œcumenicis, quibus, nemine diffitente catholico, infallibilis, Spiritu ſancto aſſiſtente adeſt auctoritas, in ejusmodi quæſtionibus facti mixti ſine piaculo error attribui poteſt.

Simulatio haud abſimilis D. PETRI, ac HONORII, non conſenſio in hæreticum dogma.

X. Quid reliquum eſt igitur, niſi ut, quemadmodum S. AUGUST. in S. PETRO non diſſimulavit, quod male egerat, idem de HONORIO ſine ſcrupulo confiteamur. Simulatione peccavit PETRUS; itidem HONORIUS: neque enim conſenſit in Monotheliſmi perverſitatem, ſed turpi, ac inconſultæ diſpenſationi, quo catholicum dogma æque ac hæretica pravitas non ſtatueretur, ſed diſſimularetur, atque in medio relinqueretur, qua re ingens detrimentum rei catholicæ, incrementum vero hæreticæ perfidiæ dabatur: ut jure damnari meruerit HONORIUS, qui, cum apoſtolico vigore exorientem hæreſin reſtringere debuiſſet, eam confovit, factus multis ruinæ occaſio. Annon ſimile quid in PETRO redarguendum putavit PAULUS (a)? *Sed cum vidiſſem*, inquit, *quod non recte ambularent ad veritatem evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: ſi tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaice: quomodo gentes cogis judaizare?* En coram omni-

a.

(a) Gal. II. 14.

omnibus corripit. Nec judicii formam deſideravit hic Meldenſis, licet non ad fori formulas (*a*): *Neque*, inquit, *per ea tempora Pontificii officii ſummam ad formulas, ad minuta quæque redigebant. Gravius agebant ſcilicet, remque ipſam attendebant: audiebant Paulum de Petro clare, ac nulla tergiverſatione dicentem.* In faciem &c. *Nempe non aderat definiendi formula, ſed facta clamabant, prava ſimulabantur, avertebantur a fide fideles, ipſe Barnabas, nedum confirmaretur, a Petro in peſſimæ ſimulationis ſocietatem trahebatur.* En, illuſtriſſimus doctor, qui utique PETRO negare non poterat, pro eo rogatum, ut non deficeret fides ejus, quique aliquando confirmare fratres debeat, eum haud obſcure ſuo hic defuiſſe officio confirmandi confitetur: qui tam graviter objicit HONORIO apoſtolico defuiſſe officio, neque confirmaſſe (*b*), ſed impuliſſe fratres, ſeſeque cum eis in præcipitium conjeciſſe: ut ſcilicet probet, non ut privatum doctorem, ſed ut publicam perſonam hæc illum egiſſe ex cathedra loquentem, atque definientem, utpote hæc cum ſummis orientis patriarchis communicantem. PETRUS in principe orientis urbe Antiochia egit, BARNABA

a.

b.

(*a*) *B.* BOSSUET Def. declar. cler. Gall. P. II. L. XIV. c. 47. (*b*) Ib. P. II. L. XII. c. 28.

etiam in transverſum acto, aliisque, quos vidit PAULUS non recte ſecundum evangelii veritatem ambulare. HONORIUS ad præcipuas ſedes, at tantum in privatis perſcripſit epiſtolis, nihilque minus in animo habuit, quam dogmaticum decretum edere, quod Meldenſis contendit: cum huc unice ejus ſtudium collimarit, ne res ad dogma, aut fidem traheretur, quæ ob vocabuli novitatem poſſet ſcandalum ſimplicibus generare: *Non*
a. *oportet*, inquit (*a*), *ad dogmata hæc eccleſiaſtica retorquere, quæ neque ſynodales apices ſuper hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, ut unam, aut duas energias aliquis præſumat Chriſti DEI prædicare, quas neque evangelicæ vel apoſtolicæ litteræ, neque ſynodalis examinatio ſuper his habitæ viſæ ſunt terminaſſe.* HONORIUS non adverſabatur factæ in concilio Chalcedonenſi determinationi, qua Chriſtus perfectus DEUS, & perfectus homo per omnia nobis ſimilis absque peccato dicebatur. Cui haud minus conſtanter ac PETRUS decreto Hieroſolymitano adhæſerat, ducens ſupervacaneum ac pro illis circumſtantiis periculoſum tunc eloqui, quæ ulterius per conſecutionem
b. erant derivanda. *Utrum autem*, inquit (*b*), *pro-*

(*a*) Epiſt. ad SERGIUM contra SOPHRON.
(*b*) Epiſt ad SERG. II.

propter opera divinitatis, & humanitatis, una, aut geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis. Non eo hæc dico, ac ſi ob hanc inconſultam decreti ſuſpenſionem, haud ſit vituperandus, ac jure damnatus; ſed ut pateat nihil minus, quam dogmaticas dici poſſe epiſtolas HONORII, ubi id unice cavetur, ne quod dogma aſſeratur, aut definiatur. Neque, quod tamen aſſerit Meldenſis, dogmaticæ a concilio unquam vocantur: imo ſtudioſe caviſſe videntur Patres, ut cum reliquas SOPHRONII, SERGII dogmaticas, aut ſynodicas appellent epiſtolas, HONORII ſimpliciter epiſtolas, aut ſcripta vocitent. Sic Act. XII. non infrequenter occurrit: *Concilium dixit: retractantes dogmaticas epiſtolas a Sergio tam ad Cyrum, quam ad Honorium, ſimiliter & EPISTOLAM AB HONORIO AD EUNDEM.* Rem adhuc magis confirmat, quod nunquam in Romanis ſynodis quatuor, a ſucceſſoribus HONORII, MARTINO, & AGATHONE præſertim viris ſanctiſſimis celebratis, nec non & Africanis tribus, HONORIUS cum PYRRHO, PAULO damnatus reperitur, quod perſonarum acceptioni nec ipſe RICHERIUS tribuere audet: ſed hanc rationem reddit, quod factum HONORII nihil ſpectaret ad quæ-

ſtionem juris, hoc eſt ad theſin generalem de Monotheliſmi condemnatione. Quod & ego ajo, quatenus nunquam Monotheliſmi ſuſpectus fuit occidenti; dum tantum abeſt, ut Monotheliſmo ſubſcripſerit, multo minus adhæſerit, ut, contra potius ſupprimendum duxerit. Equidem cum diſpendio veritatis ipſius, fateor, peſſime factum, jureque damnatum, præſertim dum ipſe ita prædicandum putavit, iisque, ad quos ſcripſit, ita ſuaſit, aut, ſi videatur, præcepit, quod tam male habet Meldenſem. Sed ut præceperit, aut, ſi vis, coegerit, utique non ad aliquid definiendum, aut ſtatuendum, ſed potius ſuſpendendum. Numquid & a PAULO dicitur PETRUS gentes coegiſſe judaizare, quod dicit eſſe ambulare contra evangelicam veritatem? At ſi HONORIO tantopere culpæ datur, prædicaſſe hanc diſpenſationem turpem, aut prædicari juſſiſſe, cur non hoc potius in occidente, in ſua eccleſia fecit? dum nullus ejus ſimulatione hic deceptus legitur, aut abuſus; neque etiam privatæ illius epiſtolæ unquam his in partibus innotuerunt a ſolo amanuenſi datæ, quemadmodum etiam ex S. MAXIMO
a. diſcimus, JOANNEM Papam (*a*) HONORIUM purgaſſe ex ejus amanuenſis conſcien-

(*a*) Diſput. cum ACEPH.

ſcientia, & interpretatione. At vero ut RUSTICUS *E. R. diaconus* ibidem docet: *DEI eccleſia familiaribus non intendit, neque hypomnyſticis, neque iis, quæ ad unum, & domeſticum fiunt: ſed his quæ ad ſynodos, aut a ſynodis dogmatice, & publice, & definitive, de his quæ in quæſtionem veniunt, conſcribuntur.* HONORIUS vero neque ſuæ, neque univerſalis eccleſiæ traditionem conſulere in animum ſibi inducebat, rem in medio relinquendam non definiendam ratus, ut adeo omnino nil docuerit, tantum abeſt, ut ceu Pontifex ex cathedra deciderit, aut eccleſiæ aliquid tenendum propoſuerit. Alias, qua fronte S. AGATHO in epiſtola ad imperatorem, ac ſynodum, ubi hæc cauſa tractabatur, toties inculcare potuiſſet eccleſiam Romanam apoſtolicam nunquam a via veritatis, aut a tramite apoſtolicæ traditionis deflexiſſe, aut erraſſe, probari poſſe. Ne quis autem acute eccleſiam, aut ſedem a ſedente diſtinguat: hanc argutiam aperte refellit AGATHO allatis ſacræ ſcripturæ locis de prærogativis PETRI, *Conſideret*, inquit l. c. *itaque veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter*

ter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum. Quæ lecta ſunt, & probata ſynodo cum aliis, quibus acclamarunt Patres, non tam AGATHONEM, quam PETRUM per AGATHONEM locutum eſſe.

Hinc diverſa in diverſis locis judicia circa HONORII factum, ut olim circa legalia.

XI. Ut vero conſtet S. AGATHONEM de HONORIO etiam anteceſſore bene exiſtimaſſe, quantum ad id, quod in hac ipſa Monotheliſmi cauſa geſſit, audienda ſunt illius epiſtolæ verba, quæ SUGGESTIO dicitur inter acta ſynodi. *Unde*, inquit, *& apoſtolicæ memoriæ prædeceſſores ex quo novitatem hæreticam in Chriſti immaculatam eccleſiam Cpolitanæ eccleſiæ præſules introducere conabantur, NUNQUAM NEGLEXERE EOS HORTARI, ATQUE OBSECRANDO COMMONERE, UT A PRAVI DOGMATIS HÆRETICO ERRORE SALTEM TACENDO deſiſterent.* Hic non obſcure œconomiam HONORII, de ſilentio ſupprimenda una vel duabus Chriſti operationibus, non excuſat tantum, ſed dicit etiam officium paſtorale non neglexiſſe obſecrando, commonendo, ut a pravi dogmatis hæretico errore ſaltem tacendo deſiſterent præſules Cpolitani. Et ita ſane occidens perſuaſus erat, dum interim ea agendi ratione in oriente peſſime audit HONORIUS, atque cum ipſis hæreticis anathematis ſententiam in conciliis œcumenicis

cis auctoritate Romanæ ſedis congregatis præſentibus, prudentibusque legatis ſubit. Quid ita? Utrinque bene factum. Recolenda ſunt, atque iterum in memoriam revocanda, quæ de controverſia PAULUM inter & PETRUM ſummos apoſtolorum principes ob legalia ex contentionibus maximorum eccleſiæ columinum HIERONYMI, & AUGUSTINI retulimus. HIERONYMO credibile haud erat hoc in PETRO PAULUM quod ipſe fecerat, arguiſſe. Qui ſe haud ſemel legalium uſui accommodarat, uſque eo, ut TIMOTHEUM circumcideret; PETRO tamen haud quaquam eouſque progreſſo, in faciem reſtitit, atque coram omnibus arguit, quod cogeret gentes judaizare, quod tamen non præcepto, ſed exemplo tantum fecerat, quo qui fuerunt abducti, non dubitat PAULUS aſſerere, eos contra evangelicam veritatem ambulare. Et recte illud quidem ſi S. AUGUSTINUM audiamus. *Etenim*, inquit ille (*a*), *contra evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Chriſtum, ſine illis veteribus ſacramentis ſalvos ſe eſſe non poſſe. Hoc enim contendebant Antiochiæ, qui ex circumciſione crediderant, contra quos Paulus perſeveranter, acriterque confligit. Ipſum vero* Pau-

(*a*) Epiſt. LXXXII. ol. 19. n. 8. T. II. p. 192. B.

Paulum non ad hoc id egiſſe, quod vel Timotheum circumcidit, vel Canchreis votum perſolvit, vel Jeroſolymis a Jacobo admonitus, cum eis, qui noverant, legitima illa celebranda ſuſcepit, ut putari videretur per ea ſacramenta etiam chriſtianam ſalutem dari, ſed ne illa, quæ prioribus, ut congruebat, temporibus in umbris rerum futurarum DEUS fieri juſſerat, tanquam idololatriam gentilium damnare crederetur. Hæc D. PAULI œconomiam non tantum excuſabilem, ſed & laudabilem reddebant, ut recte potuerit PETRUM eadem agentem arguere. *Non ob aliud*, verba ſunt S. AUGUSTINI (*a*), *niſi quia ſic illa omnia ſimulatoria gerebantur, tanquam verum eſſet, quod illi dicebant, qui ſine circumciſione præputii, atque aliis obſervationibus, quæ erant umbræ futurorum putabant credentes ſalvos eſſe non poſſe, & ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum ſentire jactarent.* Hæc ſi cum HONORII facto contendantur, facile patebit, cur hinc excuſatione, illinc damnatione dignum habeatur: cur nihil in eo veneni occidens, plurimum vero oriens inveniat: ubi nimirum ſilentio unius, aut duplicis voluntatis, vel operationis profligatæ jam contentiones recaleſcerent, atque ad deceptionem, conciliandamque errori auctoritatem HONO-

(*a*) L. c. n. 11. p. 193. F.

NORIUS ita ſentire jactaretur: cum is nihil intenderet, quam lites, & turbas cohibere, quod peſſime ceſſiſſe ea tempora, quæ videre non amplius poterat HONORIUS, docuerunt. Qui haud dubie mala videns alia iniiſſet conſilia, atque cum PETRO, a PAULO aliquo monitus, correxiſſet.

XII. Eadem antea fuit ratio in controverſia de tribus capitulis. Poterat rem transmittere Chalcedonenſis ſynodus: poterant pia diſpenſatione, merentes licet, non damnari, ubi nullum periculum erat: neque hoc modo ipſa catholica periclitabatur veritas. At dum poſtea perverſorum ſtudia alio traherent, occurrendum erat imminenti malo. Quam æquitatem ea in cauſa demum omnis agnovit eccleſia, quamvis diu occidens remotior ab illo periculo reluctaſſet: atque in hoc etiam ſenſit pietatem matris eccleſiæ, quæ non ejecit e gremio, quos noverat exorbitare zelo bono, licet non ſecundum ſcientiam. Quod prudentiſſime in hac cauſa egerunt ſummi Pontifices PELAGII, GREGORII, non conſentiendo perverſe aut ſentientibus, aut renitentibus, ſed ne malum exaſperarent, pia œconomia utendo. Ac imprimis quando recens ingruere ſolent controverſiæ, compeſcere potius motus, quam fidei

Alia ejusmodi diſpenſationum exempla eodem exemplo PETRI in ſuis ſucceſſoribus vindicantur.

fidei definitionibus eos finire haud infrequenter ſtuduerunt Pontifices : quod vitio dandum non eſt, cum paci conſuli poteſt, quin lædatur veritas; quod dum minus proficit, tunc demum interponenda auctoritas, ut minime ſint vituperandi, qui primum aliter faciendum putarunt, malis haud prementibus. Hoc animo HORMISDAS primum reſpuit propoſitionem illam: *Unus de Trinitate mortuus eſt*, quæ ſua ambiguitate fallere poterat, atque eccleſiam turbare: donec fixus eſt catholicus illius ſenſus, atque agnitum in illius defenſoribus nihil malæ fidei eſſe. Ut ergo apoſtolus, prout legalium uſus bonam aut malam exiſtimationem habuit, agendi modum temperavit; ita deinceps eccleſia, ac ſummi Pontifices. Et quemadmodum, ſecus ac HIERONYMO viſum, non ſtatim ac Chriſtus morte ſua vetus teſtamentum antiquavit, novumque firmavit, legalia mortifera fuerunt effecta; ita deinceps eccleſia non ſimul ac ſemel omnia figit, ac terminat, eo magis quo non niſi prævia deliberatione, & traditionis conſultatione finiendæ ſunt controverſiæ; atque præſertim in damnandis, rejiciendisque tum hæreſibus, cum hæreſiarchis recte lenitate, multaque circumſpectione utuntur ſupremi judices, præſertim quando

doci-

doc'em errantes præſeferunt animum. Cujusmodi in ZOSIMO circa COELESTIUM habetur exemplum: qui licet libellum obtulerit reſperſum ſuis erroribus, tamen in eodem viſus eſt eccleſiæ deferre, & promiſit ſe damnaturum omnia, quæ ſedes Romana damnaret. *Voluntas emendationis*, ut inquit S. AUGUSTINUS (*a*), *non falſitas dogmatis approbata eſt.* Cum utique ab INNOCENTIO ſedis Romanæ judicium, jam eſſet factum, ac doctrina conſtituta. *Nunc vero*, pergit idem, *cum primitus B. Papæ Innocentii litteræ, epiſcoporum litteris reſpondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur iſti perſuadere, damnaverint, ſucceſſor quoque ejus ſanctus Papa Zoſimus hoc tenendum eſſe, quod iſti de parvulis ſentiunt, nunquam dixerit, nunquam ſcripſerit: inſuper etiam Cæleſtium ſe purgare molientem ad conſentiendum ſupradictis ſedis apoſtolicæ litteris crebra interlocutione conſtrinxerit; profecto quidquid interea lenius actum eſt cum Cæleſtio, ſervata duntaxat antiquiſſimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſimæ pravitatis. Et quod ab eodem ſacerdote poſtea Cæleſtius, & Pelagius repetita auctoritate damnati ſunt, paululum intermiſſæ, jam neceſſario præferendæ ratio ſeveritatis fuit, non prævaricatio*

(*a*) Lib. II. ad BONIF. c. 3.

catio prius cognitæ, vel nova cognitio veritatis. Hæc eſt S. AUGUSTINI pia mens, harum rerum optime gnari, cui nos contra ea, quæ recentiores hic cauſantur, potiorem habemus fidem. Et ſi quid etiam remiſſius, indulgentiusque ZOSIMUS cum COELESTIO egerit, paululum in ejus defenſionem abſtractus, mox tamen monitus cum PETRO reſpexit: tumque ſententiam dixit PETRI ſedi congruam. *Recoluit enim beatiſſimus Papa Zoſimus*, verba
2. ſunt S. AUGUSTINI (*a*), *quid imitandus præceſſor ejus de ipſis ſenſerit geſtis. Attendit etiam, quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides.*

Declaraturque, quando D. PETRI auctoritate utantur.

XIII. Non vero ſunt quævis dicta, factaque Pontificum pro oraculis habenda: hoc enim illis tantum proprium eſt, qui afflatu, inſpirationeque immediate a Spiritu ſancto aguntur; quod nos canonicis tantum ſcriptoribus prophetis, & apoſtolis tribuimus. Et tamen conſtitit exemplo ſummi etiam apoſtolorum principis, aliquid lapſus ab eo non omnino fuiſſe alienum, quo non ſolum ipſe detineretur, ſed etiam, qui pravo ipſius exemplo fuerunt abducti, non ambularent ad evangelii veritatem. Hoc autem accidit PETRO, quando ab eo deflecti ſe ſinebat, timore, ac ſimulatione, quod

(*a*) De peccat. orig. c. 7.

quod ipſe prius cum aliis apoſtolis in communione poteſtatis ſibi a Chriſto traditæ auctoritate Spiritus ſancti conſtituerat, de legalium abdicatione. Non quaſi tunc jam mortiferæ eſſe cœperint, ſed ne pravæ de earum neceſſitate ſententiæ, uti expoſuimus, locus daretur. Simile quid contingeret in eccleſia, quando non conſulta communi ſuæ ſedis, aut eccleſiæ catholicæ traditione, aut contra communionem poteſtatis eccleſiaſticæ privatim aliquid tenerent Pontifices, veluti de JOANNE XXII. fertur, quoad viſionem beatificam ante extremum judicii diem: aut quando Pontifices agunt, dicunt, ſcribunt, ad conſulta, privatorum: cujusmodi haud pauca coacervare ſolent, quibus volupe eſt cum CHAMO patris denudare verenda, atque illudere. Quæ, ut diximus, non continuo ſunt pro oraculis habenda, quod ab ore pontificio fundantur, donec conſtet ab illis edita pro munere paſtorali, atque in communione legitima univerſæ eccleſiæ propoſita, re prius diligenter diſcuſſa, & deciſa ſecundum receptam eccleſiæ Romanæ, catholicæque traditionem, quæ amplius in dubium, aut in controverſiam vocare non licet. Alias juxta exemplum primi, ac coriphæi apoſtolorum, cui vicaria vice ſuccedunt, correctionem, correptionem-

nemque haud reſpuere debent Romani Pontifices chriſtiana humilitate, quam forte PAULUS quiſpiam libertate, ac charitate chriſtiana fecerit. Quo modo pulchre ſtabit pax, & unitas eccleſiæ, communioque poteſtatis a Chriſto paſtoribus eccleſiæ conceſſæ. Vigebunt cum evangelii veritate evangelicarum etiam virtutum principia, contra corruptæ naturæ noſtræ aberrationes, ac præſumtionem, mundanique faſtus, ac ambitus typhum, atque uſurpationem.

CAPUT VIII.

Schiſmatum, ac præſertim magni illius ſæc. XIV. & XV. exemplo declaratur, quanta mala obruant eccleſiam, ſi communio poteſtatis legitimæ juxta leges evangelicas periclitetur, poſthabeaturque.

I.

Schiſmata in eccleſia DEI, & ea redintegrandi ſtudium.

NUnquam exitialius in ipſa viſcera matris eccleſiæ graſſatur, atque ejus disrumpit uterum anceps diſcordiæ gladius, quam ubi biceps, aut etiam triceps eccleſiæ corpus repræſentatur. Dum ſchiſma ipſum eccleſiæ caput, ac unitatis centrum in diverſa abſtrahit, ut haud raro jam inde a primis eccleſiæ temporibus

ribus accidit. Quod dum primum in NOVATIANO ſeſe contra CORNELIUM Pontificem Romanum erigente fieret, imprimis S. CYPRIANUS flagranti exarſit zelo, atque faciendum exiſtimavit, ut, quibus poteſtas eccleſiaſtica apoſtolorum loco eſt concredita, ii nihil non molirentur ad unitatem in communione poteſtatis ſuæ ſarciendam. Sic autem ad CORNELIUM (*a*) ipſum hac in re perſcribit: *Hoc enim vel maxime, frater, & laboramus, & laborare debemus, ut unitatem a Domino, & per apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus, & quod in nobis eſt, palabundas, & errantes oves, quas quorundam pervicax factio, & hæretica tentatio a matre ſecernit, in eccleſiam colligamus; illis ſolis foris remanentibus, qui in obſtinatione ſua, vel furore ſuperſederunt, & ad nos redire noluerunt, diſcretionis, & ſeparationis a ſe factæ, & eccleſiæ derelictæ ipſi rationem Domino reddituri.* In eo vero ſummam pertinaciam, & conſummatum perverſitatis S. Martyr apicem collocavit, quando non ſolum pax, & unitas eccleſiæ ſcinditur, ſed etiam multiplicato capite bicorpor quodammodo contra divinam diſpoſitionem efficitur, quod tum primum

a.

(*a*) Ep. XLII. Ed. N. p. 128. C.

a. mum factum dolet: *Quoniam*, inquit (*a*), *diversæ partis obstinata, & inflexibilis pertinacia non tantum radicis, & matris sinum, atque complexum recusavit, sed etiam glisscente, & in pejus recrudescente discordia episcopum sibi constituit, & contra Sacramentum semel traditum divinæ dispositionis, & catholicæ unitatis adulterum, & contrarium caput extra ecclesiam fecit.* Quid si sequiorem ætatem vidisset S. Martyr? Quando plura etiam quam duo capita ita excitabantur, perversis eorum studiis, & inconsulto zelo, qui unitatem ecclesiæ maxime cordi habere, atque curare debebant, idque etiam præseferebant. Scripsit, qui ejusmodi fata vidit ecclesiæ Jo. Gerson *Trilogum*, ut titulum dedit, in materia schismatis, *zelum*, *discretionem*, & *benevolentiam* inter se colloquentes inducens, ubi optimo consilio consociare sorores istas gestit, atque conjungere studia, ne quævis earum sibi nimium intenta, atque aliarum destituta consilio abriperetur. *Hæc trina societas*,
b. inter alia scribit (*b*), *die, noctuque pluries altercata est intra secreta domus meæ cubicula, meum quoque frequenter rupit silentium, zelus præcipue, cujus aliquando vehemens adeo improbusque sit impetus, ut*

nunc

(*a*) Ib. Init. Epist.
(*b*) Jo. Gerson Tril. in materia schis.

nunc verbis, nunc ſcriptis erumpere geſtiret, extrinſecus, non hoc, non illud diſcrimen advertens, neutri parti ſatis parcens, dummodo pax, pax fiat, acclamaret. Si unquam, hic ſane ſe ingenuum exhibuit cancellarius iſte academiæ Pariſ. celeberrimus: neque enim unquam ad benignas *benevolentiæ* partes ſuis ſe conſiliis, quæ tunc plurimum valebant, deflexit ſatis, aut mediatricem *diſcretionem* in conſultationem vocavit: zelo abreptus, nimium voci *illius crudeliſſimæ fœminæ*, uti vocatur in ſenatus conſulto CAROLI V. Galliarum regis, ipſa hac in ſchiſmatis cauſa editi, detulit: *Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur:* prætermiſſis illis piæ matris: *Date illi infantem vivum.* Hanc melius profecto imitatus eſt, quem modo laudavi, S. CYPRIANUS. Qui, dum cerneret ſchiſmatis laqueis etiam detentos, qui confeſſorum Chriſti gloria ornati fuerant, non deſtitit, nec aliquid reliquum fecit, quo minus eos ad unitatem revocaret; at quo affectu, quibusve ſtudiis una e pluribus ad eos datis epiſtola docebit: *Gravat me*, inquit (*a*), *atque contriſtat, & intolerabilis perculſi pæne proſtrati pectoris mæſtitia perſtringit, cum vos illic comperiſſem contra eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra evangelicam legem, contra inſtitutio-*

(*a*) S. CYPR. Ep. XLIV.

ſtitutionis catholicæ unitatem alium epiſcopum fieri conſenſiſſe, id eſt, quod nec fas eſt, nec licet fieri, eccleſiam aliam conſtitui, Chriſti membra diſcerpi, dominici gregis animum, & corpus unum diſcuſſa æmulatione lacerari. Quod, quæſo, ut in vobis ſaltem, illicitum iſtud fraternitatis noſtræ diſſidium non perſeveret, ſed & confeſſionis veſtræ, & divinæ traditionis memores ad matrem revertamini unde prodiiſtis, unde ad confeſſionis gloriam cum ejusdem matris exultatione veniſtis. Nec putetis ſic vos evangelium Chriſti aſſerere, dum vosmetipſos a Chriſti grege, & ab ejus pace, & concordia ſeparatis, cum magis militibus glorioſis, & bonis congruat intra domeſtica caſtra conſiſtere, & intus poſitos ea, quæ in commune tractanda ſunt, agere, & providere. Nam cum unanimitas, & concordia noſtra ſcindi omnino non debeat, quia nos eccleſia derelicta foras exire, & ad nos venire non poſſumus, ut vos magis ad eccleſiam matrem, & ad noſtram fraternitatem revertamini, quibus poſſumus, hortamentis petimus, & rogamus. Nihil quidem ad unitatem ſuadendam, inſtillandamque addi his poſſet: tum illa poſtrema ratio non poterat non emollire mentes quantumvis etiam obſtinatas, quam deinceps S. AUGUSTINUS tam ſæpe inculcabat, unitatem nimirum nullo caſu, aut cauſa eſſe lædendam. Nec

fefel-

fefellit S. Martyrem ſpes, nec fruſtra fudit verba, tantum ponderis, tantumque charitatis ſpirantia. Charitas enim eſt vinculum pacis, quo unitatem ſpiritus ſervare D. PAULUS tantopere obſecrat Epheſios ſuos vinctus ille in Domino (*a*), *Cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate.* His conſtrictos vinculis fieri non poterat, quin lucraretur S. CYPRIANUS, pandens viſcera charitatis illis, qui ipſi charitate ea flagrabant, qua pro Chriſti nomine intrepidi ipſam vitam expoſuerant antea. Qua de re vehementer illis congratulatus S. Pater, iterum animi ſui affectum declarat. *Ego me*, inquit (*b*), *& gratulari magis vobis, & plus cæteris gloriari in hac veſtra pacifica regreſſione, & charitate confiteor. Simpliciter enim quid in meo corde fuerit debetis audire. Dolebam vehementer, & graviter angebar, quod eis communicare non poſſem, quos ſemel diligere cœpiſſem.*

a.

b.

II. Illud vero hic loci prætermittendum non eſt, quod de his ipſis confeſſoribus circumventis CORNELIUS ſummus Pontifex ad CYPRIANUM perſcribit, tum de affectu ſuo, quo ex ſchiſmate redierant, cum de animo, quo prius abducti eidem adhæſerant. *Una vox erat omnium,* Schiſmata varia præſertim *magnum* illud, quod in diverſa partes eccleſiæ diſtraxit.

(*a*) Eph. IV. 3. (*b*) Ep. LI.

ſunt CORNELII verba (*a*), *gratias DEO agentium gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos quaſi hodie pœnæ carceris fuiſſent liberati.* Tum propria eorum verba deſignans: *Nos*, inquiunt, *Cornelium epiſcopum ſanctiſſime catholicæ eccleſiæ electum a DEO omnipotente, & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur. Impoſturam paſſi ſumus. Circumventi ſumus perfidiæ loquacitate captioſa. Nam etſi videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico, & hæretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in eccleſia fuit. Nec enim ignoramus unum DEUM eſſe, & unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum ſanctum, unum epiſcopum in catholica eccleſia eſſe debere.* Quodſi bona ejusmodi fides aliquamdiu etiam glorioſos Chriſti confeſſores detinere potuit, ubi ſchiſmaticus ſimul, ac hæreticus error graſſabatur; quanto id magis fieri pronum fuit deinceps in ejusmodi ſchiſmatibus exortis, quin etiam eccleſiæ Romanæ auctoritatem peterent, contraria fidei dogmata tenerentur, aut uſus, & conſuetudines damnari præſumerentur ſeditioſo animo. Ejusmodi plura deinceps propter ambitum Romanæ cathedræ ita ſciderunt eccleſiæ unitatem in

ſuo

(*a*) Ep. XLVI. apud S. CYPR.

ſuo capite, ut nihilominus in eadem fidei profeſſione apoſtolicam S. PETRI ſedem ceu unitatis chriſtianæ, & catholicæ agnoſcerent centrum: in hoc diviſi, quod inter plures, qui eam occupaſſent ſedem Pontifices, alii alium pro vero PETRI ſucceſſore haberent. Inter omnia vero, quæ magno numero ad viginti uſque a primo, quod commemoravimus, eccleſiam Romanam inceſſerunt, nullum fuit graviſſimis periculis funeſtius, diuturnitate pertinacius, partium ſtudiis, & contentionibus formidoloſius, contendentium inter ſe non ſolum ipſorum Pontificum, ſed etiam totius chriſtianitatis numeroſitate diffuſius, demum ad excogitanda illud aliquando finiendi remedia difficilius eo, quod his omnibus, aliisque de cauſis *ſchiſma magnum occidentale* dicitur: quod fomitem, ac incrementa vel inde ſumſit, quod in contrariis factionibus non ſolum magni nominis viri, jurisconſulti, theologi, integræ academiæ, viri ſanctitatis celebritate, miraculis etiam clari hæſerint; verum etiam in utramque partem præjudicia conjecturæ, atque rationes haud contemnendæ, ac plauſibiles ſeſe objecerint, quæ in partes pro rerum circumſtantiis trahere poterant, aut revocare, quin in graviſſimo ſchiſmate, quinam revera eſſent

ſchiſma-

ſchiſmatici certo ſtatui potuerit, haud id diffitentibus, qui, ſi qui unquam, maximum unionis præſetulerunt ſtudium. Inter hos Jo. GERSON (*a*): *In præſenti ſchiſmate*, ait, *poteſt apud plurimos applicari rationabiliter documentum Ambroſii ad Auguſtinum de jejunando, vel non jejunando ſabbata ſecundum diverſitatem temporum, locorum, & perſonarum. Poteſt ſine periculo ſchiſmatis, aut damnationis nunc illi, nunc iſti modis iſtis obedire: & nunc cum iſtis, nunc cum aliis communionem præſtare. Et hoc totum dicitur propter probabilem ignorantiam iſtius vel illius partis.* Legi merentur, quos in laudato opere canones, ac aphoriſmos ponit *De modo ſe habendi tempore ſchiſmatis*, expreſſe declarans, in eo ſchiſmate tam dubio temerarium, injurioſum, & ſcandaloſum fore damnare, iſti, aut illi, aut neutri etiam addictos parti. Qui tunc & poſtea rem operoſius doctiſſimi quique viri expenderunt *Card.* TURRECREMATA, & BELLARMINUS proxima ætate, aliique idem ſunt faſſi: qui uni etiam alicui Pontifici ex dubiis adhæſerant, non ita partium detinebantur ſtudiis, ut, qui in adverſa erant, eos damnarent, quin exiſtimarent ſecura conſcientia illic eſſe poſſe. Nec aliter ſenſit S. ANTONINUS, ad ſalutem neceſſa-

(*a*) De modo habendi ſe tempore ſchiſmatis.

ceſſarium eſſe haud ratus, in ſchiſmate, cum plures eliguntur Pontifices, certum eſſe quemquam debere, qui inter controverſos verus ſit Papa, dummodo conſtet unum ex illis eſſe canonice electum, quicunque ille ſit. Qua ratione omnes, quaslibet ſequerentur partes, conſtat potuiſſe conjunctos eſſe ſedi Romanæ, ac apoſtolicæ ceu centro unitatis per eum, quem quisque pro vero Pontifice agnoſceret; aut ſi uterque dubius appareret etiam, eo ſaltem modo quo ſede vacante id ſolet contingere. *Ludov.* MAIMBOURG, qui duobus voluminibus ſcripſit hiſtoriam magni hujus ſchiſmatis, diſtinctione facta inter eccleſiam Romanam particularem, atque Romano-catholicam rem expedit: ut licet ſchiſmatis tempore eccleſia univerſalis, ac Romana inter ſe diſciſſa fuerit, particularibus eccleſiis ejus membris inter ſe diviſis, in eo tamen omnes unitæ manſerint, quæ S. ſedi bona fide fuerint conjunctæ, non obſtante ſchiſmate: cum rationes adfuerint, in utramque partem probabiles, quæ aliis ac aliis partibus detentos fideles affigebant, detinebantque. Omnia ergo poterat hic bona fides, ac perſuaſio animi, ad unam cathedram, unitatemque eccleſiæ fideliter collimans, & intendens, quæ eo in ſchiſmate utraque in parte inveniebatur:

quæ

quæ ubi defuiſſet etiam apud legitimam partem, animus & culpa ſchiſmatis eſſe potuiſſet. *Propterea ſtat*, inquit *Jo.* GERSON (*a*), *aliquem adhærentem juſtæ parti plus eſſe de ſchiſmate culpabilem, quam alterum qui adhæret parti falſæ: ut ſi primus aliqua paſſione vitioſa tractus obſiſtat, quo minus fiat pax, ne audire paratus ſit eccleſiam. Alius quærit cum omni ſollicitudine vias pacis, promtum habens animum obediendi eccleſiæ judicio, ſeu veritati, dum ſibi clareſceret.* Atque hinc quidem eluceſcit, quem influxum iſtic habeat ſpiritus evangelii, ac virtutum chriſtianarum vigor, quibus colligavit eccleſiam ſuam Chriſtus, apoſtolusque tam ſollicite ſervari voluit (*b*) *unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus &c.*

a.

b.

Ortus magni illius ſchiſmatis.

III. Quodſi, quas ibi leges præſcripſit S. PAULUS Epheſiis, qua ratione ſolliciti eſſe debeant ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis (*c*) cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate; quodſi, inquam, hæ Romæ, cum poſt mortem GREGORII XI. novi Pontificis electio fuit facta, ſervatæ eſſent leges, ſicuti nunquam ullum in eccleſia alterum ſchiſma, ita magnum illud, quo de nunc inſtituri

c.

(*a*) Serm. de pace, coram Papa BENEDICTO.
(*b*) Eph. IV. 3. 4. (*c*) Ib. v. 2.

Digitized by Google

ſtituti ratio agendum plenius ſuadet, aut ortum nunquam, aut in primis ſuis natalibus ſuffocatum ſtatim fuiſſet; cujus nunc origo altius eſt repetenda. Cum a CLEMENTE V. partim ut regi Galliarum gratificaretur, cui in acceptis referebat provectionem in Romanam ſedem, tum etiam propter bellum, quo Italiæ reguli patrimonium PETRI depopulabantur, ſedes Avenionem defixa fuiſſet, eam vero GREGORIUS XI. poſt LXXIII. demum annos iterum Romam transtuliſſet, populus Romanus poſt illius mortem nihil non egit, quo Italus in Romanum Pontificem eligeretur, veritus, ne, ſi Gallus, qui tunc maximam collegii Cardinalium partem complebant, fieret, iterum Avenionem ſedem transferret. Necdum expirarat GREGORIUS, cum jam Romani deliberatum coirent, in partem conſilii vocatis pluribus Romanis, ac Italicis prælatis inter alios *Bartholomæo* PRIGNANO archiepiſcopo Barenſi. Id vero inter eos pluribus habitis deliberationibus convenit: unicam viam ſecuram deinceps Papam Romæ detinendi fore, ſi Romanus, vel Italus ſaltem eligeretur. Igitur decretum eſt, nihil in medio relinquendum, quo votis potirentur, huc quævis adhibenda conſilia, ac auxilia, preces primum & rationum momenta, ob oculos poſita

rei

rei neceſſitate. *Quodſi*, verba ſunt CIACONII in URBAN. VI., *id precibus obtinere nequirent, vi eosdem cogerent.* Quis abnuat? Si Cardinales non tam juris ſui, quod in eligendo ſummo Pontifice jam ultra ducentos annos habuerant, quam legum charitatis tenaces fuiſſent, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, eo æquius cedendum duxiſſent haud iniquis votis, & precibus, quo certius fuerat, ultra quingentos annos magnam plebis partem in eligendis paſtoribus fuiſſe, nec ſine eorum conſenſu epiſcopum electum, multo minus invitis illis intruſum quempiam. Quodſi hoc modo eorum cum clero, magiſtratu, & populo Romano conſpiraſſet ſententia, quod olim in ſchiſmate Novatiano eccleſiam cito coadunavit, id, aut ſchiſma hoc omnino impediiſſet, aut brevi extinxiſſet, ſi de Pontifice tunc electo dici potuiſſet, quod de CORNELIO

a. CYPRIANUS habet (*a*): *Factus eſt autem Cornelius epiſcopus de DEI, & Chriſti ejus judicio, de clericorum pæne omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit ſuffragio, & de ſacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, id eſt, cum locus, Petri, & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret;*

(*a*) S. CYPR. Ep. LII.

ret; quo occupato de DEI voluntate, atque omnium noſtrum conſenſione firmato, quisquis jam epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat eccleſiaſticam ordinationem, qui eccleſiæ non tenet unitatem. At Cardinales animum obſtinarant, non ſolum uti jure ſuo, quem vellent, eligendi Papam, verum etiam excludendi Italos, quorum quatuor tantum Cardinales erant, qui idem, quod populus Romanus, veriti, ne ſedes ſancta iterum Avenionem transferretur, unum ex ſe in Pontificem eligi ardenter cupiebant. Interim nihil non egerunt Romani qua obteſtationibus, qua præſentis periculi conteſtatione, ut votis potirentur: *Quodſi contra fieret*, ut habet auctor vitæ GREGORII XI. *timendum, quod inſurgeret contra ipſos, cum civium corda ſcirent ſublevata, & ad hoc fortiter inclinata.* At Cardinales conſtanter reſponderunt: Plenam ſibi libertatem, ac jus relictum velle, alias ſi quis eligeretur, illum non fore Papam, ſed intruſum. Contra populus turbas movit, nihil non minatus, nihil non periclitatus; ut tandem Cardinales, ſi vitæ, ac ſaluti ſuæ conſultum vellent, cedere cogerentur, conteſtati, Romanis ad ſe deputatis, ac etiam in conclavi proteſtati ſunt, atque a notariis ſignari fecerunt, qui eligeretur metu mor-

tis, ac per vim minime pro Pontifice habendum fore : ipſi Cardinales Itali in hoc reliquis conſpirabant, ſi hoc modo eligeretur ex illis unus, haud ſe conſenſuros. In his anguſtiis ad *Bartholomæum* BRIGNANO archiep. Barenſem celeberrimum jurisconſultum animum deſtinarunt, eumque proclamarunt Pontificem, de quo pro ſua jurisprudentia ſperabant, facile agniturum deinceps, electionem ejuscemodi nullius roboris fore : quod ipſe etiam inter tumultus iſtos dixiſſe ferebatur, ſe minime electum legitime, in iſta tumultuantis populi rabie, in ipſum conclave irruentis, atque omnia terroribus, imagineque mortis implentis.

a. Non me latet, eſſe, qui aliter (*a*) rem narrent, quique fuiſſe hanc electionem ſatis liberam dicant: alii non obſtante violentia, ac metu nihilominus canonicam eam eſſe defendunt, atque firmatam per Cardinales, URBANUM, dictum antea *Bartholomæum* de BRIGNANO, throno, ac ſedi immittendo, coronando, ac tribus fere menſibus cum eo ceu Pontifice agendo. Id, quod URBANUS deinceps juris conſultiſſimus ad ſuſtinendam dignitatem ſuam obtendit, forteque ſuſtinuiſſet, ſi præclararum virtutum humilitatis,

(*a*) P. MAIMBOURG Hiſt. du grand ſchiſme d'occident. T. I. L. I.

litatis, modeſtiæ, circumſpectionis, quarum prius laude clarebat, præbuiſſet ſpecimina. Sed virtutes illas Pontifex factus, ut de eo in ejus vita CIACONIUS narrat, viſus eſt aut nunquam habuiſſe, aut uno veluti momento amiſiſſe tunc, cum magnopere illis indiguiſſet. *Fuit enim*, ait idem in CLEMENTIS VII. vita, *vir rigidus, aſper, inexorabilis, arrogans, habendi cupidus, ac cunctis hominibus, & iis præſertim, qui de eo bene meriti erant, Cardinalibus ingratus, quibus ſæpe honeſta petentibus cuncta negando, & graviſſimis objurgationibus cum aliis prælatis vexatos ad ſubſequens parum opportune ſchiſma incitavit.* Cardinales enim, quos in publico conſiſtorio ſimoniæ, injuſtitiæ, oppreſſionum, luxus, perfidiæ accuſarat, nacti opportunitatem temporis exceſſerunt urbe Roma, atque de eo abdicando conſilia ineunt, quod prius erant proteſtati haud ſemel, ob vim, atque horribiles tumultus, eum haud fore Papam, quem eligere ſimularent. In loco ſecuro conſtituti, aperte ei obedientiam detrectarunt, atque per litteras expoſuerunt, ei haud poſſe eſſe incognitum, ſe legitimum Papam haud eſſe, haud canonice electum: igitur obteſtari ſe, ac conjurare DEI nomine, ne locum ſchiſmati ſua obſtinacia daret. URBANUS, licet nihil

remitteret de ſua dignitate, paratum tamen ſe ſignificabat coram concilio generali cauſam ſuam agere. At Cardinales ad hæc ſurdi, iterum iterumque conteſtati ſe nec electionem, nec quæ poſt electionem fecerant, liberos egiſſe: ad reges etiam, atque fideles undequaque terrarum declaratione ejuscemodi transmiſſa, ad novum eligendum Pontificem animum, operamque adjecerunt, ſchiſmatique initium dederunt electo ROBERTO Cardinale Genevenſi, qui nomen CLEMENTIS VII. ſumſit. Nihilominus URBANO potior adhuc orbis pars adhæſit: cum primum JOANNAM tantum Siciliæ reginam in partes trahere potuiſſent Cardinales, infenſam URBANO, quod nepotem ſuum *Franciſcum* BRIGNANUM, ipſa expulſa, moliretur in Siciliæ regnum intrudere. Succeſſu tamen temporis, quod in ipſos etiam reges ferociret, atque dominatum ambiret URBANUS, magis magisque deſtitutus fuit, præſertim rege Galliarum CAROLO VI. ab eo deficiente poſt maturam de electione URBANI, ſeriamque factam diſquiſitionem, quam conſtanter Cardinales, utpote contra canones nullam eſſe contendebant, pluribus etiam in mortis articulo conteſtantibus, ſe quidquid Romæ egerint, ſimulate tantum, ac præter voluntа-

luntatem, ac coacte egiſſe. Quo quidem haud negato, quid faciendum eſſet in iſto rerum articulo ad ſchiſma evitandum, cujus juxta veterum, præſertim S. AUGUSTINI, conſtantem doctrinam, nulla unquam eſſe poteſt juſta cauſa, religioſius perpendendum fuiſſet.

IV. Quæ cum ita ſint, ut non diſſimulemus, ferocitatem, ac ambitionem URBANI, quibus odium in ſe, ac invidiam non Cardinalium tantum, verum etiam regum & principum, ipſiusque populi Romani concitavit; dici tamen nequit, Cardinales ob excitatum ſchiſma culpa vacare, ſive ſpectes animi obſtinationem, quam in eligendo Pontifice exhibebant, ſive, idque potiſſimum, alterius Pontificis electionem, unde ſchiſmate eccleſiam ſcindendam non poterant non præſagire. Neque aliter concilium Conſtantienſe in reſponſo Cardinalibus dato exiſtimavit, cum ſe illi excludi quererentur, ubi de reformatione in capite & membris quæſtio eſſet: ſic autem inter alia Patres dicunt (*a*): *Agitur de ſchiſmate tollendo in Romana eccleſia, quod per Cardinales ortum habuit, aut quia Cardinales alias abuſi ſunt electione.* In eodem concilio cum Cardinales

Quorum etiam ſtudiis, ac ambitu longius progreſſum eſt ſchiſma illud.

a.

(*a*) Act. Conc. Conſtant. T. II. p. 13. van der HARTH.

ſe ob cauſam unionis jactare vellent, hæc per nationem Gallicam in reſponſis acceperunt (*a*): *Reſpondetur, quod utinam ita eſſet, quod de præterito non fecerunt, nec uſque nunc eſt factum, quid fiet, videbitur poſtea. Nec quoad hoc etiam præſumitur, quæ in facto conſiſtunt etiam de præſenti.* Et certe ſæpius penes Cardinales contendentium partium ſtetit, ſchiſmati finem imponere. Statim poſt URBANI mortem opportuna fuiſſet occaſio, ſi Cardinales Romæ tunc conſiſtentes ab electione novi Pontificis abſtinuiſſent: quod, qui Avenione CLEMENTI adhæſerant, a Galliæ rege multis precibus flagitabant, ut apud principes URBANO addictos id ageret, ne ad electionem novi Pontificis Romæ procederetur: at vana hæc erant, aliis ad papatum aſpirantibus, aliis ſaltem ſibi obſtrictum habere volentibus, electus eſt Pontifex BONIFACIUS IX. ſed quod Galli Cardinales de Romanis optabant poſt mortem URBANI VI. nec ipſi poſt mortem CLEMENTIS VII. qui ſecus, ac a rege poſtulabatur, contra ardens totius fere chriſtiani orbis votum, ipſiusque BONIFACII, ut electio ſaltem eouſque protraheretur, quouſque via, ac ratio faciendæ unionis

a.

(*a*) Apud *Ed.* RICH. Hiſt. Conc. gen. T. I. P. I. c. 3. n. 19.

nis eſſet inita, conclave ſunt ingreſſi, papatus ambitu, regiis litteris non apertis ante electionem, hanc ſolam deſideratæ unionis regi oſtentantes ſpem, quod ſeſe obſtringerent juramento, ut, qui Pontifex eligeretur, totis niſibus unioni uſque ad ceſſionem pontificatus ſtuderet. Idem deſiderium præſeferebant Cardinales Romani poſt BONIFACII mortem, eandemque promiſſionem faciebant, ſi BENEDICTUS XIII. in Gallia electus cedendi conſilium, ut promiſerat, iniret. Quod dum deſperabatur, ipſis legatis hac de cauſa Romam miſſis ſpem præcidentibus, ad electionem iterum Romani Pontificis eodem voto, & juramento obſtricti proceſſerunt. Idque ſecundo factum poſt mortem INNOCENTII VII. electo GREGORIO XII. Nec hac in obſtinatione finis aliquando ſchiſmatis ſperari poterat; dum nova ineuntur conſilia ejus per concilium generale abolendi: in quam tandem rem Cardinales utriusque partis conſenſerant, nova erecti ſpe, fore ut quis ex eorum numero pontificatum nanciſceretur. Igitur Piſis congregato concilio, ambo citati Pontifices cum non comparerent, hoc unionis remedium ſuſceptum eſt, quo potius malum exaſperatum videri potuit, tertio

electo ſummo Pontifice, duobus aliis depoſitis.

Abuſus auctoritatis contra communionem legitimæ poteſtatis eo in ſchiſmate.

V. Cum vero hac in re utriusque obedientiæ Cardinales tam GREGORII, quam BENEDICTI concordarint, utraque pars in eum, quem legitime credebat a ſe electum Pontificem, auctoritatem exercebat, concilium convocando, citando, pro hæretico, ac ſchiſmatico declarando, demum deponendo. Verum eſt, Cardinales primum humiliter ſupplicaſſe, & inſtanter haud ſemel requiſiſſe ambos Pontifices, quatenus convocationi, quantum in ipſis eſſet, præberent aſſenſum, & opem: atque recuſantibus demum illis proceſſerunt in negotio unionis habendæ, & ſchiſmatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium extirpatione, eorum non obſtante abſentia, veluti in litteris convocationis habetur. Atqui hæc ipſa colliſio eſt poteſtatis eccleſiaſticæ contra Chriſti voluntatem, atque eccleſiæ ſtatum in unitate fundatæ. Sic nova ſeſe exeruit factionum oppoſitio, ac colluſio contra Romanum Pontificem, cujus ſunt clerus Cardinales, intimi familiares, & conſiliarii, collegio epiſcoporum, inter hæc, rerum haud multum ſatagente, atque ſuam veluti auctoritatem reponente in Cardinalium manibus, qui concilium convo-

convocarunt, pro ſuprema poteſtate, ibi quæque egerunt adverſus eos, qui ipſos tanto honoris cumulo ornarunt, Romanos inquam Pontifices. Tunc primum agitari cœpit, quæ hucuſque tanto animorum motu, & contentione agitatur quæſtio: utrum concilium ſit ſupra Papam. Qua non ſolum, diverſum, verum etiam adverſum conſtituitur tribunal, cathedra adverſus cathedram: dum alterutra ſibi arrogat prærogativam, alterius ſe legibus ſolutam exiſtimans. Quod in hoc ſchiſmate maxime ſeſe prodebat. Primum cauſam ſuam URBANUS in concilio agendam ipſe petierat, at renuebant Cardinales, poſtea idem recuſavit Pontifex: contendentes Pontifices ſe bullis, fulminibus Vaticani, bellis, aliisque qnibusvis modis tuebantur; electi in eo ſchiſmate Pontifices abſolutam ſuam poteſtatem, atque omnibus legibus ſolutam in tantum exercebant, ut ſe obligari minime exiſtiſtimarent, quo ante electionem ſeſe obſtrinxerant juramento, pro bono pacis omnia litandi ipſam etiam dignitatem ſuam. *Petrus* de LUNA, dictus BENEDICTUS XIII. non ſolum ſolemni hoc ſe juramento obſtrinxerat, ſed etiam mox poſt electionem ſuam litteris ad regem datis non alio fine ſeſe pontificatum ac-

cepiſſe profeſſus eſt, quam ut gloria eum maneret, pacem eccleſiæ reddendi, cujus recuperandæ gratia ad quævis eſſet paratus. Idem Pontifices Romæ ſedentes ſanctiſſime ſpoponderant BONIFACIUS, INNOCENTIUS, GREGORIUS, uſque ad JOANNEM XXIII. At quamprimum ſolium pontificale conſcenderunt, ejus ambitione detenti, quam bella etiam verba darent, ubi ad rem ipſam ventum, nihil minus in animo habebant. *Petrus* de LUNA, præſertim hic ſe varium, & pertinacem oſtendit uſque ad mortem, qui longiſſime ſchiſma ſuſtinuit. Cum primum promiſſa in memoriam ei revocabantur, alienum ſe quam maxime ab illis implendis declaravit, quod non dubitaret verum ſeſe Pontificem eſſe, adeoque ſoli DEO ſubjectum, cujus in eccleſia locum teneret: non ſe poſſe acceptare conditionem extinguendi ſchiſmatis in jure haud expreſſam, cujus nullum haberetur exemplum, imo eſſet pernicioſum pro religione, ac ſcandalum pro iis omnibus, qui parti legitimæ adhærerent. Ea vero utraque pars ſemper uſa eſt colluſione, ut altera in alteram cauſam prolatæ ceſſionis projiceret: paratum ſe quilibet cedere oſtentans, ſi alter cederet, tantum ut illuderent, nunquam ſincero reddendæ pacis

ani-

animo dignitatem litando. Qua in re aliquando occulte inter ſe colludebant, conſpirabantque, laudando etiam ſaluberrimam in alterutro intentionem cedendi, quæ tamen in neutro ſeria, & conſtans erat. Imo qui illius maximam ſpem fecerat GREGORIUS XII. poſtea ſibi perſuaſerat, palamq; dicebat, ea rerum facie abdicando ſe pontificatu, atque in manus Cardinalium reſignando gregem lupo commiſſurum, ſe vero periculo æternæ damnationis expoſiturum. Is tamen ſe tandem collegit in concilio Conſtantienſi, atque idcirco meliorem ſortem nactus quam JOANNES XXIII. qui licet eandem voluntatem præſeferret, fuga tamen ſua e concilio Conſtantienſi iram in ſe procavit tum imperatoris, tum principum, turpiter depoſitus, atque diu captivus detentus: qua tandem delapſus oſtendit, ſeſe ad pedes MARTINI V. abjiciendo, ſtudium non fucatum pacis; ſecus ac BENEDICTUS, qui nihil proficientibus ipſius imperatoris ad eum profecti conatibus, induci tamen nunquam potuit, ut quam toties, ac tam ſancte promiſerat, ceſſionis viam eligeret; licet ea conditione id ſæpius pollicitus fuerat, ſi corrivalis ſimul cederet: quod cum præſtitum eſſet in concilio Conſtantienſi, tunc maxime tenacem ſuæ ſe dignitatis

tatis oſtendit: morti etiam proximus ſuos conjuravit, ut ſibi ſucceſſorem darent. Mirum vero eſt, hunc etiam dici miraculis clareſcere, atque bonum odorem e ſepulchro ſpirare.

Sanctiſſima etiam eccleſiæ membra ſchiſmate abrepta, & abſtracta.

VI. Quæ ſi vera ſunt, oportet ſane magnam fuiſſe hujus viri fidem. Neque temere hic aliquid pronunciandum videtur, quando de cauſa ad tribunal divinum revocata agitur, non de negotio tantum eccleſiæ, quod ad ſchiſma attinet. In quo ſatis demonſtravit DEUS animum ſe, ac bonam fidem ſpectaſſe eorum, qui etiam in adverſas partes diſtracti, ſincera tamen mente, ut confeſſores illi in ſchiſmate Novatiano, ſemper in eccleſia manebant. Quod in hoc ſchiſmate magno adhuc apertius patuit, quando utrinque viri ac fœminæ, non ſolum ſanctitatis laude, ſed etiam miraculorum, ac revelationum donis claruerunt. Suaſu, & hortationibus SS. BIRGITTÆ ac CATHARINÆ *Senenſis* GREGORIUS XI. ſedem Romam transtulit, quæ deinde occaſio ſchiſmati fuit. URBANO VI. cujus electioni tantum obſtrepebatur, conſtanter adhæſit S. CATHARINA *Senenſis*, pluribus ad ipſum datis litteris, qua ipſum non ſolum in maximis periculis conſolabatur, ſed etiam animum addebat ad dignitatem ſuam adverſus quos-

vis

vis inſultus inimicorum retinendam, & ad conſtantiam adhortabatur in perſecutionibus, id ſolum conſulens, ut de nimia aliquid remitteret ſeveritate. Referunt alii eam etiam belli ducem pro URBANO ad ſtrenue pugnandum eſſe hortatam, quo poſſet occumbens glorioſa morte martyrii palmam conſequi: ſe interim MOYSIS inſtar manus elevaturam ad cœlos: ſed hæc multis ſuſpecta eſſe videtur epiſtola, ac hiſtoria. Id tamen certum eſt, S. CATHARINAM URBANO VI. conſtanter addictam fuiſſe. Cum ex altera parte CLEMENTI VII. B. *Petrus* de LUXEMBURGO, miraculis etiam clarus, adhæreret. Haud aliter par fratrum illuſtre *Vincentius*, & *Bonifacius* FERRERII, alter Dominicani, alter Carthuſiani ordinis nobile ſidus, exiſtimarunt: quorum ille non obſtante ſynodi Piſanæ ſententia diu BENEDICTO XIII. fuit unitate conjunctus, donec tandem poſt concilium Conſtantienſe eum dimittendum duxit, idque ut rex FERDINANDUS pariter faceret, auctor fuit. Non parum roboris, acceſſionisque partibus contendentibus tribuebat iſta Sanctorum Sanctarumque communio. Cur vero hac etiam deſtitutus BENEDICTUS XIII. cedere noluerit, divino eſt relinquendum judicio. Dum, quando idem contigit

tem-

tempore ſchiſmatis Novatiani, ut primum confeſſorum acceſſio facta eſt eccleſiæ, ſimul ſecutus eſt omnium in Africa ad eccleſiam reditus. *Hic enim*, 8. ſcribit CYPRIANUS ad CORNELIUM (*a*), *quosdam fratres noſtros error induxerat, quod ſibi communicationem confeſſorum ſequi viderentur. Quo errore ſublato lux omnium pectoribus infuſa eſt, & eccleſia una eſſe, nec ſcindi, nec dividi poſſe monſtrata eſt. Nec quisquam jam facile poterit ſchiſmatici furentis verbis loquacibus decipi, quando probatum ſit bonos, & glorioſos Chriſti milites non potuiſſe diu aliena fallacia, & perfidia extra eccleſiam detineri.*

Theologorum ſtudia tunc temporis ſchimati extinguendo haud proficua.

VII. Sed alia tunc res fuit, quando tam de jure, quam de facto conſtitit pleniſſime, *epiſcopo ſemel facto, & collegarum, ac plebis teſtimonio, & judicio comprobato, alium epiſcopum conſtitui nullo modo poſſe:* quæ ſunt D. CYPRIANI (*b*) ad CORNELIUM verba. Nunc autem jus longe aliud inductum diutiſſime obtinuit, neque in illis contentionibus, atque tumultibus lex ſupportandi ſeſe invicem in charitate cum manſuetudine, humilitate, & patientia obtineri potuit. Facta primum URBANI VI. electio, ex qua

(*a*) Ep. XLVII.
(*b*) Ep. XLI.

qua veluti catena malorum eccleſiam non tam illigavit, quam reſolvit, maximis dubiis, & ambiguitati fuit implicata: maxime pro ſtudiis illorum temporum ad apicem juris redactis, atque variis ſubtilitatibus in omnem partem verſatilibus: in quibus innutritus, atque clarum etiam ſcriptis nomen conſecutus, acutiſſimum ſeſe ſemper, ac perſpicaciſſimum inter ſuos competitores præbuit BENEDICTUS XIII. ex illa ſerie Pontificum, cui celeberrima tunc fuit adglutinata Pariſienſis academia. De qua uti fatendum eſt, eam in extinguendo ſchiſmate plurimum elaboraſſe, ita æque dici poteſt, non optimas, conſultiſſimasq; ſemper tenuiſſe, propoſuiſſeque vias. In eo vero ſchiſmatis incrementum dedit, quod juri communi, ac ſcholæ placitis unice inſiſtendo, reprobando, atque pro illegitima habendo URBANI VI. electionem CAROLO VI. auctor fuerit, in obedientia CLEMENTIS VII. amplectenda, quo nomine apud multos Galliarum rex ceu ſchiſmatis flabellum male audiit. Suo loco referemus, quæ tum Pariſienſis, cum aliarum academiarum contentiones de finibus poteſtatis legitimæ emerſerint, quidve uſurpandum duxerint in conciliis primum Piſano, ac poſtea Conſtantienſi ad uſque depoſitionem

non

non dubiorum tantum, ſed etiam certorum Pontificum, pro quali habebatur JOANNES XXIII. ut demum ipſe rex ſibi timere cœperit, quæ in Pontifice theologi Pariſienſes tentarint, niſi eorum ſiſterentur conatus, in regem tandem etiam haud dubie arrogaturos. *Il y a long-temps*, alloquendos duxit deputatos hac de cauſa ad ſe rex (*a*), *que vous vous en faites un peu trop accroire, en vous donnant la liberté d'entreprendre des choſes qui ſont au deſſus de votre condition; ce qui a causé bien du deſordre dans l'Etat. Mais qui vous a fait ſi hardis, que d'avoir attaquer le Pape, & lui enlever la Tiare, en le dépouillant de ſa dignité comme vous avez fait a Conſtance? Il ne vous reſte plus, aprés cela, que d'entreprendre encore de diſpoſer de la couronne du Roy Monſeigneur, & de l'Etat des Princes de ſon ſang; mais nous ſçaurons bien vous en empecher.* Addit, qui hæc refert *Lud.* MAIMBOURG, ab eo tempore auctoritatem academiæ, qua maxime ſub CAROLO VI. pollebat, magis ac magis ſemper diminutam, donec ad vetuſtos terminos redacta ſit, ab aliis omnibus expedita negotiis, quæ eruditionem tantum, ac doctrinam maxime quatuor facultatum nihil attinent.

a.

VIII. Sed

(*a*) Mon. DIONYS. apud MAIMBOURG. L. V.

VIII. Sed hæc facta ſunt ad finem aliquando inclinante ſchiſmate, cum prius auctoritas ſcholæ hujusce celeberrimæ plus apud regis animum potuerit in ſuſcipiendo CLEMENTE VII. quam S. CATHARINÆ *Senenſis* ad reducendum regem in URBANI obedientiam, quod magno ſtudio litteris apud regem haud magis obtinere poterat, quam *Petrus* de ARRAGONIA, Ord. S. FRANC. vir religioſiſſimus. Fatendum tamen, ſumma religione tunc in hoc negotio uſos reges Galliarum. Imprimis enim CAROLUS V. induci nunquam potuit, ut ab URBANI, qui primus electus fuerat, recederet obedientia. CAROLUS vero VI. ætate licet juvenis, non tamen niſi maturrima deliberatione ſeſe CLEMENTI VII. ſubjecit, magno ſemper conciliandæ unionis ſtudio detentus. Hinc incredibile gaudium conceperat, cum contendentes partes ſeſe ceſſuras præ ſe gererent, litteris ad collegium Cardinalium datis. *Tunc profecto*, ſcribit (*a*), *magno, & ineffabili gaudio exultavimus, quando ambos de papatu contendentes in eandem ſententiam in viam ceſſionis convenire, & totum mundum inde gaudere, & in noſtra proſecutione eſſe unanimem videbamus. Et* Major principum religio, & conatus præſertim SIGISMUNDI imperatoris.

a.

T *ut*

(*a*) An. 1408. apud *Ed.* RICH. hiſt. Conc. œcum. T. II. p. 1.

ut a nobis conſolarentur ſolemniſſimos noſtros, & eccleſiæ regni noſtri Ambaſiatores in magno, & notabili numero de noſtra intentione, & voluntate ad plenum edoctos primo ad dictum angelum transmiſimus. Et quamquam apud eosdem contendentes per magna tempora unionem noſtro nomine proſequentes permanſerint, nihil tamen, quod DEO gratum, quodque mundo utile eſſet, reportaverunt ab eisdem, ſed annum, & plusquam annum in legationibus unionis ad alterum deſtinandis, in locis difficultandis, in coloribus, pro ſua parte ad ſui excuſationem quærendis conſumſerunt: nec in orbe toto locum invenire valuerunt, ubi ſua vota, ſuaque juramenta adimplerent, ubi lugendæ, & deſolatæ eccleſiæ pacem darent. Hæc ſane longe maximum regis hujusce zelum, ac ſtudium conciliandæ unionis pertinax contra tergiverſationem, & obſtinationem Pontificum litigantium declarant: qui nihil etiam reliqui fecit, tum verbis cum factis, & potentia potiſſimum ad BENEDICTI emolliendum animum, quem aliquando obſedit ſuo in palatio, ac poſtea ad promiſſam ceſſionem adegit, ſed nihil profecit, antiquis artibus eo fallente fidem. Neque alio fine aliquando ſubtraxit, aliquando redintegravit obedientiam, quam iſto ardenti unionis deſiderio. Sic in epiſtola

ſtola *juſtificativa* ſubtractionum factarum a *Petro* de Luna de via ceſſionis loquens, *Hanc*, inquit (*a*), *proinde viam cum omni ſolemnitate præſentari fecimus ſucceſſori illius, cui progenitor noſter (ſicut diximus) obedientiam præſtiterat. Quam obedientiam ideo maxime poſtmodum ab eodem ſucceſſore pro tempore ſubtraximus: quia non ſatis aperte per viæ ceſſionis compendium videbatur velle pacem reducere, poſtpoſitis diſceptationum interminabilium anfractibus, & ingreſſibilibus aliarum viarum labyrinthis. At ubi viſus eſt nobis ad ſalubriora ſe convertiſſe conſilia rurſus absque omni mutabilitatis culpabilis nota obedivimus eidem: ita tamen animo noſtro gerentes, ſi & quamdiu hæc obedientia noſtra non obſtaret eccleſiaſticæ unioni.* Ingens ſane hæc produnt pacis, & unionis ſtudium. Ut mirum non ſit optimis quibusve principibus placuiſſe tum in Germania, Hiſpania, ipſaque Anglia etiam contra academiæ Oxonienſis vota, viam concilii conſtanter retinentis. Optandum fuiſſet, ut loco Wenceslai in imperio Germanico Sigismundus jam gubernacula tenuiſſet, citior ſpes unionis fuiſſet: cujus gloria demum huic inſigni principi debetur, qui operas ſuas non ſolum in concilio Conſtantienſi, ſed etiam apud

(*a*) Apud Goldast. Monarch. T. II. p. 1506.

plerosque chriſtianos reges ſuſcepto ad eos itinere, & ad ipſum BENEDICTUM XIII. Poſtea ALPHONSUS rex Arragoniæ ob ſimultates cum MARTINO V. revocare ſchiſma eſt molitus regni Siciliæ cauſa, quod dici poteſt pomum eridos, atque maximum offendiculum fuiſſe toto ſchiſmatis tempore, præcipue URBANI VI. & CLEMENTIS VII. temporibus, ſub quibus ſolis uſque Sicilia quinquies obedientiam mutavit: contigitque ut eodem aliquando tempore idem Neapolis adoraretur ut Pontifex in regia, ut antipapa autem a populo diris devoveretur.

Quam deplorandus tunc eccleſiæ ſtatus, & ingentia mala errorum inceſſerint.

IX. Cauſa vero, cur in hoc Siciliarum regno præprimis variaretur obedientia, erat, quod ſit Romanæ ſedi tutelare, habueritque tunc, ut ipſa ſedes Romana, competitores complures, pro Pontificum factionibus inter ſe litigantes, belligerantesque eadem, qua ipſi Pontifices, animorum obſtinatione: cujus emolliendæ ſpes ab humanis conſiliis, viribusque nulla idonea exſpectari poterat, ſolum divinum exorandum Numen, ac pia vota ſupererant. Quæ tunc adhibebantur remedia plus plerumque exaſperabant malum, dum tenaciter quælibet pars juri ſuo intendebat. *Quid ſupereſt agere, o ſorores,* alloquitur BENEVOLENTIAM, & DISCRETIONEM, ZELUS

apud

apud GERSONIUM (a), *dum pars invenit utraque cauſas, tum excuſationis propriæ, tum accuſationis alienæ: qua ratione poteſt hoc fieri, etiamſi tu benevolentia tanto niſu conareris, ut pars excuſanda cenſeretur: ſed neque in tam contrariis judiciis videri poſſunt accidi. Et o ſanctiſſima mater eccleſia, cui ſententiæ interim ceſſura es? quam amplexaberis, quam probabis? Chriſtiana respublica inter has contentiones animoſas, & incertas quid aget? Interea quo ſe vertet, quali poterit regimine gloriari? Utinam veniat Dominus, qui illuminet abſcondita tenebrarum, & poſita in lucem compleat in opere: parum quidem videre eſt, ſi non datur operari. Hoc quidem ſolum relictum videtur: ut, quia cum ignoramus quid agere debeamus humano conſilio, confugiamus ad divinum, niſi vobis aliud, o ſorores, videatur.* Niſi & tibi, GERSON, aliud, nimiumque viſum fuiſſet! Magna claret cancellarius iſte laude, quod myſticam cum ſcholaſtica ſociarit theologiam: utinam plus in hoc ſchiſmatis negotio id feciſſet, plus haud dubie ſuis profuiſſet conſiliis, niſibusque ad pacis, & unionis ſpiritum evangelicum in charitate impetrandum, inſpirandumque, quo ad concordiam diſponerentur dura pectora, ſcinderen- a.

 turque,

(a) In Trilog. ad fin.

turque, non exacerbarentur potius ſecundum contentioſas juris formulas: ad quæ tunc omnia fuerant revocata magis, quam ad humiles, & pacificas evangelii regulas. Ipſe hoc animadvertit GERSONIUS, ſed in aliis potius, quam
2. in ſe (a): *A nonnullis pugnatur velut in tenebris, ita ut amicos non ſecernunt ab hoſtibus, ita quid feriendum, quidve impugnandum ſit, non vident, oculos petere habent: & feriunt tales palpantes velut cæci, & ambulantes in circuitu. Exemplo quoque eorum, qui domum Loth circumvallabant, ipſi tamen acriſia percuſſi, viam neque egrediendi, neque ingrediendi inveniunt. Ipſi rurſus machinas magnas graviſſimarum infamiarum congerunt ex jurium allegatione generali, ſed infirmo vel deficiente veritatis fundamento in eis, quæ facti ſunt nutabundæ redduntur hæ machinæ, imo corruunt, & in eis ædificantes, & egeſtæ eosdem propria mole ſternunt, talis eſt de gigantibus poetica fabula, hodie præterea velut olim in ipſa Babyloniæ turris ædificatione fit in eccleſia confuſio linguarum, ut ſe non intelligant hi, qui vel ædificant, vel ædificare ſe dicunt turrim ejus.* Hic tunc erat rerum ſtatus, juxta temporum, ac ævi illius ſtudia tum ſcholarum, tum fori judicialis: unde tanta ſchi-

(a) Trilog. circ init.

ſchiſmatis pertinacia, qualis antea audita nunquam fuit, non potuit non eſſe cum maximo eccleſiæ damno, atque corruptione eccleſiaſtici ſtatus, quæ quanta fuerit, hujus ipſius cancellarii ſcripta, opera item *Nic.* CLEMANGIS, libro de corrupto eccleſiæ ſtatu, Card. de ALLIACO de emendatione eccleſiæ, denique ipſa eccleſiæ facies, ac geſta quælibet eccleſiaſtica, monumentaque hiſtorica illius ævi omnia abunde docent: Quamvis vero divina providentia id miſericorditer averterit, ne aliquam ſchiſmaticorum partem error aliquis capitalis de fide corrumperet, ſine quo diu ſtare ſchiſmata non poſſe diuturna experientia docuerat; non tamen penitus portæ inferi his etiam inſultibus quaſſare eccleſiam tunc deſtiterunt: dum eccleſiam intus ſcindente ſchiſmate, atque occupante, graſſari ac ſerpere cœperunt ejusmodi errores, qui tum præcipua religionis capita, cum præprimis ſubverſionem totius ſtatus eccleſiaſtici impetebant: primum per WICLEFFUM in Anglia, poſtea per *Jo.* Huss in Bohemia, Pontificibus tunc non ſatis prævalentibus naſcenti malo occurrere, nec reliqua eccleſia vires colligente, inter ſe diviſas. Id quod dici non poteſt, quanto WICLEFFUM gaudio replerit. Tunc enim

tam voce, quam ſcriptis, tum per ſe, cum per diſcipulos iterum publice ubique ſpargebat juſtam hanc eſſe ſupremi Numinis vindictam in Romanam eccleſiam, quod longo tempore injuſtam ſuper alios exercuerit vindictam, totumque mundum ſuis infecerit erroribus: ajebat bellum hoc contra Papam magno eccleſiæ futurum eſſe emolumento, ut anti-chriſti regno deſtructo veri fideles apparerent jam, atque evangelicas revocarent veritates. Succinebat huic fideliter *Jo.* Huss, omnem inceſſens hierarchicum ordinem, ac ſtatum, Papam præſertim alte anti-chriſtum inclamans: a tempore URBANI VI. eſſe jam vivendum ſine Papa dictitabat. Nec minorum eccleſiarum ſchiſmata deerant, conſecuta ex magno illo totam eccleſiam dividente: cujusmodi Leodienſe fuit duobus illic epiſcopis, quorum alter Romano, alter Avenionenſi adhærebat, ſeſeque mutuo armis, ac aliis quibusvis malis inceſſebant: ut nihil dicam de miſerrimo eccleſiæ ſtatu inde neceſſario oriundo, quod quævis contendentium pars aut fautores ſibi conciliare, aut fautoribus jam adhærentibus benefacere ſtudebat, dilapidatione ſpiritualium quorumvis donorum, ac bonorum. Cujus rei labes penitus abſtergi haud potuit.

X. Id

X. Id vero dolendum maxime tunc temporis, tum factis, cum verbis, & opinionibus, obtrectationibus, atque malesanis ejusmodi ad statum omnem ecclesiasticum funditus delendum hæreticorum factionibus, haud parum fomitis esse datum. In utramque partem tunc opinationes ejusmodi excogitabantur, defendebanturque, bono quidem animo plerumque & ardenti zelo ad schisma tollendum, at non secundum scientiam, atque contrario potius effectu, dum fovendo animorum contentiones, partiumque studio ipsum foveretur schisma. Refert horum omnium testis oculatus *Jo.* GERSON (*a*) utrinque paradoxa: Ex una parte: *Papam esse impeccabilem, omnipotentem, & neminem esse in statu salutis, qui alterutri Pontifici non obediret: & proinde non licere cuiquam subtrahere se ab obedientia alterutrius.* Ex altera parte: *Nihil esse curandum in terris de habendo unico Pontifice, modo in cœlis unus crederetur, & coleretur Papa Christus Dominus.* Quod primum spectat, inde ortum duxerunt illæ Pontificum obstinationes, nullo modo ad pacem, & unionem secundum evangelii legis charitatis, & humilitatis flecti se sinentium: hinc illæ GREGORII VO-

Sententiæ adversæ ad fovendum schisma & comunionem legitimæ potestaris destruendam.

a.

(*a*) Serm. IV. Consid. de pace. Consid. I.

ces: *Ego ſum Papa: Ego ſum ſupra jus*: hinc juramentorum, ac promiſſionum tam ſancte factarum relaxationes, ac vilipenſio, & alia innumera. Ex altera parte contemtus capitis, provocationes ad concilium, depoſitiones &c. opinatio poſſe aliquem ſedi eſſe conjunctum apoſtolicæ, quamvis ſedenti non conjungatur, neque, negato Pontifici obſequio, acephalos futuros, cum Chriſtus ſit caput eccleſiæ. Cardinales maxime fimbrias ſuæ poteſtatis explicabant, ſupremam defectu Pontificis ſibi arrogantes poteſtatem, atque non ſolum ejus nomine, ſed & contra eum uſurpantes, ſaltem in concilio etiam acephalo. Hinc illæ propoſitiones Cardinalium obedientiæ BENEDICTI, epiſtola ad eum data: *Si ipſe catholicus eſt, materno juri ſubditur, ut & Chriſtus Matri.* Item: *Cum neuter nos audiat, nihil ſupereſt, niſi ut dicamus eccleſiæ: ſynodum univerſalem eſſe congregandam, cui auctoritatem conſenſus omnium fidelium daret.* GREGORII vero Cardinales ad ſuum, quem legitimum credebant, Pontificem dicere haud dubitabant: *A vobis ſancte Pater, vicario ad Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem:* Item *ad generale concilium, a quo, & in quo ſolent geſta etiam ſummo-*

rum

rum Pontificum, quæcunque pertractari, decerni, & judicari. Quæ aliaque tum alibi, tum apud RAINALDUM ad hæc tempora leges. Fundamentum ejusmodi opinionum hoc esse dicit *Jo.* GERSON Tr. de Schismate: *Christum dedisse claves unitati, non uni:* unde quisque prout erat vel hæretico, vel saltem a schismate non satis alieno animo, extundere poterat, quod libebat, usque eo, ut audacter papatum absolute, & simpliciter tolli posse ab ecclesia assereretur: atque unitas non jam in Pontifice ceu centro reponeretur, sed in ipso Christo, ut ecclesia sine capite sibi sufficiat Christo capite, & sponso corporis mystici, (*a*) ut valeat seipsam in concilium convocare; naturali etiam jure sibi sufficere ad unitatem conservandam, sicut quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ divisioni: cum ex altera parte in adversa omnia iretur, nihil communioni potestatis ecclesiasticæ dando, omnia absoluto dominatui. Unde ipse sibi *Jo.* GERSON a concilio timuit, si de ejusmodi rebus, quæ a partibus ad fidem usque urgebantur, statuendum foret. *Forte,* inquit (*b*), *ita apud aliam dicuntur multæ* b. *as-*

a.

(*a*) Vid. Hist. Conc. œcum. *Ed.* RICH. T. II. P. I. c. 1.

(*b*) Apud GOLDAST. T. II. p. 1474.

assertiones de fide, in quibus esset adversissima sententia inter diversas obedientias, imo & inter multos ejusdem obedientiæ; ut super materia appellationis a Papa. Et super eo quod renuens cedere, aut cessionem facere est schismaticus. Et quod non adhærens subtractioni est suspectus de schismate, vel ecclesiæ adversus, vel in latitudine schismaticorum. Et ita de similibus multis. Ita quidem tunc in negotio pacis omnes occupabantur, sed contrariis, & perversis studiis, ac sententiarum oppositionibus plus irritabant, impediebantque concordiam, quam juvarent. Quod iterum ipsius GERSONII verbis assertum eo:

a. *Ecce autem*, inquit (*a*), *quis est, qui non dicat, qui non clamet: Pax, pax, fiat pax, pacem volo, pacem super omnia concupisco. At vero nonne irridetur DEUS? quoniam simile est, pacem non velle, & illam vel inutiliter, & desidiose velle, vel impossibiliter velle: hoc est mediis ad eam impossibilibus contendere: ut si quæratur unio aliqualiter, qualiter haberi non valet: neque via debellationis, neque via rationis, seu reductionis, neque via anathematizationis seu separationis, neque via condescensionis, aut similiter.* Vah! quot viarum devia, cum una sit concordiæ, & communionis ecclesiasticæ conciliatio.

XI. Est

(*a*) Serm. de Pace coram Papa BENEDICTO.

XI. Eſt hæc communio poteſtatis eccleſiaſticæ totius noſtræ tractationis argumentum, quæ quamdiu non obtinetur, in ſchiſmate remedium, nullum profecit, quantumcunque unionis ſtudium præſeferatur. Quod non ſolum integro hujus ſchiſmatis horrendi decurſu patuit, verum etiam deinceps experientia docuit, dum principia foventur huic communioni poteſtatis eccleſiaſticæ adverſa, eccleſiam inter ſe committi, & periculo ſchiſmatis exponi, atque optima quæque in commodum, & emolumentum eccleſiæ conſilia fruſtrari, decretaque in vanum abire. Videri potuiſſet, ſanctionem cap. *Frequens*, in concilio Conſtantienſi factam, de conciliis ſingulis decenniis congregandis ſalutarem fore; at quia altero illo decreto Seſſ. IV. & V. ad communionem poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ principes, Pontificem, & epiſcopos non ſatis revocari poterat, non ſolum inutilis, ſed etiam impoſſibilis evaſit, ut hinc *Lud.* MAIMBOURG colligi poſſe dicat, conciliis infallibilitatem extra res fidei deeſſe, cum obſervari decretum illud haud potuerit, & etiam obſervatum potius nocuerit. *Car*, ſcribit (*a*), *enfin celle cy ne s'eſt obſervé qu'une ſeule fois, depuis en-*

Qua non ſubſiſtente pacem & tranquillitatem eccleſiaſticam ſalvam haud eſſe experientia docuit.

(*a*) Hiſt. du grand ſchiſ. T. II. L. 6.

environ deux cens ſoiſante ans, encore ne s'en trouvoit-on pas trop bien, par le nouveau ſchiſme, dont on ne peut nier qu'elle ne fut du moins l'occaſion; & puis l'experience a fait voir manifeſtement, qu'il eſt moralement impoſſible de la garder. Innuit ibi ſchiſma in conventu Baſileenſi iterum revocatum, electo contra EUGENIUM IV. FELICE V. Sabaudiæ duce. Qua in re haud aberravit doctiſſimus ſcriptor, quod canonem illum occaſionem ſaltem indirecte dediſſe ſchiſmati illi dicat; ſed cauſam ipſam, ac originem illius mali non tangit. Non defuit animus ſummis Pontificibus decreto illi ſatisfaciendi: neque in hoc quidquam auctoritatis ſuæ remittebant, communionem poteſtatis eccleſiaſticæ exercendo, atque ultro conſpirando ſaluberrimo, tuncque temporis ſumme neceſſario reformationis conſilio: indixit mox MARTINUS V. ſynodum Papiæ congregandam in propinquum annum 1423. poſtea ſuis de cauſis Baſileam denominavit, eoque indixit concilium, mortuo MARTINO, ſucceſſor ejus EUGENIUS IV. concilii locum confirmavit, eoque deſtinavit legatum. At mox error patuit, *Cum pro baſi, ac fundamento omnium rerum agendarum*, ut inquit *Ed.* RICHERIUS (*a*), *IV.*

(*a*) Hiſt. Conc. gen. T. II. P. II. c. 1.

IV. & V. ſeſſionem ſynodi Conſtantienſis de immediata eccleſiæ, & concilii auctoritate ſupra Papam, tamquam certiſſimam, atque indubitatam præfigunt, & auctorant: quippe qui viderent hoc eſſe perneceſſarium ad inſtaurandam eccleſiæ reformationem in capite, & in membris, quam animo conceperant: hoc modo ſecuritati, & ſtabilitati conſulere anniſi: cavendo præterea, ne Papa poſſit ullo modo ſynodum, aut perſonas ſynodo adhærentes alio traducere, cenſuris afficere &c. At adverſo plane ſucceſſu, facile tamen prævifo, ut diſtractis in diverſa conſiliis Papæ, & concilii, hoc eſt diſſoluta communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem, & Epiſcopum, in fumum abirent conatus optimi: inter ſe commiſſis partibus, unaquaque in alteram, & contra alteram jura prætendentibus, atque adverſa molientibus, donec res tandem in apertum ſchiſma deſineret. Dudum Romani Pontifices conſilium agitabant reducendi ad unitatem eccleſiæ Græcos ſchiſmaticos, quibus præter ingentia mala hactenus perpeſſa ruina penitus imminebat. *Niſi iſta ceſſet ſciſſura*, ſunt ipſa nuncii apoſtolici MARTINI V. verba ad imperatorem, & patriarcham Cpolitanum, *omnes nunc tam Tartaris, quam Turcis obedient, & renun-*

renunciabunt evangelio Chriſti, & jam ſervi fient Mahometis, ex carentia prædicatorum pacem, unionem, & ſalutem annunciantium eis. Hæc inter alia in concilio Senenſi, poſtea Baſileam translato, legebantur; at ſimul a Patribus rejiciebatur conſilium iſtud. Quo non obſtante EUGENIUS IV. hanc potiſſimum obtendens cauſam concilium Ferrariam transtulit. Concilii Patres contra alios locos pro excipiendis Græcis deſtinarunt. Vides dilaceratam communionem poteſtatis eccleſiaſticæ, atque diviſum regnum, alia hoc, alia aliud ſtatuente parte. Utraque pars pacem, & unionem intendebat, at non inter ſe ſervabant: Pontifice ſpectante unionem cum Græcis, Patribus unitatem eccleſiæ occidentalis præſertim Germaniæ; ſed eo pertingere haud poterant communione poteſtatis eccleſiaſticæ ſciſſa. Jam concilii Patres ſibi uſurpandam rati quam in Pontificem prætendebant poteſtatem, ſchiſma, clamabant, induxiſſe in eccleſiam EUGENIUM, erigendo conventiculum, ut ipſi vocabant, Ferrarienſe Seſs. 31. Cum ipſi longis paſſibus ad ſchiſma properabant. Sed nec inter ſe conveniebant: alii enim ſimul hæreticum, alii non hæreticum ſolum, ſed etiam relapſum, alii neque hæreticum, neque relapſum Eu-

GE-

GENIUM esse putabant: sicque plures a concilio paulatim sese removebant Moguntiam præprimis, quod EUGENIUM deponendum prævidissent: at qui residui manserunt, non dubitarunt se ecclesiam universalem repræsentare, quamquam abesset ipsum caput non tantum, sed maxima etiam totius corporis pars, hincque minima esset portio, qua possent ad tantos, & tam arduos actus exequendos sufficienter repræsentare ecclesiam universalem. Qua de causa etiam ipse rex Galliarum depositionem EUGENII IV. & electionem FELICIS V. recusavit: nec unquam actus iste tam grandis approbationem est consecutus: quamvis, qui præsidendo eidem sessioni Cardinalis Arelatensis magna sanctitatis fama, imo, multorum relatu, miraculorum etiam gloria illustris post mortem fuerit, dicente apostolo (*a*): *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Hæc est enim, quæ nos non solum DEO conglutinat, sed etiam ecclesiæ corpus conjungit (*b*) *compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri,* a. b.

U

(*a*) 1. Cor. XIII. 2. (*b*) Eph. IV. 16.

bri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.

Nec alia quæcunque conſilia, licet optima, ſalutarem nacta ſunt effectum.

XII. De bona vero præſidis Cardinalis Arelatenſis fide pie eſt præſumendum ob juſtitiæ, ac ſanctitatis inſignes dotes, quibus abreptus in transverſa agi eo facilius potuit, quod de cauſæ bonitate ob optimum finem propoſitum concilio in cauſa fidei, & reformationis, de illius æquitate autem ob magna auctoritate tunc fulcita principia de concilii in Pontificem poteſtate perſuaſus eſſe poterat. Sed rei eventus edocuit, quidquid etiam boni pro eccleſia ſuſciperetur, haud proficere, niſi in communione legitimæ poteſtatis inter ſummos eccleſiæ principes. Qua de cauſa melius res Florentiæ cum Græcis geſtæ ceſſerunt, ubi communio iſta viguit. Antea vero in magno illo ſchiſmate, quæcunque bona conſilia, ac molimina, donec iſta eſſet reſtituta communio, incaſſum abierunt. Eo collimabant, quas unionis vias primum academia Pariſienſis propoſuerat, voluntariæ Pontificum ceſſionis, quo novus eligeretur: aut compromiſſionis factæ in arbitros per ipſos competitores electos: ſeu demum per concilium generale: cui conſilio, quidquid contra moliretur *Petrus* de LUNA adhuc Cardinalis, reliqui ita inhæſerunt,

ut

ut qui nollent unam ex tribus eligere, pro ſchiſmaticis habendos exiſtimarint: ſed experientia conſtitit, his modis omnibus nihil eſſe profectum, quamdiu præ lege gratiæ, & evangelii formulæ fori contentioſi, ac ſcholæ litigioſæ partes diſſidentes diſtraxit ad jus ſuum proſequendum adverſus alteram factionem, aut cum ipſo eccleſiæ corpore, in quo poteſtas a Chriſto ejusmodi non eſt inſtituta, quæ inter ſe de jure contendat, ſupremique litigent judices, *quis eorum videretur eſſe major*. Fuiſſent ergo a theologis præprimis in hac diſceptatione haud quaquam fovendi, ſed ad evangelicum illud revocandi: *Vos autem non ſic*.

Nec ipſa generalia concilia, niſi ad communionem hanc reducta, & redintegrata.

XIII. At quo tempore maxime opus fuiſſet hoc ſenſu eſſe imbutos, qui ad clavum eccleſiæ ſedebant, tunc minime huc induci potuerunt, magno illo occidentis ſchiſmate. Cum enim quisque jura ſua contra alterum tueretur, nec unus alteri faſces ſubmittere vellet, nec etiam Cardinales perſuaderi poſſent, ut poſt mortem alterutrius ab electione ceſſarent, ſemper ſpe turgidi, atque ambitione, facile animum induxerunt, ut ceſſione utriusque novus fieret Pontifex, ſicque inter duos litigantes tertius gauderet. Sæpe præſetulerunt utrinque iſta

ſe conditione ceſſuros, abdicaturosque, ſi æmulus idem faceret, at, ut vidimus, luſus iſte erat. Occurrebat concilii œcumenici auctoritas, qua huc adigi poſſent. Celebratum hujus rei gratia primum Piſanum concilium, in quo pariter BENEDICTUS & GREGORIUS depoſiti ſunt, declarati ſchiſmatici, ac hæretici; fuitque Pariſienſis academiæ ſententia circa *Petrum* de LUNA, hæc intelligi debere de hæreſi etiam proprie dicta. Multis viſum non abs re fuit auctum potius malum electione ALEXANDRI V. veluti tertii capitis: exiſtimavitque *Card.* CAJE-
a. TANUS (*a*), aſſerere Piſanum concilium fuiſſe certum, & ALEXANDRUM V. Pontificem indubitatum eſſe renovare ſchiſma. Attamen haud diffitetur ipſe BEL-
b. LARMINUS (*b*) ferme communem eſſe opinionem, ALEXANDRUM V. & qui ei ſucceſſit, JOANNEM XXIII. fuiſſe veros Pontifices: & ex tribus, qui tum ſe pro Pontificibus gerebant, iſtos maxime ut veros Pontifices cultos. S. tamen ANTONINUS cum aliis paucis pro legitimo eum haud habuit. Card. TURRECREMATA id ſaltem dubium eſſe aſſerit, eoquod a Papa non ſit convocatum. Alii econtra, licet ſtrenui pontificiæ auctoritatis aſſerto-

(*a*) Apol. de auct. Papæ & concilii. c. 11.
(*b*) Lib. de conc. & eccl. c. 8.

ſertores, qui in conciliis etiam communionem poteſtatis eccleſiaſticæ agnoſcunt, atque ea a Papa auctoritatem accipere defendunt, ut quando verus, ac indubitatus eſt, ad eum convocatio, celebratioque concilii ſpectet: tamen largiuntur, quando dubius, aut litigioſus eſt Papa ob plures inter ſe contendentes, atque inſuperabiles difficultates tum juris, cum facti, opus tunc eſſe, ne non ſatis proviſum eccleſiæ in luctuoſis ejusmodi videatur eſſe circumſtantiis, concilium convocare, atque Pontificum dijudicare cauſas. Atque in hunc ſenſum jam olim Card. a TURRECREMATA canonem Conſt. ſeſſ. IV. & V. de ſuperioritate concilii in Papam eſt interpretatus: habetque magnum numerum hodie, qui eum ſequantur, maxime ob ea verba conſequenter poſita: *Super præmiſſis, & ad ea pertinentibus.* Atque EUGENIUS etiam IV. decretum illud ultra circumſtantias concilii Conſtantienſis extendendas eſſe haud eſt ratus. Ubi tamen videtur JOANNES XXIII. habitus fuiſſe pro legitimo Pontifice, qui illud convocavit, præſens ei primum adfuit, quamvis poſtea auffugerit: ubi ſtatim quæſtio mota fuit inter Patres, & doctores, an ipſius diſceſſu ſolutum fuerit concilium, aliis ajentibus, aliis negantibus. Sed

poſtea facto declararunt, quid ſibi in Pontificem, quem legitimum etiam haberent, uſurparent; dum eum depoſuerunt. De qua tamen in eum ſententia dici poteſt, quod demum conſenſu, & auctoritate ſua ratificata vim, ac robur habuerit: cum primum in ea ſententia fuerit, unitatis gratia nihil eſſe recuſandum ad uſque ſpontaneam dignitatis abdicationem, & reipſa etiam ceſſerit. Hac ratione habetur communio poteſtatis eccleſiaſticæ, quam aſſerimus. Quam etiam Patres concilii tam Piſani, quam Conſtantienſis præ oculis habuiſſe videntur: dum ab electis primum Pontificibus illic ALEXANDRO, hic MARTINO quintis confirmationem a ſe decretorum petendam duxerint. In quo id notandum, ALEXANDRUM ita omnia facta in concilio approbaſſe, & ratificaſſe, ut omnem defectum juris, & facti, ſi quis interveniſſet, ſuppleverit, ſi, & in quantum, opus fuerit. MARTINUS vero *omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per præſens concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contraire quoquomodo: ipſaque ſic conciliariter facta approbat, & ratificat & non aliter, nec alio modo.* Quibus verbis ſatis ſuam aſſertum ivit auctoritatem, ut ſe non omni-

mnibus geſtis in concilio teneri oſtenderit, hoc eſt minime inferiorem illo eſſe : ſed ſua demum adſtipulatione, & cum Patribus conſenſione, hoc eſt communione poteſtatis exercita conſtare irrefragabilem decretorum vim, atque concilii vere œcumenici integritatem; agente Spiritu ſancto eo fortius, quo per majores ſæpe conflictationes, ut nunquam ſibi invicem deſint in communicatione ſententiæ in unum idemque conſpirantis : nec Patres in diverſa abeant a Pontificis mente, nec Pontifex Patribus collegium apoſtolorum repræſentantibus obluctetur, aut, dum reipſa eſt congregatum concilium, privatim aliquid definiat ſine concilio, & conſenſu Patrum : qua ratione nec concilium ſupra Papam dici poteſt, ſed cum Papa; nec Papa ſupra concilium, niſi illud convocando, eidem præſidendo, cum aliis definiendo, aut confirmando demum illud.

An expediens, & legitima fuerit via abdicationis Pontificum tempore ſchiſma-

XIV. Quæ ſi probe notentur, apparebit juſtitia, aut injuſtitia præſtita illis, qui jus ad papatum prætendebant, tempore magni ſchiſmatis, dum nulla alia proficiente via, conciliariter de illis abdicandis eſt actum. Primi hanc depoſitionis ſententiam ſubiere GREGORIUS XII. & BENEDICTUS XIII. Sancte uter-

tis, præſertim JOANNIS XXIII.

que promiſerat cum jurejurando, antequam pontificatum aggrederentur, quævis ſe cum honoris diſpendio ſubituros ad unitatem eccleſiæ reſtaurandam, ac deinceps ſæpius firmarant promiſſionem. Ac quidem GREGORIUS XII. annos natus LXX. ſolemniter edixerat, ſe ad unionem eccleſiæ procurandam nihilominus baculo, & pedibus perreptando quocunque gentium ad eam complendam iturum, nec ullis unquam laboribus aut periculis in hac cauſa parciturum. De
a. BENEDICTO XIII. refert *Jo.* GERSON (*a*), ſe pluries ab ejus ore accepiſſe, quod paratus eſſet etiam uſque ad mortem, vel immolationem proprii corporis, ſi ita res exigeret, eccleſiaſticam unionem procurare. At quando ad conſecrandam paci tantum dignitatem perventum, ſponſionis, ac juramenti immemores ad retinendam eam omnibus ſtudiis, pertinacique animo inter ſe colluſerunt. Haud difficulter tunc conventum, eccleſiæ in concilio congregatæ eſſe, eos ad cedendum compellere, aut renitentes deponere, eligendo alium Pontificem, qui ſolus eſſet verum eccleſiæ caput. Sperari haud poterat, ut conjunctis conſiliis ipſi ambo convocarent: quod ſi id unus tantum feciſſet, a parte eccleſiæ una con-

(*a*) Serm. de pace.

concilium non agnitum, nec convocatio rata fuiſſet. Igitur iſto rerum articulo, cum Pontifices dubii eſſent, atque ſua obſtinacia foverent ſchiſmata, contra Sacramentum a ſe datum, ſententiam in eos dicendam exiſtimarunt Piſani Patres, ingens corpus Cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, ac doctorum, non ut in ſchiſmaticos ſolum, ſed etiam hæreticos, deſtruentes, quantum in ſe eſſet, articulum ſymboli: *Credo in unam eccleſiam*: papatuque non tam privantur, quam jam privati declarantur. Aliter ſe cum JOANNE XXIII. res habuit, in concilio Conſtantienſi depoſito, quod cum crederetur continuatio concilii Piſani, debuit GREGORIUM & BENEDICTUM pro antipapis habere, conſequenter JOANNEM XXIII. legitime ALEXANDRO V. in concilio Piſano electo ſuccedentem, pro vero Pontifice agnoſcere. Qua de cauſa viſum tunc eſt rationi conſentaneum multis in ipſo concilio, ut, quemadmodum in aliis ſchiſmatibus fuit factum, JOANNES ceu verus Papa retineretur, pro tali utpote a concilio œcumenico agnitus. At Card. de ALLIACO unacum Gallis contendit, neutiquam in dubium revocato Piſano concilio, agendum eſſe de opportunis ad tollendum ſchiſma remediis, quæ etiam

Papa, quicunque eſſet uſque ad ipſam abdicationem dignitatis amplecti debeat. Atque hæc tunc, nihil obſtantibus Moguntini præſulis, legatorum FRIDERICI Auſtriæ ducis, ac ducis Burgundiæ oppoſitionibus pervicit ſententia, & finaliter omnes declinabant ad viam ceſſionis. *Jo.* GERSON in eo concilio publico ſermone hanc in eam rem propoſitionem habuit: *Concilium generale poteſt eum, quem reputat ſummum Pontificem nedum conſultive inducere, ſed auctoritative compellere ad offerendam viam ceſſionis: vel ad cedendum papatui etiam ſine culpa ſua, ſed non ſine cauſa.*

Qui tamen ultro ſeſe ſubmittendo, & cedendo rem compoſuiſſe videtur.

XV. Nihil horum in JOANNE eſt omiſſum, quin ultra proceſſum. Mox ſeſſ. II. ei de mandato concilii ſchedulam legendam obtulit VITALIS Patr. Antioch. ejusmodi: *Ego Joannes Papa XXIII. propter quietem totius populi chriſtiani profiteor, ſpondeo, promitto, voveo, & juro DEO, & eccleſiæ, & huic ſacro concilio ſponte, & libere dare pacem ipſi eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis papatus, & eam facere, & adimplere cum effectu, juxta deliberationem præſentis concilii &c.* An iſtic concilium communionem poteſtatis exceſſerit in Pontificem pro legitimo agnitum, vel hinc patet, quod his abſterritus JOANNES, cum cerneret ſe pon-

pontificatum non ſolum retinere non poſſe, ſed omnino ex arbitrio concilii ſecum agi, clam aufugerit. Quod ſi fecit, facti pœnitens de data ceſſionis ſpontaneæ fide nihilominus iterum tam, cum adhuc liber eſſet, Schaffhuſii, quam poſtea per fraudem captus, ſe ad ceſſionem promtum exhibuit, legatis ad ſe miſſis conteſtatus (*a*): ſe nullam defenſionem, aut exceptionem facere velle contra proceſſum in ſe factum a ſacro concilio, ſe paratum eſſe ejus determinationi, & ordinationi parere, eamque ratificare. Atque hæc quidem omnia rigidiſſime in eum executa eſt ſynodus: perductus enim Zellam ad lacum Acronianum prope Conſtantiam, ibi ſententia depoſitionis ad eum per quatuor Cardinales eſt delata, non ob hæreſin, cujus ſolum cauſa alias damnandi Pontifices ſunt exiſtimati, ſed ob varia crimina, etiam delicta juventutis. Nihilominus ſeſe ſententiæ fortiter ſubmiſit, tantum per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini obteſtatus, ne ſtatui, ac honori ſuo ultra quam pax, & unitas eccleſiæ poſceret, præjudicaretur. Cæterum diſtincte, & alta voce relegens omnes ſententiæ contra ſe prolatæ articulos, ſingula approbavit, ratificavitque ex certa a.

(*a*) Seſſ. XXIX.

ta ſcientia, quatenus ſtatus præſens ſibi permitteret, jurans nunquam ſe contra ſententiam reclamaturum, nec pontificatum reſumturum; ut ſi rurſus ei offerretur, nunquam ad eum ſuſcipiendum conſenſum ſit præbiturus. Id unum conteſtans, ſi ulterius in eum procederetur, ſe jus ſuum proſecuturum. Hæc vero ab eo omnia bona fide, ac animo eſſe acta declaravit, dum aliquando libertati reſtitutus, etſi amici ſuaderent, nunquam tamen pontificatum reſumere in animum induxit: atque Florentiæ publico in conſeſſu MARTINO V. ad pedes ſponte, ac promte ſe abjiciens, ratificavit rurſus, quodcunque utroque in concilio actum eſſet.

Exemplo dudum antea in Africa florente ea eccleſia ſub S. AUGUSTINO exercito.

XVI. Hoc igitur ſingulari laudi JOANNIS XXIII. tribuendum eſt, quod voluntaria renunciatione pontificiæ dignitatis pacem ac unitatem reddiderit eccleſiæ. Cum dubium non ſit, ſchiſma eum fovere potuiſſe, multis ſuam obedientiam ægre ferentibus, nec approbantibus, quod fuerit ad depoſitionem ejus proceſſum, qui legitimus a concilio fuerit habitus Pontifex: cum BENEDICTUS nutrire valuerit ſchiſma, nec tantis amplius, & tam potentibus patronis, aut tam fortibus præjudiciis roboratus. Qua in re JOANNES opinionem, ſuſpicionesque

que tum concilii, cum imperatoris SIGISMUNDI vicit, cujus, ne quid moliretur, cuſtodiæ eſt traditus, diuque arcte habitus. Occurrit hic, quod in ſimili cauſa, ſed longo maxime numero epiſcoporum accidit, tempore ſchiſmatis Donatiſtarum: quando ſimili cedendi conſilium epiſcopis eſt propoſitum, ubi alter Donatiſta, catholicus alter ejusdem eccleſiæ erat paſtor. *Circumſpicientes*, ſunt verba S. AUGUSTINI (*a*), *omnes fratres, & coepiſcopos noſtros, non facile nobis occurrebant, qui hoc vellent ſuſcipere, & de hac humilitate Domino ſacrificare. Dicebamus, ut fieri ſolet, ille poteſt, ille non poteſt: ille conſentit, ille non tolerat, loquentes magis pro ſuſpicionibus noſtris, qui corda illorum videre minime poteramus. Quando autem ventum eſt, ut hoc palam fieret, in concilio univerſorum tam frequenti, tam pene trecentorum epiſcoporum, ſic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſſent epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere, & non perdere, ſed DEO tutius commendare. Duo vix ibi inventi ſunt, quibus diſpliceret: unus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberius auſus eſt: alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignificavit. Sed poſteaquam illum ſenem liberius* 2.

(*a*) De geſtis cum EMERITO Donat. T. IX. p. 629. n. 6. B. C.

rius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante ſententiam, vultum etiam ille mutavit. Agebatur communis magni numeri epiſcoporum cauſa, qui ſine omni controverſia veri, ac legitimi erant epiſcopi; habebant autem æmulos, incubantes epiſcopatui, Donatiſtas, de quibus ad unitatem eccleſiæ reducendis res erat. Primum conſilium iniebatur, ambos in ſingulis diœceſibus æquo jure epiſcopos relinquendi. *Poterit quippe*, ita epiſcopi univerſi catholici loquuntur litteris reſponſoriis ad edictum
a. MARCELLINI (*a*), *unusquisque noſtrum honoris ſibi ſocio copulato viciſſim ſedere eminentius, ſicut peregrino epiſcopo juxta conſidente collega. Hoc cum alternis baſilicis utrinque conceditur, utroque alterum cum honore mutuo præveniente: quia ubi præceptio charitatis dilataverit corda, poſſeſſio pacis non fit anguſta: ut uno eorum defuncto, deinceps jam ſingulis ſinguli priſtino more ſuccedant.* In eo, quo verſamur, caſu, neſcio an conſilium illud locum habere potuerit, ut ambo Pontifices ſimul ei eccleſiæ in pace præſiderent, quæ eſt centrum unitatis, atque ob ſuam in omnem orbem chriſtianum poteſtatis protenſionem pax, & conſenſio ſperari haud poterat, charitatis præſer-

(*a*) Apud S. AUG. l. c. n. 5. p. 628.

ſertim ſpiritu fere extincto noviſſimis his diebus. At id dolendum eſt, diu non placuiſſe, ut uno defuncto ab alio eligendo ceſſaretur. Quare hic jam neceſſitate ceſſionis via electa eſt, quam epiſcopi illi Africani Spiritu Chriſti ducti ſpontanea humilitate, mutuoque conſenſu arripuerunt: non de jure ſuo litigantes, ſed charitati, & humilitati litantes, ut paucos, qui contra faciendum putarent, obruens omnium fraterna correptio cito pervicerit ad ſententiam mutandam. Hoc poſtea in magno illo ſchiſmate, non unam aliquam eccleſiam, ſed univerſam in ſuo capite, centroque unitatis affligente, præſentes calamitates, annoſæ concertationes, preces, minæ, vis nulla efficere poterat; quando jurium prætenſiones, ſcholarum contentiones, non evangelii leges, mentes occuparant.

XVII. Qua autem olim in allato ex S. AUGUSTINO exemplo theologia uſi ſunt tunc ad permovendos animos: *Quibusve*, ut S. AUGUSTINI (*a*) verbis utar, *modis etiam ipſa exhortatio facta eſt propter illum, qui ait:* Qui ſe humiliat, exaltabitur, *audiamus prout ab Alipio ſunt lecta: quid enim dubitemus Redemtori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre?* *An* Juxta principia evangelica. a.

(*a*) L. c. n. 6. p. 629. D. E.

An vero ille de cælis in humana membra deſcendit, ut membra ejus eſſemus; & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lamientur, de cathedris deſcendere formidamus? Propter nos nihil ſufficientius, quam chriſtiani fideles, & obedientes ſumus: hoc ergo ſemper ſimus. Epiſcopi autem propter chriſtianos populos ordinamur: quod ergo chriſtianis populis ad chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro epiſcopatu faciamus. Hic lectionem interrumpendam duxit S. AUGUSTINUS, atque inſigne hoc principium ulterius urgendum, quod *pro pace Chriſti epiſcopi debent eſſe, aut debent non eſſe*, cum non propriæ ambitioni, ac dignitati, ſed gregis utilitatibus ſint conſtituti. Ira autem eſt interlocutus S. Pater, allocutus epiſcopos Donatiſtas: *Propter nos hoc debemus eſſe, quod vos. Quid debes eſſe tu, cuicunque loquor veſtrum? Chriſtianus, fidelis, obediens; hoc tu propter te, hoc & ego propter me, ſemper eſſe debemus. Quod autem ſum propter te, ſim, ſi tibi prodeſt, non ſim, ſi tibi obeſt. Ecce quod dictum eſt: Attendite.* Optandum fuiſſet, ut in hac Patrum theologia magis, atque in iſto chriſtianæ charitatis jure verſati potius fuiſſent, quibus honor, & dignitas ſua licet dubia, tam chara fuit, ut potius periclitari eccleſiæ unitatem, quam dignitatem ſuam

ſive-

ſiverint, qui ſe ſervos ſervorum DEI ideo ſcribunt, quod omnium ſervire commodis, & utilitatibus præprimis in ſe ſuſcipiant. *Si ſervi utiles ſumus*, legit porro ALIPIUS (*a*), *cur Domini æternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gregem Chriſti depoſita magis collegerit, quam retenta diſperſerit.* Iterum flagrans S. AUGUSTINI zelus, ac charitas cohibere ſe non potuit, ut recitantem ſuis ſiſteret verbis, ad epiſcopos converſo ſermone, non Catholicos, qui his monitis non indigebant ipſi evangelii imbuti ſpiritu, ſed Donatiſtas, quibus nunquam ſimiles eſſe voluiſſent dubii Pontifices: *Fratres mei*, inquit, *ſi Dominum cogitamus, locus iſte altior, ſpecula vinitoris eſt, non faſtigium ſuperbientis. Si, cum volo retinere epiſcopatum meum, diſpergo gregem Chriſti, quomodo eſt damnum gregis, honor paſtoris?* Tunc lectionem proſecutus ALIPIUS: *Nam qua fronte in futuro ſæculo promiſſum a Chriſto ſperabimus honorem, ſi chriſtianam in hoc ſæculo noſter honor impedit unitatem?* Hæc ſi perſuaderi potuiſſent contendentibus Pontificibus tempore magni ſchiſmatis, ut cogerentur, tantis motibus opus haud

8.

(*a*) L. c. n. 7. p. 629. G.

fuiſſet, magno eccleſiæ ſcandalo, ſui vero æterna ignominia ab ipſis Donatiſtis hac in re victi charitate, JOANNEM XXIII. æterna manente gloria, qui, licet præ aliis omnibus majore jure potiretur, omnium tamen ſe maxime morigerum, ac unitatis ſtudioſum præbuit, majorem expertus ſeveritatem, quam aut mereretur, aut res exigebat, ut præter ſpontaneam abdicationem ignominioſa depoſitionis ſententia e throno propelleretur ab illis, qui communionem poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ præſides haud ſatis attendentes, tribunal contra tribunal, ubi opus haud erat, erexerunt; JOANNE XXIII. ſane non ita ſuperiores virtute humilitatis ſe geſſerunt, arrogata juris dicendi auctoritate contra eum, quem alias ſuum legitimum judicem haud negabant, quocum ſaltem participe judicii agendum fuerat, ſi auctoritas œcumenici concilii conſtare debebat.

Patuitque ſolam ſpontaneam ceſſionem unicum fuiſſe ſchiſmatis remedium.

XVIII. Illuſtre eſt, quod in ſchiſmate Novatiano ad S. CYPRIANUM (*a*) confeſſores perſcribunt, ſe utilitatibus eccleſiæ, & paci magis conſulentes, omnibus rebus prætermiſſis, & judicio DEI ſervatis, cum CORNELIO epiſcopo pariter, & cum univerſo clero pacem feciſſe.

(*a*) Inter Epiſt. S. CYPR. L.

feciſſe. Deſeruerunt iſti factionem NOVATIANI, quod exemplum ſi alii omnes fuiſſent ſecuti, pervicacia NOVATIANI minus eccleſiam turbaſſet. Idem de ſchiſmate magno occidentali dicendum, quod niſi ſpontanea ceſſione controvertentium Pontificum deleri non potuit. Credo non ambitione papatus Cardinalem de ALLIACO viam ceſſionis JOANNI XXIII. propoſuiſſe, ac Patribus perſuaſiſſe, ſed ut duo antipapæ facilius allicerentur ad unionem, & pacem dandam eccleſiæ: id cum raro exemplo factum inter tot præcedentia ſchiſmata, eo majore gloria cumulat illos, qui in concilio Conſtantienſi huic ceſſioni ſeſe ſubdiderunt: ipſo *Jo.* GERSONE (*a*) notante, *quod via ceſſionis ſit inefficax, & inſufficiens, ſi alii de alia obedientia nolint eam recipere. Et ideo*, inquit, *mirum videretur, quod ad talem viam, quæ ex hypotheſi poſſibili eſſet inefficax, aliquis obligaretur. Si dicatur, quod ſaltem Papa tenetur ſecundum præparationem animi acceptare iſtam viam; non video qualiter iſtud poſſit negari; quia tenetur etiam acceptare iſto modo mortem.* Hæc ſecundum ea, quæ primum diximus, veriſſime ſe habent, quare iſtam ceſſionis viam Africani Patres communi conſilio tranſigendam ſtatuerunt, popu- a.

(*a*) De Schiſmate Tract.

lorum obſecundantes voluntatibus, nec Donatiſtarum etiam excludentes vota, pellicientesque conſenſum: *Si forte*, a-
2. junt (*a*), *populi chriſtiani ſingulis delectantur epiſcopis, & duorum conſortium inuſitata rerum facie tolerare non poſſunt, utrique de medio diſcedamus, & eccleſiis ſingulis damnata ſchiſmatis cauſa in unitate pacifica conſtitutis, ab his quĩ ſingulis invenientur unitate facta per loca neceſſaria ſinguli conſtituantur epiſcopi.* Quanto magis comiter, imo humiliter agendum fuit cum ſupremo eccleſiæ capite ab illis, qui ceu talem eum reverebantur, qualis in concilio Conſtantienſi fuit JOANNES XXIII. Et ſane probatum fuit illud ab Imperatore SIGISMUNDO Cardinalis S. MARCI conſilium, *ut humiliter, & devote exponatur domino noſtro Joanni vero, & ſummo Pontifici, & gregis dominici paſtori, quatenus dignetur ſua Sanctitas veri, & pii paſtoris ſupra gregem ſuum oculos aperire &c.* Neque etiam concilii interpoſita auctoritas ſine ſpontanea Pontificis conſenſione, ceſſioneque penitus malum tollere potuit: uti experientia docuit poſt concilium Piſanum, dum depoſitis etiam Pontificibus, quamdiu ipſi non renunciarunt, ſemper fuerunt, qui ipſis adhærerent. Poſt concilium

(*a*) Apud S. AUG. T. IX. p. 629. A.

cilium Piſanum multis annis S. *Vincentius* FERRERIUS manſit in obedientia BENEDICTI: habuitque is, cum nunquam cederet, ad mortem uſque factionem ſuam, ut hinc pax, & unitas ecclesiæ penitus reddita dici haud potuerit in concilio Conſtantienſi: at qui ſponte renunciarunt GREGORIUS, & JOANNES (addere his licet illum etiam, qui BENEDICTO ſuccedere eſt compulſus, agente rege Arragoniæ) illi unitatem perfectam eccleſiæ reddiderunt. Nec etiam profecerat tum exemplum, cum decretum jam in concilio Piſano de ſubtrahenda obedientia, quam ſuapte principes, quando volebant, amplectebantur, aut iterum repudiabant: ut adeo conſtet non abſolutam poteſtatem auctoritatemque concilii, ſed ſimplicem ceſſionem optimam ab optimis quibusque durante illo ſchiſmate propoſitam, & hactenus agnitam eſſe viam, ut *Lud.* MAIMBOURG in hiſtoria hujus ſchiſmatis ſæpius profitetur, magisque adhuc ipſo rerum eventu in deſcriptionis ſerie demonſtrat, non a conciliis, ſed a ſpontanea ceſſione demum reſtitutam ex integro eſſe eccleſiæ pacem, Gallisque laudi dat, quod huic ſemper inſtiterint. Id quod liquido ob oculos ponit, atque demonſtrat, quam parum quieti, ac unitati eccleſiæ

proſpectum ſit, etiam ſchiſmatis tempore, & caſu, ſi concilium ſuperius Papa ſtatuatur, atque judicandi poteſtatem ſibi in eum vindicat, dum Pontifices eisque addicti adverſa ſeſe ſemper tutos præſtant ſententia: ut unice doctrina de communione poteſtatis inter ſummos eccleſiæ præſides rem expediat. E re erit unum ſaltem ex MAIMBURGO excerpſiſſe locum præſertim Gallorum gratia, ſi forte ad priora, opportunioraque conſilia exſtimulari queant, ac revocari gloria majorum, rebusque ab illis præ-
a. clare geſtis. *On peut*, inquit (*a*), *voir clairement dans cette hiſtoire, que le plus efficace de tous les moyens qu'on puiſſe employer pour cela, eſt celuy que la France propoſa, & dont elle pourſuivit l'execution avec tant de zele, & de courage, à ſçavoir la voye de la ceſſion, ſans quoy l'on ne peut jamais ſi bien éteindre le ſchiſme, qu'il ne reſte toujours des eſtincelles de ce funeſte embraſement, qui rallument bientoſt un nouveau feu: car enfin le concile de Piſe depoſa Gregoire, & Benoiſt, qui furent declarez Antipapes, pour créer un vray Pape, qui fut Alexandre V. & neanmoins par ce que ces deux Antipapes, qui auparavant eſtoient Papes douteux, ne cederent point*

(*a*) *L.* MAIMBOURG Hiſtoire du grand ſchiſme d'occident. T. II. L. VI.

point, le monde ſe trouva partagé par un plus grand ſchiſme entre trois obediences, & il fallut, qu'on recommançaſt a Conſtance, comme ſi l'on n'eut rien fait a Piſe. Et ſi Jean XXIII. tout deposé, qu'il fut a Conſtance, n'eut renoncé volontairement au Pontificat, comme il fit par un acte heroique, qui doit effacer la memoire de tout ce qu'on luy a reproché, il eſt certain que le ſchiſme eut continué, & que pluſieurs de ſon obedience qui n'approuvoient pas qu'on eut procedé contre luy, encore qu'il s'offriſt a ceder euſſent prétendu, qu'on n'avoit pû le depoſer, & qu'il eſtoit toujours l'unique vray Pape.

CAPUT IX.

Ampliſſima auctoritas a ſummis Pontificibus ſemper exercita; non eodem tamen modo: juxta leges communionis poteſtatis legitimæ.

I.

Summa auctoritas, & a Pontificibus ſemper exer-

Quæ *juris* ſunt circa ſummum Pontificem in communione poteſtatis legitimæ, cujusmodi ſe habeant, dicta declararunt; quæ *facti* ſunt, nunc etiam, breviter id quidem, ſunt perſtringenda.

cita, & ab ecclesia agnita.

da. *Age*, exordiar cum D. BERNARDO (*a*), *indagemus adhuc diligentius qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in ecclesia DEI. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, tu hæres apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt.* Quæ accumulat S. Pater summæ cujusque, & consummatæ potestatis exempla, tam ex veteri, quam novo testamento, per claram, distinctam, & adæquatam notionem obtutui intellectus nostri sistunt plenitudinem illam potestatis, qua ut Christi vicarius, ac PETRI successor Romanus Pontifex, eminet, claves traditas, oves creditas suscepit, eorumque, quorum gerit vices, auctoritate gubernat. *Cujus auctoritatem*, sunt

b. verba AGATHONIS (*b*), *utpote apostolorum omnium principis semper omnis catholica ecclesia, & universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt.* Hoc igitur nomine semper gloriati sunt Romani Pontifices, atque ampliſſimam undequaque

(*a*) De Consid. L. II. c. 8. n. 15.
(*b*) Epist. ad Imperat. pro convocatione VI. Syn.

quaque explicarunt poteſtatem, cui nihil derogari a quoquam cujuscunque eſſet gradus, & dignitatis ſunt paſſi, quam viliter etiam ac ſummiſſe de ſeipſis ſentirent. Epiſtolas, decreta, ac conſulta, quæ quaquaverſum miſerunt, tanta ſtipantes, munientesque auctoritate, ut nihil ſupra eſſe poſſit, non ſuam tamen unquam, ſed PETRI obtenderunt perſonam: non propriam, ſed a divino Numine concreditam tuentes provinciam, gloriam ſuam alteri non dederunt: & ſi quando præripere æmuli tentarent, eam totis viribus, & omnibus conatibus vindicarunt. *Per omnipotentem Dominum rogo*, ſcribit in ejusmodi cauſa ob uſurpatum a Cpolitano patriarcha œcumenici titulum humillimus GREGORIUS M. (*a*), *ne Pietatis veſtræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari, neque tam perverſo vocabulo ullum quoquo modo præbeatis aſſenſum, atque hac in cauſa nequaquam me Pietas veſtra deſpiciat: quia etſi peccata Gregorii tanta ſunt, ut pati talia debeat, Petri tamen apoſtoli peccata nulla ſunt, ut veſtris temporibus pati iſta mereretur. Unde iterum atque iterum per omnipotentem Dominum rogo, ut ſicut parentes priores veſtri principes ſancti Petri apoſtoli gratiam quæſierunt, ita vos quo-* a.

(*a*) Ad Imperatricem. L. IV. Ep. 34.

que & hanc vobis quærere, & conſervare curetis, & propter peccata noſtra, qui ei indigne ſervimus, ejus apud vos honor nullatenus minuatur. Nihil contra obtrectatores Romanorum Pontificum poteſt dici diſſertius, quorum arguunt arrogantiam, ſanctiſſimis etiam non parcentes nominibus INNOCENTII, LEONIS, AGATHONIS &c. ac ſi ultra modum jactent, ambiantque potentiam. Vident in humillima etiam ſui abjectione PETRUM in ſe ſuſpici, & honorari velle GREGORIUM, a perſonis imperatoria dignitate refulgentibus; nec quidquam pati voluiſſe, quod ei derogaretur ſuperbia, & præſumtione antiſtitum Cpolitanorum. Qua in re nihil minus ſtrenuos ſe exhibuerunt GREGORII anteceſſores, a quo tempore fimbrias poteſtatis explicare geſtierunt Cpolitani præſules illi, atque ab obſequio Romanæ ſedis paulatim remittere, præſertim in cauſa, & ſchiſmate Acaciano, quo ſe inter cæteros GELASIUS præprimis acrem jurium ſedis Romanæ eccleſiæ vindicem præbuit. Cauſabantur maxime Græci, quod ab uno Pontifice damnari ACACIUS haud debuerit: contra tum exemplis plurimis, cum ipſo eccleſiaſticæ hierarchiæ ſtatu, ad unum ejus principatu redeunte ſummum Pontificem, cui de omnibus

bus judicandi poteſtas ſuppetit, jus ſuum Pontifex vindicat, auctoritatemque tuetur. Hac eadem Romanæ ſedis auctoritate freti, ſe fortiter ſemper tuebantur, alii quique, cum alias ſatis tuti eſſe non poſſent. Sic PROSPER ſummum virum S. AUGUSTINUM laceſſitum eo nomine ſolum ſecurum præſtat, ac defendit, quod contra Pelagianos ex apoſtolicæ ſedis auctoritate fidei doctrinam depromſerit. Ipſe vero S. AUGUSTINUS in eadem cauſa contra JULIANUM ad orientales, & œcumenicum concilium appellantem occidentis auctoritatem obtendit ceu eam partem orbis, in qua primum apoſtolorum ſuorum PETRUM voluerit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare; ad PETRI ſedem cauſæ robur, totiusque occidentis fidem incorruptam affigendo, cui nimirum eſſet tota eccleſia arctiſſime conſtricta. Quamobrem tanta æmulatio non Catholicorum ſolum, ſed etiam hæreticorum non raro fuit, quo ſibi Romanum Pontificem conciliarent: quod inter alios de Arianis teſtatur S. ATHANASIUS epiſtola ad ſolitarios ſuperos, acherontaque moventibus, ut LIBERIUM in ſuas pertraherent partes.

II. Neque alia hujus rei eſt cauſa, quam quod ob communionem poteſta- Ob ſuſceptam totis

tius eccleſiæ curam, ac regimen.

tis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes, Pontificem & epiſcopos, Romanæ ſedis auctoritas ita ſit cum totius eccleſiæ cauſa nexa, & ſociata, ſicuti cujusque epiſcopi jurisdictio ad ſuam propriam eccleſiam: hoc eſt, quod in omnem ſe eccleſiam protendat. Hoc pulchre explicat S. BERNARDUS (*a*) hiſtoria evangelica huc applicata, quæ apud JOANNEM refertur c. 21. *Sciens*, inquit, *quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, aliis navigio pervenientibus.* Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis pontificii PETRI, per quod non navem unam, ut cæteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum, ſeu mundum omnem ſuſceperit gubernandum. *Mare enim ſæculum eſt, naves eccleſiæ. Inde eſt, quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas, unicum ſe Chriſti vicarium deſignavit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quisque cæterorum habeat ſuam, tibi uni commiſſa eſt graviſſima navis; facta ex omnibus ipſa univerſalis eccleſia, toto orbe diffuſa.* Ita ad EUGENIUM ſuum loquitur mellifluus doctor graviſſimi oneris, atque diffuſiſſimi muneris ſuſcepti eum commonens. Quo egregie declaratur, quod hactenus ſemper

a.

(*a*) De Conſid. L. II. c. 8. n. 16.

per in eccleſia retentum fuit, ut quisque ex collegio epiſcoporum gubernaculis commiſſæ ſibi naviculæ, hoc eſt eccleſiæ particularis, ſe contineat: ſolus PETRI ſucceſſor toti, qua late patet, eccleſiæ dominetur. Et licet patriarchalibus, metropoliticis, archiepiſcopalibusque ſedibus latior ſit commiſſus principatus, iſte tamen etiam ſua ſe quodammodo in navi continet, ut nulli extra patriarchatum, archiepiſcopatum in alieno fundo liceat quidquam ſibi jurisdictionis ac poteſtatis eccleſiaſticæ exercere, conſuetudines aliarum eccleſiarum dijudicando, doctrinas emergentes examinando, ſtatuminando, averruncando, excommunicationes intentando invitis illis, niſi paſſive tantum, ſeſe a communione retinendo, neutiquam vero anathema fulminando: quæ omnia uni competunt, cui ſuprema & univerſalis eſt commiſſa judicandi facultas, atque omnium rerum ſatagendi, ceu omnium curam, & ſollicitudinem adepto, Romano, inquam, Pontifici.

III. Quod ille conſtanter in ſummos quosque patriarchas legitime uſurpavit a primis eccleſiæ temporibus in Alexandrinam, Antiochenam, ipſamque poſtea Cpolitanam. Primis ſtatim temporibus haud recuſavit illius judicium ſubire

Erga ſummos etiam quosvis Patriarchas.

ire Alex. Patr. DIONYSIUS per libellos, atque apologiam legitime ſeſe contra hæreticorum obtrectationes purgans coram Romano Pontifice. Similiter ſummi hujus ſedis antiſtites deinceps, magnus ille comprimis ATHANASIUS, aliique apud hanc ſedem cauſas, & negotia ſua dijudicanda cenſuerunt. Imperator gentilis etiam AURELIANUS ob depoſitum PAULUM *Samoſatenum* oborta lite, ei ſedem tribuendam voluit, cui Romanus Pontifex adjudicaret. De cauſa vero JOANNIS *Antiocheni*, JUVENALIS *Hieroſolymitanus* ad Patres Epheſinos luculentam ſententiam tulit, quam obnoxia ea ſit ſedes Romano Pontifici, *Apud quem*, inquit, *maxime mos eſt ex apoſtolico ordine, & traditione, ut ipſa ſedes Antiochena dirigatur, & apud eum judicetur.* MAXIMUS poſtea ejusdem ſedis antiſtes a concilio Chalced. ob id maxime eſt agnitus, quod eum, non DOMNUM, pro legitimo epiſcopo haberet Romanus Pontifex. De Cpolitanis patriarchis quid dicam? Qui quamdiu ſua in moderatione, atque ſubjectione perſtiterunt, haud ſemel judicium Romani Pontificis interpellarunt, ut vel unicum S. CHRYSOSTOMI exemplum apertiſſime prodit: poſtea vero extra metas egreſſi, quo fuerant procaciores, eo ſæpius

pius ſeveriusque in ſe ſententias Pontificum provocarunt. Cujus rei teſtes ſolos nunc ACACIUM, ANTHIMUM, PHOTIUM provoco. Quorum poſtremos duos depoſuit, atque in eorum locum alios ſubſtituit Romanus P. ANTHIMO MENNAM, PHOTIO S. IGNATIUM. Licet vero poſterioris cauſa ſynodus Cpoli ſit habita, de IGNATIO tamen in ejus vita NICETAS hæc memoranda habet: *Non erat Ignatio auctoritas agendi, quæ vellet. Romanis enim pro eccleſiaſtica antiqua conſuetudine judicandi poteſtatem permittebat.* ACACIUS vero primum ſtudioſe a SIMPLICIO vices ſuas recepit, ut ad ea, quæ in orientis partibus gererentur, intentus ad ſe referret, quæ ad catholicæ veritatis cuſtodiam pertinebant. Cujus muneris cauſa dum PETRUM *Mongum* apud SIMPLICIUM accuſarat, eum tamen poſtea ſecutus, anathema Pontificis in caput ſuum excitavit. Honori ſibi ducebant dudum antea epiſcopi Cpolitani Romani Pontificis vices ſuſcipere. Sed hi pro arbitrio eas committebant, quibus vellent, maxime quando deſides fuerant Cpolitani. Veluti jam S. LEO (*a*) ob hanc cauſam non ANATOLIO Cp. ſed JULIANO Coënſi ſimile demandavit negotium: *Quia*, ſcribit ad JULIANUM hunc, *in*

a.

(*a*) Epiſt. CIV. n. 2.

in epiſcopo Cpolitano catholicus vigor non eſt, nec multum aut pro Sacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſt æſtimatione ſollicitus. Ipſi vero imperatori MARCIANO eum commendans: *Nam,* (*a*) ſcribit, *& de fidei ejus ſinceritate confidens, vicem ipſi meam contra temporis noſtri hæreticos delegavi, atque propter eccleſiarum, pacisque cuſtodiam, ut a comitatu veſtro non abeſſet, exegi. Cujus ſuggeſtiones pro concordia catholicæ unitatis tamquam meas audire dignemini.*

Tum per ſe, cum per vicarios, tam in oriente, quam maxime in occidente.

IV. Huc referunt originem apocriſariorum ſeu reſponſalium, vel, ut poſtea dicti ſunt, nunciorum apoſtolicorum. Quibus conſociandi, quos in occidentis præſertim omnibus partibus vicarios habuit ab antiquiſſimis temporibus Romana ſedes; cujusmodi locum in Illyrico Theſſalonicenſes præſules, in Galliis Arelatenſes, in Hiſpania Hiſpalenſes ſuſtinebant: quamvis primum etiam Arelatenſis Hiſpaniæ provinciis vice Romani Pontificis invigilarit: univerſimque Pontifices non locorum ſemper, ſed etiam perſonarum dignitati hanc amplitudinem pro lubitu aut dederint, aut ademerint, atque illis conceſſam poteſtatem pro nutu, & voluntate aut arctioribus, aut latioribus terminis ſtrinxerint:

(*a*) Id. Ep. CII. n. 3.

xerint : hoc ſemper addito, quemadmodum infinitis epiſtolarum pontificiarum locis legitur, ut non ſolum majores, difficilioresque omnes cauſas, & negotia ad ſe Romam tranſigenda mitterent, ſed etiam quidquid in eccleſiaſticis cauſis ageretur, ad ſedem apoſtolicam referrent. Ordinem ejusmodi, quo in cognitione cauſarum ſe gerere deberent, inter alios HORMISDAS accurate ad SALLUSTIUM *Hiſpalenſem* a ſe vicarium conſtitutum Ep. CLX. n. 2. perſcripſit: *Quoties univerſum poſcit religionis cauſa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant: ut ſi quos eorum ſpecialis negotii pulſat intentio, jurgia inter eos obortа compeſce, diſcuſſa ſacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide, & veteribus conſtitutis provida diſpoſitione præcipies, vel perſonæ noſtræ auctoritate firmabis, totam ad ſcientiam noſtram inſtructæ relationis atteſtatione perveniat.* Ex quibus omnibus liquido demonſtratur, in omnem ſemper eccleſiam curam, ſollicitudinem, ac jurisdictionem ſuam exercuiſſe ſummos Pontifices; maxime autem occidentem adhuc peculiari ratione patriarchatus fuiſſe obſtrictam, ut ab hac ſede multo arctius dependiſſe dici queat, quam ab ipſis orientalibus œcumenicis etiam ſynodis: magno ſane commodo

fuit occidenti, arctiſſime fuiſſe conjunctum Romanæ ſedi, ut jam alibi diximus, ſervata fidei integritate, aut ea cito iterum reſtituta; donec poſtea ab obſervantia hac paulatim ſemper magis ac magis recedere cœperunt apoſtatæ, neque amplius etiam ab inquilinis, & domeſticis eccleſiæ ſummæ ſedi ſemper eſt præſtita avita reverentia. Qua in re illud mihi mirum videtur, ſummis etiam placuiſſe viris diſtinguere inter eccleſiæ membra disjunctim, vel copulative ſumta, quaſi primo non ſecundo modo Pontifici univerſalis competat auctoritas, quæ argutia plane concidit obſervatione noſtra iſta de communione poteſtatis: quatenus nimirum id futurum haud eſt Chriſto juxta ſuas promiſſiones in eccleſia unitatem præſtante, ut aliquando aut caput a reliquo corpore etiam hierarchico haud magis penitus diſſocietur, quam PETRUS a collegio apoſtolorum diſtractus unquam fuit: unde facile largimur, quod tantopere, quando primum hæc
a. diſtinctio oriri cœpit, urſerunt: quod (*a*) nunquam Papa condemnarit, aut excommunicarit, aut depoſuerit reliquum totum eccleſiæ corpus. Hoc enim repugnat

(*a*) Patres Baſileenſes ad calcem ſyn. reſponſ. ſyn. De auctoritate cujuslibet conc. ſupra Papam &c.

gnat divinæ providentiæ ſecundum leges communionis poteſtatis eccleſiaſticæ, ſicut repugnat aliquando inter caput & corpus hanc communicationem reſcindi penitus & deſtrui.

Præcipuis cauſis, & negotiis ex univerſa eccleſia ad hanc ſedem delatis.

V. Quoniam igitur communicatio iſtæc non ſolum in conſociatione pacis, ac unitatis conſiſtit, ſed etiam in communione poteſtatis exercendæ, abſit quam longiſſime, multorum cogitationibus conceptum, & efformatum portentum abſolutæ poteſtatis. Cauſarum ſane eccleſiaſticarum judices ſemper fuerunt epiſcopi, idque habent cum ſummo Pontifice injunctum a Chriſto munus: quod olim præſertim ſtrenue ſunt proſecuti conſociati cum ſuo metropolitano in conciliis epiſcopi, qui *Eccleſiam*, ut verbis utar INNOCENTII I. (*a*), *nutu divino gubernant*. Ut Pontifices in illis etiam terris, ubi ſuos habebant vicarios, non aliter ad eos negotiorum eccleſiaſticorum judicium deferendum putarint, quam ſalvis privilegiis, quæ metropolitanis epiſcopis decrevit antiquitas, ut ſemper inculcarunt vicariis ejuscemodi Pontifices: nec prius cauſas ſuſceperunt, niſi cum intra provincias ſuas finiri nequiviſſent: quatenus deinde, ſi a vicariis decidi haud potuiſſent, demum ad ſe re-

a.

(*a*) Ep. II. n. 5.

ferrentur. Hoc omnes loquuntur Pontificum epiſtolæ ad vicarios ſuos quaquaverſum datæ. Cauſam addit S. Gre-
a. gorius (*a*), *Ut*, inquit, *ſublevati de minimis, in cauſis majoribus occupemur.* Hoc ipſum eſt, quod toties occurrit, cauſas majores eſſe ad Romanum Pontificem deferendas: nimirum, ſi finiri in partibus haud poterant. Atque in hoc pulchre enituit communio poteſtatis eccleſiaſticæ, a veteribus canonibus, & conſuetudine conſtanter inculcata. Sic
b. loquitur Innocentius I. (*b*): *Si majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt epiſcopale judicium referantur.* Utraque conjungit S. Pontifex, jus illud epiſcopis metropolitanis vindicans, quo a Nicæna ſynodo ſunt inſtructi, ut congregatis ejusdem provinciæ epiſcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat relictis his ſacerdotibus, qui in eadem provincia DEI eccleſiam gubernant, ad alias convolare. Ipſa concilii Nicæni cauſa in S. Athanasio declaravit, hæc ita præciſe intelligi haud poſſe, quin ſæpe ad eum, qui totius eccleſiæ ſollicitudinem gerit, recurrendum ſit. Quare appendix quodammodo,

&

(*a*) L. II. Ep. IV.
(*b*) Ep. II. n. 5. ad Victric. Rotom.

& ſtudioſa imitatrix hujus ſynodi Conc. Sardicenſe JULIUM ipſum ad hoc invitat, munerisque ſui commonefacit. *Hoc optimum, & valde congruentiſſimum judicabitur*, ajunt Patres, *ſi ad caput, id eſt ad Petri ſedem de ſingulis quibusque provinciis Domini referant ſacerdotes.* Mirum eſt, potuiſſe cuiquam in mentem venire, hæc non tam pro conſtante lege, quam temporum illorum neceſſitatibus debita proviſione eſſe ſcripta: cum & capitis prærogativa ſemper eadem ſit apud ſedem illam, cauſarumque exigentia eadem quibusque temporibus occurrere poſſit, reveraque occurrerit; ut ſemper apud Romanam ſedem perfugium in anxiis, in dubiis, ac difficilibus pro auctoritate apoſtolica ſolutionem quæſierint, invenerintque eccleſiæ præſules communioni poteſtatis legitimæ concedentes non ſuæ præjudicantes, quod nunc ſolet quandoque timeri. Hæc Africani Patres in ſynodo congregati magnificis ad ipſum Pontificem deprædicant verbis: *Magnum*, inquiunt (*a*), *& indeficientem omnibus chriſtianis fluenta redundantem apud apoſtolicam ſedem conſiſtere fontem, nullus ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluenter univerſum largiſſime irrigantes orbem chriſtianorum, cui etiam in* a.

(*a*) Ep. lecta in ſynodo Later. Sect. 2.

honore beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis DEI rebus, quæ omnino, & ſollicite debent maxime vero, juſteque ab ipſo præſulum examinari vertice apoſtolico, cujus vetuſta ſollicitudo eſt tam mala damnare, quam probare laudanda. Non ergo Pontifices, quod negotiorum eccleſiaſticorum in ſe ſuſcipiant examen, præſumtionis arguendi ſunt: cum contra, ſi huic ſeſe ſubducerent oneri, turpiter ſuo deeſſent officio, quo totius eccleſiæ curam in ſe ſuſceperunt, atque adeo de omnibus rebus, quæ eccleſiam concernunt, ſatagere debent. Quodſi ergo ceu in ſpecula conſtituti quaquaverſum ſe convertant, ex ſui muneris neceſſitate faciunt, non ambitione poteſtatis, dolentes etiam, ſi quæ cauſæ accidant, quæ eccleſiam ita turbent, ut ſupremam ſuam interponi opus ſit auctoritatem. Sic ſa-

a. ne VIGILIUS (*a*): *Si qua vero certamina aut de religione, quod abſit, aut de quolibet negotio, quod ubi pro ſui magnitudine terminari non poſſit totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, relationis ad nos ſeriem deſtinantes, apoſtolicæ ſedi terminanda ſervate.* Et in ſequenti epiſtola: *Si quam vero*, ait, *contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei cauſa evenire*

(*a*) Ep. VI. n. 2.

evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit forte dubietas, & pro ſui magnitudine judicio ſedis apoſtolicæ indigeat: examinata diligentius veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem: quatenus a nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari.

VI. Non igitur alienis ſeſe negotiis ingerunt, ſed concredita munia obeunt Pontifices, quando ad ſe cauſas eccleſiaſticas trahunt, tam illa cohibendo, impediendoque, quæ præter rectum ordinem, & regulas fiunt, quam ſollicite urgendo, quæ ſunt juxta eccleſiæ ordinem. Quod attendens COELESTINUS(*a*) ad epiſcopos provinciæ Viennenſis, & Narbonenſis ſcribit: *Cum hoc ut ab illicitis revocemus aliquos, officii noſtri provocemur inſtinctu, in ſpeculis a DEO conſtituti, ut vigilantiæ noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda ſunt reſecemus; & quæ obſervanda ſunt ſanciamus; circa quamvis longinqua ſpiritalis cura non deficit, ſed ſe per omnia, qua nomen DEI prædicatur, extendit.* Neque hoc aliquid detrahit legitimæ poteſtati, quam per eccleſiam exercendam acceperunt apoſtolorum ſucceſſores epiſcopi: ſi, uti inter ſeipſos communicanda, atque mutuo conſilio, operaque tranſigenda

Quin inde aliquid decederet communioni poteſtatis legitimæ.

a.

(*a*) Ep. IV. n. 1.

da non dubitant negotia, ut rite gerantur, & juſto robore firmentur, in communione itidem cum PETRI ſucceſſore
a. faciant. Quare DAMASUS (*a*) ad epiſtolam ſynodalem Patrum Cpolitanorum reſcribens hoc utitur exordio : *Quod veſtra Charitas debitam ſedi apoſtolicæ reverentiam tribuit, filii honoratiſſimi, vobis ipſis quoque maximo ſane honori eſt. Nam tametſi ſancta eccleſia, in qua ſanctus apoſtolus ſedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ ſuſcepimus, tractanda ſint, nobis primæ partes deferuntur; tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu longe inferiores eſſe: verum ob hanc cauſam omnibus modis laboramus, uti ad gloriam beatitudinis ejus, ſi qua ratione poſſimus, tandem aliquando perveniamus.* Ita omnem ſuam dignitatis gloriam de ſe humillime ſentientes Pontifices redigebant ad D. PETRI prærogativam : inde exempla fervoris, ſtudii & laboris repetebant, quæ ille collegii apoſtolici apex reliquit, ſimul cum hæreditate propriæ poteſtatis, in communione collegii apoſtolici exercendæ, ut tamen primæ eſſent penes eum partes, nec aliquid ſine eo tranſigeretur. Quod ſane nunquam invidit antiquitas PETRI ſucceſſoribus perpetua obſer-

(*a*) Apud RICH. Hiſt. Conc. gen. T. I. c. 5. n. 6.

ſervantia, ac præterea legibus etiam firmans, quod jam divina ordinatione fuerat inſtitutum: in hæc reſpiciebant Pontifices ſtrenue quod ſui muneris eſt proſequentes, tum etiam per orbem præſules ad hanc ſedem cauſas & negotia referentes: *Scientes*, inquit INNOCENTIUS(*a*) ad PP. Africanos, *quid apoſtolicæ ſedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus apoſtolum, debeatur, a quo ipſe epiſcopatus & auctoritas nominis hujus emerſit. Quem ſequentes tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero, quod Patrum inſtituta ſacerdotali officio cuſtodientes non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret, ut tota hujus ſedis auctoritate juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ eccleſiæ (velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones puri laticcs capitis incorrupti manarent) quid præcipere, quos abluere, quos velut cæno immundabili ſordidatos, mundis digna corporibus unda vitare.* Egregie hæc illuſtrant, quæ divina diſpoſitione ſic ſunt ordinata ad conſervationem eccleſiaſti- a.

(*a*) Ep. XXIX. n. 1.

cæ unitatis, revocatis omnibus ad unum aliquem fontem, centrum, radicem, originem, principium, qua ratione antiqui rem explicare ſolebant exemplis ad unitatem conſervandam, conjunctionem, individuumque nexum firmandum aptis: cum poſtea ad ſchema, ſtatumque regiminis politici exigendo ſacrum regimen utrinque diviſionis, uſurpationisque principia ac ſemina ſint jacta: a quibus ipſi principes, ac imperatores chriſtiani pro munere ſuo protectorum, cuſtodumque canonum in eccleſia, ſana in hac re geſſere ſenſa, habuereque conſilia. Ea ipſi non ab exemplo ſui ſtatus, ſed ab antiqua traditione derivavere, dignitati eccleſiæ optime proſpicientes, tuendo auctoritatem præſertim illius, cui onus totius eccleſiaſtici regiminis incumbit, ſummi, inquam, Pontificis. Ita ſane VALENTINIANUS epiſtola ad THEODOSIUM orientis imperatorem rationes init, atque communicat: *Quam*, ſcribit, *nos a noſtris majoribus habemus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſervare: quatenus beatiſſimus Romanæ civitatis epiſcopus, cui principatum ſacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide,*

fide, & *ſacerdotibus judicare*, *domine ſanctiſſime Pater*, & *venerabilis Imperator*. Duo huc potiſſimum ſumma quædam in religione chriſtiana ad Romanum Pontificem pertinere dicuntur, judicare de ſacerdotibus, quibus nimirum cum Pontifice ipſo regimen eccleſiæ eſt commune, ut tamen debita ſubordinatione illius judicio ſubditis tranquillitas, & unitas conſervetur, quæ inter plura capita principatum arrogantia, haud obtineretur. Alterum, cujus arbitrium, judiciumque ad Pontificem pertineat, fides ipſa eſt, caput potiſſimum, & ſi ita videatur, unicum illud, quod extrudere geſtiunt e manibus Pontificis, qui vana formidine abſterrentur, ne quid ſibi privatum præter communionem Sanctorum, poteſtatisque legitimæ, ſumat: quod ſupponitur contra divinæ providentiæ ordinem, contra primævæ inſtitutionis perpetuæq; obſervantiæ rationem, contra ipſa principia utrinque admiſſa: ſecundum quæ ita privatim ſe gerendo, non Pontificem, non eccleſiæ rectorem, non PETRI ſucceſſorem ageret, neque ex cathedra loqueretur.

VII. Quodſi aliquando Pontifices quidam paululum deflexerunt, & ſibi proprium in judicando aliquid uſurparunt, contra propria principia, quibus erant innu- Aut aliquid aliquid uſurpare Pontifices vi-

deri potuerint, quando congruum diſpenſarunt judicium.

innutriti, humani aliquid faciendo; non potuit error ejusmodi, in ipſa animi ſententia inſitus diu ſaltem hærere, multo minus per ſuccedaneum canalem longius ſerpere. Certe is, cui maxime crimini datur ejusmodi privata uſurpatio, LIBERIUS (*a*), qualia animo imbibita haberet alteque defixa ſenſa ad CONSTANTIUM imperatorem ſcripſit ante exilium: *Nunquam mea ſtatuta, ſed apoſtolica ut eſſent ſemper firmata, & cuſtodita, perfeci; ſecutus morem, ordinemque majorum, nihil addi epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui ſum paſſus: & illam fidem ſervans, quæ per ſucceſſionem tantorum epiſcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exſtiterunt, illibatam cuſtodiri ſemper exopto.* Facile diſcerni poteſt, quando tam caſtis litavit votis, quando vero aliquantulum ab illis deflexit, ut tamen diu in deviis detineri haud potuerit, tam ſecuris principiis, tanta animi perſuaſione imbutus, quibus nunquam proprium inventum, ſed per traditionem acceptam fidem a ſucceſſoribus conſervare in animo fixum erat. Quæ ſenſa dum eadem ſimul in ſucceſſoribus PETRI, & apoſtolorum ſummis eccleſiæ principibus Pontifice, & epiſcopis ſemper vigent operante, aſſiſtenteque Spi-

a.

ritu

(*a*) Ep. IV. n. 3.

ritu ſancto integra illibataque, non poterit non eſſe fidei traditio eadem, ac ſibi concors, accepta ab apoſtolis, cuſtodita in ſucceſſione perenni, & quando rei neceſſitas fuit communione poteſtatis per fidei definitiones propoſita, & determinata. Cujus mutuæ communionis nullum habetur inſignius ſpecimen, quam illud a Patribus Chalcedonenſibus in epiſtola ſynodali ad LEONEM P. editum. Qui cum antea ab eo accepiſſent veræ fidei ſenſum, eundemque in ſe reperiſſent, ac ſecum ſtatuiſſent, iterum cum Romano Pontifice communicant, ab eo roborandum. *Rogamus igitur*, concludunt, *& tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. Sic enim & pii principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ Sanctitatis judicium firmaverunt: & Cpolitana ſedes ſuſcipiet præmium, quæ omne ſemper ſtudium vobis ad cauſam pietatis explevit, & ſemetipſum vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit.* Nihil illuſtrius afferri poteſt ad conſonantiæ hujusce mutuam explicationem, quam quæ circa eandem cauſam, eandemque LEONIS epiſtolam Chalcedonenſibus Patribus ceu prototypon conſtituendæ fidei propoſitam, Galli reſcripſerunt ad LEONEM

ex-

exponentes, quæ in ſingulis contigerint, cum in ſynodo collecti epiſtolam illam
a. expenderent. *Multi in ea*, ſcribunt (*a*), *gaudentes pariter, & exultantes recognoverunt fidei ſuæ ſenſum, & ita ſe ſemper ex paterna traditione tenuiſſe, ut veſter apoſtolatus expoſuit, jure lætantur: nonnulli ſollicitiores facti Beatitudinis veſtræ admonitione percepta modis omnibus ſe gratulantur inſtructos, datamque ſibi occaſionem gaudent, qua libere, & fiducialiter, ſuffragante etiam apoſtolicæ ſedis auctoritate eloquantur, ut aſſerat unusquisque, quod credit.* Hæc geſta ſunt, antequam res conciliariter eſſent tractatæ Chalcedone: de illis enim poſtea proprius dicendi erit locus. Hinc autem colligitur formam credendi independenter non ſolum ab orientis, ſed etiam occidentis eccleſiis majori ſaltem parte ſecundum traditionem Romanæ eccleſiæ a LEONE eſſe præſcriptam, quam omnes agnoverunt, receperuntque: alii eandem ac ſuarum eccleſiarum fidem recognoſcentes, alii ſe inſtructos gaudentes, atque fiducia repletos, ut libere jam ac fiducialiter ſuffragante ſedis apoſtolicæ auctoritate eloquantur, & aſſerat unusquisque quod credit: atque hoc obſequium detulerunt Romanæ ſedis ſcitis, non expecta-

ta

(*a*) Ep. Gall. ad LEONEM in act. Conc.

ta ulterius concilii definitione : ſecus ac nunc horum præſulum poſteris videri cœpit, *Qui dum*, utor S. ANSELMI verbis, *dedignantur apoſtolicis decretis, quæ ad robur chriſtianæ religionis Papa facit Petro utique apoſtolo, cujus vice fungitur, imo Chriſto, qui Petro ſuam commendavit eccleſiam, ſe probant eſſe inobedientes.* An vero, quæ PETRI ac Chriſti auctoritate ſtatuunt, dici poſſunt privatæ adinventiones? An non potius eadem fides, quæ eſt a Chriſto, & apoſtolis in eccleſia ſua depoſita PETRI, & apoſtolorum ſucceſſoribus commiſſa diſpenſatur ab eo cumprimis, cujus anteſignanus *os* apoſtolorum fuit dictus. Cujus adeo judicio non proprio, ſed PETRI nomine prolato eſt deferendum, quæcunque ſedes illa aut reprobat aliena a fide, aut approbat conſentanea rectæ fidei : *Sicut dignum & juſtum eſt*, ſunt itidem Gallicanorum præſulum verba ſub LUDOVICO *Pio* in cauſa imaginum c. 19. *Ut præeunte Spiritus ſancti virtute, ille talia correcturus, & ad viam veritatis ſanctiſſimo moderamine reducturus, primus in hominibus arbiter occurrat, quem DEUS omnipotens in ſede apoſtolica collocare dignatus eſt : ut ſolus non ſua abuſione, ſed tantorum apoſtolorum auctoritate univerſalis Papa dicatur, ſcribatur, & ab omnibus habeatur.*

VIII. Huic

Cum ſint ſupremi judices, Deo tamen obnoxii ac communioni poteſtatis eccleſiaſticæ.

VIII. Huic fundamento innititur ſingulare illud Romani Pontificis privilegium ob ſingulares Petri prærogativas, ut quemadmodum epiſcopus quilibet illius eccleſiæ, cui præeſt, judicio haud ſubeſt, ſed majori; ita Romanus Pontifex univerſalis eccleſiæ paſtor, atque omnibus præpoſitus a nemine judicetur, niſi in communione legitimæ poteſtatis, qua ipſe caput ſocium habet collegium epiſcoporum. Procul faceſſant, qui exlegem hoc modo fieri putant Pontificem, tanto pluribus regulis, quo diffuſius ſuſcepit officium, obnoxius, etſi nulli hominum; eo pluribus obſtrictus rationibus DEO reddendis, quo amplioribus eſt curis implicatus; eo gravioribus periculis expoſitus, quo momentoſiora tractat negotia, ſed ſingulari DEI protectione fultus, & cuſtodia præſervatus, qui eccleſiæ ſuæ in ſummo capite, cum quo ſtatus integer periclitaretur, proſpicit, atque promiſſis Petro factis ſtat in ſuis ſucceſſoribus. Secus qui ſunt perſuaſi, Ennodium (*a*) ſuum auſcultent:

8. *Faceſſat, qui in vobis eſt*, inquit ille, *pruritus linguarum. Non nos B. Petrum, ſicut dicitis a Domino cum ſedis privilegiis, vel ſucceſſores ejus peccandi judicamus licentiam*

(*a*) Apolog. ad calcem Syn. IV. Rom. ſub Sym.

tiam ſuſcepiſſe. Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros. Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ a loci deceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat: prænoſcit enim, quid eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quem ipſa moles innititur. Scio, quid cauſentur detractores, hæc in cauſa SYMMACHI dicta ſynodum tantum ſuæ eccleſiæ Romanæ ſcilicet ſpectare: aliud eſſe, quando de Romano Pontifice judicando in œcumenico ſaltem concilio agitur. At, ut diximus, Romanus Pontifex univerſali etiam præeſt eccleſiæ, ordo autem invertitur, ſi præpoſitus judicandus ſubjicitur: prærogativæ Chriſti voce, & promiſſione in PETRO ſuis etiam ſucceſſoribus ſunt factæ, qua divino reſervatur judicio. *Nolite æſtimare*, ait laudatus ENNODIUS (*a*), *eas animas de inquiſitionibus non habere formidinem, quas DEUS præ cæteris ſuo reſervavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore ſubſidium, quando ipſo factorum utitur teſte, quo judice. Dices forſitan, omnium animarum talis erit*

(*a*) L. c.

in illa diſceptatione conditio. Reſpondebo, uni dictum, Tu es PETRUS, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam &c. Et rurſum dicit, *Sanctorum voce Pontificum, dignitatem ſedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi, quidquid fidelium eſt, ubique ſubmittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur.* Quidquid ergo eccleſiæ ſpectatur ſive in orbem diſperſæ, ſive in unum collectæ, eum, cui ſubjicitur, paſtorem ac judicem ſibi ſubjicere judicandum haud poteſt, cum inferiores illius ſint, quotquot ſunt: cum neque unquam concilium œcumenicum repræſentaturi ſint, ſi a capite dividantur, atque in illud inſurgant. Iterum ſolemniter proteſtamur, non nos indemnitatem, impunitatemque fovere, ſed communionem poteſtatis eccleſiaſticæ urgere, quæ caput cum corpore conſociat, non ordinem perturbat. Quando ergo cauſa etiam Pontificis foret, ſecundum leges eccleſiaſticæ communionis, excludendus is a cauſa haud eſſet, nec tribunal contra eum erigendum, aut una eccleſiæ cathedra inter ſe dividenda: nec ut reus provocandus ille, qui nulli ſubjicitur, ſed in pace, charitate, & communione res eſt tranſigenda, ut neutra pars adverſus alteram ſcindatur, ſed unitati conſociandæ, conſonantiæque

que conſervandæ, aut recuperandæ ſit utraque intenta.

IX. Hoc modo ſi coaleat concilium, jam diſtrictione juris in ſummum judicem opus amplius non erit: ſi ſecus fiat, omnino concilium non erit, quam numeroſa etiam ſit paſtorum congregatio. Quid in cauſa fuit, quod Epheſinum concilium non œcumenicum, ſed latrocinium habeatur, niſi quod communio poteſtatis eccleſiaſticæ defuerit, quam Dioscorus conculcando non ſolum Pontificem excluſit, ſed eum etiam contra omnes Patrum regulas, ac eccleſiæ canones inferioris ſedis epiſcopus ſuperiorem excommunicare tentavit: quod poſtea damnationem in ſuum caput conciliavit. *Inſuper & contra ipſum*, ſcribunt Chalcedonenſes Patres ad Leonem, *cui vineæ cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt contra tuam quoque apoſtolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus eccleſiæ unire feſtinas.* Uno verbo hic capitale ſcelus Dioscori perſtringunt Patres, quod nos tota iſta tractatione non leve ſane crimen demonſtramus, ſi ille, *qui corpus eccleſiæ unire feſtinat*, atque cardo, & centrum eſt unitatis eccleſiaſticæ (communione poteſtatis eccleſiæ ſciſſa) ab ipſo corpore, cui debet

Non excluſo Pontifice.

eſſe unitus, quodque unire debet, ſeparatus ſpectatur, cathedra contra cathedram erigitur, isque ipſe, qui omnium judex eſt, omnium judicio ſubjicitur. Quid vero ſi quæ cauſa Romani Pontificis ſe exerat? Non idcirco tranſigi ea non poterit, tantum judicii contentioſi ſtrepitum excludimus, communionem poteſtatis, ordinem charitatis, unitatisque urgemus, ne tribunal contra ſupremum tribunal erigatur. Damnatus utique HONORIUS eſt, ſed an eo in judicio cathedra PETRI, ac tribunal Romanæ eccleſiæ dejectum? An non anticiparunt quodammodo Pontifices Romani judicium? An non legati præſederunt illis in conciliis, ubi HONORIUS damnatus? Repetita ea condemnatio fuit etiam in octava ſynodo: at nullibi dignitas Romanæ ſedis ſpectata adeo fuit contra temerarios ac rebelles PHOTII auſus DIOSCORO deterioris: ibi vero fixa ratio, qua cauſæ Pontificis agendæ C. XXI. inter alia hæc habentur. *Quisquis autem tanta jactantia, & audacia uſus fuerit, ut ſecundum Photium & Dioſcorum in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quasdam contra ſedem Petri apoſtolorum principis moveat, æqualem & eandem quam illi condemnationem recipiat. Si quis vero aliqua ſæculi poteſtate fruens vel potens pellere tentaverit præſa-*

præfatum apoſtolicæ cathedræ Papam, aut aliorum patriarcharum quemquam, anathema ſit. Porro ſi ſynodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum omni convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, ac proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices. Fieri hoc poterit ſecundum leges unitatis, quin communio poteſtatis ſcindatur, ſi nec eccleſia adverſus caput tribunal erigat, nec Pontifex communionem poteſtatis deſpiciat, ſibique abſolutum dominatum arroget, quin ſi opus, corrigibilem ſe præbeat exemplo PETRI. *Sic ſummi Pontifices*, ait *Thomas* de CORSELLIS (*a*) in ſolemni propoſitione præſente rege, & concilio Galliarum, *cum magna humilitate corrigibiles ſe reddebant, quibus exemplum fuit primus apoſtolorum B. Petrus, qui cum defecerat, vere pœnitentem, & maxime corrigibilem ſe reddebat, ut ſucceſſoribus ſuis exemplum daret.* At non idcirco PETRUS non fuerat primus, aut ſuperior, ſed illud magiſtri attendebat, *qui eſt major inter vos, fiat ſicut minor*: ut adeo com-

a.

(*a*) Apud RICH. Hiſt. Conc. gen. T. II. P. II. p. 176.

commovenda haud ſit cõmunio poteſtatis,& tribunal, aut ſuperior erigendus contra Pontificem, qui, PETRI prærogativa, eſt primus. Quod tamen neceſſarium multis eſt viſum: ipſique laudato *Thomæ* de CORSELLIS (*a*): *Nam*, inquit, *ſi Papa eſſet ſuperior in hoc ipſo concilio, concilium non imponeret ei legem ſuper hoc, ſtatuendo, & decernendo, ſed exhortaretur potius, vel ſupplicaret, aut aliquid ejusmodi: ſi enim par in parem non habet imperium, a fortiori nec inferior in ſuperiorem. Non iſta ſe habet in ſchola Chriſti. Vos autem non ſic.* Nemo nunc Pontificem his legibus ſolutum dicat, ut cum PETRO corripi ſe a ſuis haud ſinat, ſi in quopiam ceſpitet, ut ſibi pariter in faciem reſiſti patiatur, quando ex præcepto, aut facto illius ſtatus eccleſiæ turbaretur, aut alia mala ingentia ſequerentur. Non enim mancipiis dominatur, ſed cum collegis epiſcopis in communione poteſtatis filiis liberis. *Et nos non ſervi modo*, inquit *Phil.* DECIUS (*b*), *non ſervi, ſed & filii, & fratres, & liberi ſumus, qua libertate juxta apoſtolum Chriſtus nos liberavit, parisque cum Paulo in hoc jurisdictionis, quia immemor eſſet in obſervatione legalium tertii Hieroſolymitani concilii, in faciem reſtitit.*

a.

b.

X. At

(*a*) L. c. p. 165.
(*b*) Apol. Conc. Piſ.

X. At Paulos deſidero, qui ejusmodi cenſuram ſuſcipiant, non turbam aliquam malevolorum hominum, æmulorum, aut dignitati Romanæ cathedræ invidentium, detrahentiumque: qui quemvis prætextum ſumant in legitimum paſtorem inſurgendi, atque in jus vocandi ſedem illam, tot prærogativis ornatam, tanta divinæ providentiæ ſecuritate vallatam, atque contra inferi portas turam; ut ruinam ſuam quærat, qui in firmiſſimam hanc petram irruat; contra qui ei firmiter adhæreat, nihil ſibi mali timeat. Ita ſane perſuaſa fuit omnis ætas, atque ita ſeſe habent divinæ providentiæ circa eccleſiam ſuam in unitate, & veritate ſervandam conſilia, ita communionis leges in exerenda eccleſiæ poteſtate, ut ſine ſedis iſtius conſcientia & auctoritate nihil tranſigatur. Quare, quod præclare *Petrus* Chrysologus (*a*) monet, ſedulo eſt attendendum: *In omnibus hortamur te, ut his, quæ a B. Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas. Quoniam B. Petrus, qui in propria ſede & vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem: Nos enim pro ſtudio pacis, & fidei extra conſenſum Romanæ civitatis epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus.* En fœdera, ac vin-

Ad cujus judicium omni tempore difficiles ſunt relatæ cauſæ.

2.

Z 4

(*a*) Ep. ad Eutychen, P. I. Conc. Chalced.

vincula pacis, quæ cauſarum omnium tractationem Romanæ cathedræ indiſpenſabiliter adſtringunt. Hæſerat haud dubie CHRYSOLOGI animo, quod Patres antea Epheſini agnoverant, ſibi incumbere obligationis erga Romanam ſedem, illisque, qui eam cathedram tenent, quæ chariſmata, & prærogativæ dignitati illi ſint connexa divini Numinis providentia, quæ haud ſinit, ut deſint ornamenta illis neceſſaria, quos ad clavum eccleſiæ ſuæ deſtinat. *Sanctitatis tuæ*, ita mox initio epiſtolæ COELESTINUM alloquuntur, *zelus, & circa fidei ſinceritatem cura noſtri omnium Salvatori DEO grata, & placita omni admiratione digna exiſtit. Eſt enim hoc vobis adeo magnis in more poſitum, ut in omnibus celebres ſitis, ſtudiaque veſtra eccleſiarum firmamenta conſtituatis. Quia vero neceſſe eſt, ut omnia, quæ conſecuta ſunt, Sanctitati tuæ ſignificentur, non potuimus non ſcribere.* Neceſſitatem agnoſcunt ea ipſi communicandi, quæ in pleno concilio ſint geſta, quam ſibi non ob ſingulares COELESTINI dotes, ſed ob ſedis prærogativam impoſitam eſſe haud dubitabant, ad quam omnium negotiorum eccleſiaſticorum cura pertinere omnibus fuit perſuaſum temporibus; ut ultra accurrerint in cauſis quibusve, atque ad eam retulerint, quotiescunque

diffi-

difficultas aliqua, aut dubietas eſt exorta. Eccleſia Corinthiaca inteſtino ſchiſmate diviſa huc perfugium habuit, atque a PETRI ſucceſſore CLEMENTE eſt inſtructa. DIONYSIUS *Alexand.* in difficillima quæſtione hinc ſolutionem, & conſilium petiit: hæc inter alia ad XISTUM ſcribens: *Vere etenim Frater conſilio tuo opus habeo, & ſententiam tuam expeto, ne forte halluciner.* Quomodo idem apud cognominem DIONYSIUM ceu legitimum judicem ſe purgarit paulo ante vidimus, quod etiam ORIGENES fecit ſcriptis. Perverſiſſimi hæretici VALENTINUS, MARCION, CERDON, COELESTIUS huc confugerunt: in cauſa Quartodecimanorum Aſiatici epiſcopi idem fecerunt: nec rebaptizantes judicem incompetentem cauſati ſunt: ipſe CYPRIANUS STEPHANUM de cauſa Arelatenſis epiſcopi dijudicanda commonuit. Quid dicam de relationibus aliis, ac conſultationibus PAULINI *Antioch.* e. c. ad DAMASUM, HIMERII *Tarraconenſis*, & Gallorum epiſcoporum ad SIRICIUM, JOANNIS *Hieroſol.* ad ANASTASIUM, VICTRICII *Rotomag.* ad INNOCENTIUM, quorum conſultorum capita ad fidem, mores ac diſciplinam ſpectantia ex reſponſis horumce Pontificum patent. Aliorum Pontificum in ſimilibus cauſis partim haben-

tur, partim deſiderantur monumenta, omni, qua late patet, orbe chriſtiano ad commune oraculum ſedis apoſtolicæ in arduis quibusque perplexis, & controverſis rebus recurrente; non, ut alias nonnunquam fieri ſolebat, ob eruditionis cujusdam, & ſapientiæ ſingularis famam, ſed ob generalem perſuaſionem, obligationemque, *Ut quidquid*, ſunt Patrum Africanorum verba in con-
2. cilio congregatorum (*a*), *quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum: ut hujus auctoritate juxta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur; indeque ſumerent cæteræ eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta ſalutis.* Duo ergo in hac ſede maxime ſuſpiciebantur ſcilicet intemeratæ ſemper apoſtolicæ traditionis ſcaturigo, & ſacerdotii apex, idque non ob perſonæ ſedentis meritum, ſed auctoritatem; unde ſæpe contigit, ut quæ conſultationes Romam miſſæ, earum reſponſa ab eorum ſucceſſoribus ſint demum data, illis decedentibus, ad quos factæ

(*a*) Ep. ad MART. inter act. ſyn. Lateran. IV. Secr. 2.

factæ ſunt, quia credebatur quilibet Romanæ eccleſiæ gubernacula regens (*a*) fidei pariter & ſacerdotii habere principatum. a.

XI. Summa poteſtate autem hæc omnia egiſſe Pontifices, atque ad eos quævis referri debuiſſe, inde maxime elucet, quod in aliis judiciis, quantæ etiam auctoritatis fuerint, oppreſſi, huc perfugium habere potuerint appellatione interpoſita, aut etiam evocationi a Pontifice factæ parere omnes debuerint. Hujus rei eximium documentum S. ATHANASII cauſa præbet, in qua una tam relationis, quam evocationis, appellationisque jus comparet. Primum enim ex SOCRATE habetur, EUSEBIUM *Nicomedienſem* (*b*), ſtatim ac ATHANASIUM Alexandria ejecit, ſuffecto in locum ejus GREGORIO, legatum miſiſſe ad JULIUM Romanum epiſcopum, oratum, ut ipſe in cauſa ATHANASII judex eſſe vellet, litisque dijudicationem ad ſe transferret. THEODORETUS (*c*) refert, Euſebianos JULIUM epiſcopum Romanum de criminibus, quæ falſo contra ATHANASIUM confinxerant, per litteras certiorem feciſſe. JULIUM vero eccleſiæ canonem ſecutum, & eos juſſiſſe Romam venire, b. c.

Atque appellationes factæ ab iis, qui iniquis judiciis preſſos ſe exiſtimarunt.

(*a*) CASS. de Incarn. L. III. c. 12.
(*b*) L. II. c. 9. (*c*) L. II. c. 4.

venire; & ATHANASIUM, quo pro ſe in judicio ipſe reſponderet, vocaviſſe. Agebatur cauſa Patriarchæ in oriente præcipui, ac viri maximi: judicem hunc is ceu legitimum ſtudioſe arripuit ATHANASIUS, Romam ipſe profectus, cauſam ſuam dicturus: neque ipſi hæretici quidquam ſunt ob id cauſati, Catholici vero, imprimis ATHANASIUS, non modo cauſam ſuam huc retulerunt, ſed etiam in ſynodo Sardicenſi canone præterea eccleſiaſtico jus illud firmare voluerunt, ne quis amplius detrectandi aut excipiendi locus eſſe poſſet. Quantæ auctoritatis fuerit tum canon, cum concilium iſtud, norunt omnes, quod ceu appendix ſynodi Nicænæ habitum, hujus illiusque canones in unum compilandi occaſionem dedit, ac promiſcue habendi. Unde in ipſa hac appellationum cauſa ſimultates illæ Patres inter Africanos, Romanosque Pontifices ZOSIMUM præſertim de APIARIO presbytero, *Quem tua Sanctitas credens appellaſſe*, ita loquuntur Patres illi epiſtola ad COELESTINUM, *quod probare non potuit, communioni reddiderat: quod minime tamen licuit.* Nimirum presbyteris, minoribusque clericis hoc non permittebatur æque ac epiſcopis, ut ordinariorum ſuorum judicium ſubterfugientes ad

trans-

transmarina confugerent: unde Patres: *Præfato itaque debitæ ſalutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere.* Totam illam diſceptationem ad propoſitum non eſſe recte obſervavit BELLARMINUS (*a*): *Quia*, inquit, *quæſtio de appellationibus ad Romanum Pontificem non eſt de appellationibus epiſcoporum: ſiquidem concilium Sardicenſe, quod epiſcopos voluit poſſe appellare ad Pontificem Can. IV. & VII. idem voluit cauſas presbyterorum, & minorum clericorum terminari apud vicinos epiſcopos.* Quod utique auctoritati Romani Pontificis tantum abeſt, ut aliquid demat, ut potius illius eminentiam declaret, quæ ſe non in minoribus, ſed majoribus tantum, ſummos eccleſiæ præſules attinentibus, occupet cauſis. Id quod tam ſalutare CÆCILIANIS, ATHANASIIS, CHRYSOSTOMIS, FLAVIANIS, THEODORETIS, aliisque fuit vel ad ſuſtinendum, aut recuperandum pontificatus honorem, aut nominis gloriam etiam poſt mortem. 8.

XII. Solas ergo majores cauſas judicio ſuo reſervabant Pontifices. *Si majores cauſæ*, ſcribit S. INNOCENTIUS ad Vi- Olim tamen non ita frequenter ac poſtea

(*a*) De Rom. Pont. L. II. c. 24.

Romanum judicium fuit interpellatum.

VICTOREM Rotomagenſem, *in medium fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale referantur.* Hic fuit curſus univerſalis olim, ut primum in ſynodis provincialibus negotia agitarentur, ſique ſe aut gravatas ſentirent partes, atque de vi, aut injuſtitia conqueri ſe poſſe exiſtimabant, aut rei difficultas tanta eſſet, ut confici nihil poſſet apud inferius tribunal, tunc demum ad Romanæ cathedræ oraculum itum: quod mihi videtur longe maximam dignitatem judiciis Romanæ ſedis conciliaſſe, ejusque in cauſis religionis difficillimis ſummam poteſtatem multo amplius repræſentare, quam cum poſtea poſt multorum ſæculorum decurſum ea in dies crevit appellationum, relationumque ad Romanam ſedem copia vindicata quadam univerſalitate jurisdictionis, appellationibusque Romam in jus ſtabile abeuntibus. Huc præprimis contulerunt decretales ſuppoſititiæ ISIDORI, neſcio an *mercatoris*, an *peccatoris*, an bonæ, aut malæ fidei hominis, certe merces novas obtrudentis, unde juri veteri detractum eſt; quod unice juxta leges charitatis neglecto omni ambitu ex ſcripturis, & canonibus, tum etiam ex æquo, bonoque exigebatur; juri autem

novo

novo ſecundum ſtrepitum forenſem, & proceſſum formularium inſtituto ad normam Juris civilis Juſtinianei plus æquo indultum, atque judicia etiam delegata inſtaurata: *Ex quo*, inquit cl. P. ZALLWEIN (*a*), *factum eſt tandem, ut dum imperatoriam auctoritatem ſibi arrogarent, ad exemplum imperatorum, quos jam in ſæculo tertio in ſuis aulis ob frequentiam cauſarum judicia delegata erexiſſe leges codicis loquuntur, ipſi quoque judicia delegata erigerent, & quam plurimas cauſas, eas maxime, quæ extraordinariam cognitionem, & indaginem expoſcebant, per judices delegatos deciderent. Profecto eo primum tempore judicia delegata cæpiſſe fortiſſimo argumento ſunt innumera dubia ſuper jurisdictione judicum delegatorum tunc mota, quibus elucidandis, ac terminandis tot prodierunt reſcripta Pontificum.* Hæc auctor clariſſimus ex aliorum potius mente referre videtur. Ipſe vero ſuam animi depromens ſententiam, de hac cauſarum ad Romanam ſedem relatione, quod quæſtionem juris attinet, illud plenum, ut fas erat, integrumque Romano Pontifici ſervat; quoad facti quæſtionem diverſitatem quandam agnoſcit, quamvis tanta non ſit, quam a malevolis fingatur ad odium Romano Pontifici, atque invidiam conflan-

(*a*) Jur. can. Diſp. I. c. V. §. 10.

ſtandam: agnoſcit vero medio ævo ita diſponente Numine, & ferentibus rerum ac temporum circumſtantiis, ſeſe longe lateque diffudiſſe, ſuamque univerſalitatem in omnem orbem chriſtianum mirum in modum explicaviſſe. *Salva*, inquit Diſp. laudata ſumme laudandus auctor, *erant antiquitus epiſcopis ſua jura, cauſæ majores in conciliis provincialibus, minores vero ab epiſcopis tanquam arbitris ſine ſtrepitu forenſi decidebantur, rariores erant ad ſedem pontificiam recurſus, ignorabantur tot reſervationes cauſarum majorum, privilegia, & exemtiones, ignotæ erant tot ſcholarum controverſiæ ad ſtabiliendam, ſublimandamque auctoritatem Pontificis ſucceſſive in ſcholis excogitatæ, & magno partium, ſtudio in hanc uſque diem non raro ſine ſcandalo agitari conſuetæ, ignotæ tot, & velut innumeræ epiſtolæ decretales, & reſcripta Pontificum, quibus jam pleni ſunt codices, & collectiones uſque nunc adornatæ.*

Quod communioni poteſtatis legitimæ obfuit.

XIII. Quis non videat hæc omnia ita procedere haudquaquam potuiſſe, quin communio poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem, & epiſcopos læderetur. Cum enim in ſynodis apud quasque provincias cauſæ agerentur, epiſcopi, quæ ſuarum partium erant in regimine eccleſiaſtico, quantum

in

in ipſis erat, curabant, mutuas ſibi operas præſtando, atque in communi de rebus tractando in concilia congregati. Quod poſteaquam fieri fere deſiit, ipſaque forma judiciorum in proceſſus formularios in judiciis eccleſiaſticis ſicut in civilibus degeneravit, dignitati, ac gloriæ jurisdictionis eccleſiaſticæ multum deperiit: quæ primis temporibus erat maxima, ampliſſimaque: ipſis principibus, & laicis in quibusvis cauſis ſtudioſe eam ambientibus, ampliantibusque; eoquod ad pacem, & tranquillitatem ipſam reipublicæ forma judiciorum eccleſiaſticorum in foro epiſcoporum ſecundum leges charitatis, pietatis, & juſtitiæ chriſtianæ eſſet longe ſaluberrima: quam exiſtimationem diminuit & honorem, introducta norma judicii, ac fori contentioſi, tot ſcrupuloſis ſolemnitatibus, exceptionibus, limitationibus, reſtrictionibus, diſputationibus involuta. Quo factum, ut magna pars jurisdictionis etiam ſacræ principes uſurparent ſub ſpecioſo tuitionis, protectionisque titulo, maxima autem, ad tribunal Romanum devolveretur per appellationes, reſervationes, exemtiones, aliosque modos. Jam olim Africani Patres mala, quæ hinc ſequi poterant COELESTINO P. exponunt, atque in hac re collaudant

diſciplinam ab eccleſiæ canonibus ſecundum communionem poteſtatis legitimæ conſtitutam. *Prudentiſſime enim*, inquiunt, *juſtiſſimeque providerunt, quæcunque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda: nec unicuique provinciæ gratiam Spiritus ſancti defecturam, qua æquitas a Chriſti ſacerdotibus, & prudenter videatur, & conſtantiſſime teneatur: maxime quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad concilia ſuæ provinciæ, vel etiam univerſale provocare. Niſi forte quisquam eſt, qui credat unicuilibet poſſe DEUM noſtrum examinis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium ſacerdotibus denegare; aut quo modo ipſum transmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt.* Necdum reſervationes illas numeroſas, atque exemtiones viderant Patres illi, de ſolis appellationibus, evocationibusque loquuntur, quas ratas ſummis Pontificibus non eccleſiaſticæ ſolum, ſed civiles leges etiam tunc fecerant: ſed pro ſua dignitate, auctoritateque plerumque Pontifices adhuc facere putabant, ut non niſi in majoribus cauſis illo ſuo uterentur jure. Nec abs re: facit enim ad amplitudinem judicis in ſummis

ſummis tantum judicium, & auctoritatem ſuam interponere rebus, cum nec de minimis curet prætor. Neque inepte mihi hac in re exiſtimaſſe HINCMARUS (*a*) videtur, ita in cauſa ROTHADI ad NICOLAUM P. ſcribens: *Abſit enim a nobis, ut privilegium primæ, & ſummæ ſedis ſanctæ R. E. Pontificis pro ſic parvo pendamus, ut controverſias, & jurgia tam ſuperioris, quam etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni, & cæteri ſacrorum conciliorum canones, & Innocentii, atque aliorum ſanctorum Romanæ ſedis Pontificum decreta in ſynodis provincialibus a metropolitanis præcipiunt terminari, ad veſtram ſummam auctoritatem fatigandam ducamus.* 2.

XIV. Et ſane mirum videri queat ad explicandam poteſtatem tantum ſibi negotii faceſſere mortales, ut quam poſſunt maximam negotiorum ſarcinam humeris ſuis imponi non ferant ſolum, ſed & ambiant, in negotio maxime ſalutis ſumme arduo, & ſtrictiſſimis rationibus DEO reddendis obnoxio. Cumque quivis de ſe ſolo judici ſupremo reſpondere merito timeat, quis ultro ſibi immenſum cauſarum onus ſuſcipiat, quoad innumeros in univerſa eccleſia diſperſos populos: cum unus aliquis cœtus, ſi in

Nec auctoritati legitimæ ſummorum Pontificum proficit.

(*a*) Apud FLODOARDUM Lib. III. Hiſt. Rom. c. 13.

via ſalutis rite ſit dirigendus, tot curis, & ſollicitudinibus conturbetur. Neque vero ſinunt locorum diſtantia, morum diverſitas, aliæque innumeræ circumſtantiæ exacte omnia diſquirere, ut jam ſupra ex Patribus Africanis intelleximus, a atque S. BERNARDUS (*a*) in hoc EUGENIUM P. collaudat: *Quod*, inquit, *appellationum negato ſuffragio, imo ſuffugio, multa remittis negotia ad cognoſcentes, vel qui noſcere citius poſſint: ubi enim certior, aut facilior notio, ibi deciſio tutior, expeditiorque eſſe poſſit.* Adeundus eſt eo in loco S. Pater, legendum imprimis caput octavum & nonum ejusdem libri tertii, tum etiam poſteriora libri quarti capita: ubi iraſcitur nonnullis exemti ſui ordinis Ciſtercienſis abbatibus, quod tantopere exemtiones expetant. Quibus ſane omnibus communio poteſtatis eccleſiaſticæ diminuta eſt, atque cauſa cavillandi multis data, quaſi juxta ſchema, ac typhum ſæcularem monarchia quædam abſoluta regimen eccleſiæ invaſerit. Certe id evenit, ut alia longe ſit juris dicundi facies, quam fuerit olim, atque murationis iſtius cauſa in Pontifices potiſſimum redundet, qui magnam partem cauſarum aut ad ſe traxerint, aut a delegatis ſaltem in partibus judicibus ſuo

(*a*) L. III. c. 6. de Conſid.

ſuo nomine curent tranſigi. *Tanquam auctores hujus novitatis,* (*a*) malim alienis, quam meis verbis uti, *merito ſuſpiciendi ſunt Greg. VII. aliique Pontifices ſequentes, qui hoc ipſo, quod ſuam jurisdictionem nimium ampliarint, varias cauſas majores ſibi reſervarint, capitulis, & monaſteriis varias exemtiones, ac privilegia liberaliſſime conceſſerint, id effecere, ut plurimæ cauſæ ex omnibus mundi partibus Romam devolverentur, quibus dijudicandis, ac decidendis cum jam Pontifices non ſufficerent, & quam plurimas ob locorum diſtantias Romæ decidi difficillimum, aut omnino impoſſibile eſſet, neceſſe erat: ut quam plurimæ cauſæ delegari, & hoc modo delegationes fieri frequentiſſimæ debuerint. Accedit, quod cum eo tempore jus civile publice in ſcholis doceri cæptum ſit, Pontifices judicialia eccleſiaſtica juxta normam Juris Juſtinianei inſtituere cæperint.* Videatur S. BERNARDUS de Conſiderat. L. I. cap. ult. 2.

XV. Hæc potiſſimum ſunt, quæ poſterioribus temporibus communionem poteſtatis eccleſiaſticæ reſtringere ſunt viſa, majorque quam olim portio cauſarum, & negotiorum ſoli Romano Pontifici ceſſit. Gloriantur tamen Galli, atque

Gallicana eccleſia hic libertates ſuas vendicat.

(*a*) P. Greg. ZALLWEIN Jus can. in genere Diſp. I. c. 5. §. 10.

que opponunt libertates ſuas: ſic enim vocare amant, non privilegia, ut quæ non in venia, & indulgentia, ſed ipſo antiquo jure nitantur. Cujusmodi antiquis τὰ πρεσβεῖα ſunt dicta: quæ vox a noſtris ſolet reddi per vocabulum *privilegium*, ſed plenam, adæquatamque ejus notionem non exhaurit. Quid Galli ſuis libertatibus, quoad eas Pontifici opponunt, intendant, quidve timeant, *Petr.* PITHOEUS inter alios in breviario Libert. Gall. c. 5. prodit: *Etſi*, ait, *Pontifex ſupremus habeatur in rebus ſpiritualibus, in Gallia tamen locum non habet potentia infinita, & abſoluta; ſed circumſcribitur canonibus, & regulis antiquorum conciliorum in hoc regno receptis. Et in eo maxime conſiſtit libertas Gallicanæ eccleſiæ.* Iſtis terminis regulisque ſi contineant ſe Gallicanæ libertates, nemo facile iis indignabitur. At multi inique ferunt libertatem eccleſiæ Gallicanæ contra Romanum Pontificem ſolere allegari, *quaſi ſupremus eccleſiæ paſtor, & pater amantiſſimus tyranni loco a chriſtianiſſima gente haberetur*, ut ANONYMUS (*a*) quidam Tr. de Libertatibus dicit. Mirari autem quivis deſinet, ſi quis veram originem, & progreſſus libertatum eccleſiæ Gallicanæ ex eodem auctore ad lugendum illud ſchiſma

(*a*) L. I. c. I. n. 1. 2.

ſma poſt GREGORIUM XI. referat: ubi colliſio illa inter ſummos eccleſiæ præſides magnis contentionibus graſſari cœpit; dum ex una parte abſoluta poteſtas Pontifici, ex altera contra Pontificem collegio epiſcoporum eſt arrogata, ſusque deque habita communione illa, qua in regimine eccleſiæ, atque in exercenda legitima poteſtate uti debent ſummi eccleſiæ principes.

Sed nimiis ſuſpicionibus abſoluti dominii pontificii agitantur.

XVI. Niſi principiis Richerianis nimium abducatur illuſt. BOSSUET (*a*), ab his non multum abludit, dum radicem libertatis eccleſiaſticæ eo maxime conſtare vult, quod in ipſa catholica eccleſia vigeat ſuprema illa vis, & indeclinabilis, qua ipſa catholica eccleſia gubernetur. At animadvertere debuiſſet, hanc libertatem Gallis neutiquam eſſe peculiarem, ſed communem collegio epiſcoporum in communione cum Pontifice eccleſiæ gubernacula tenenti. Paſſim Galli abſolutum tribunal Pontifici opponunt; neque BOSSUETO penitus probatur illuſt. *Petri* de MARCA, aliorumque æquiorum ſententia, qui concordiam moliuntur, haud exiſtimantes ad naturam libertatum Gallicanarum pertinere an ſuperior, an inferior conciliis ſit Pontifex,

(*a*) Defenſ. Declar. cler. Gall. P. II. L. XI. c. 15.

tifex, an infallibilis, nec ne? At negari non poteſt, in hac materia præjudicia potiſſimum his ex controverſiis pendere, ne ſi ſummo Pontifici prærogativæ illæ tribuerentur, omnia decreta Pontificum ſine diſcrimine forent ſuſcipienda, poſſentque Pontifices immediatam in eccleſia univerſa auctoritatem exercere, quin epiſcopi aliquid contra mutire auderent; canonibus quibusque antiquis derogare, atque penitus e medio tollere, conciliis ipſis œcumenicis, eorumque ſtatutis abnuntiare, ut nec via ac ratio expedita foret, quo auſis Pontificum obſiſti poſſet. Omnes vident, hæc omnia ſiniſtris opinionibus de abſoluta quadam Pontificis monarchia inſiſtere.

Cum ſecundum leges communionis legitimæ poteſtatis æque ſint reliquis paſtoribus conditiones.

XVII. Quibus exploſis, facile concordia ineatur inter ſummos eccleſiæ principes, Pontificem & epiſcopos, ſtabilita communione poteſtatis legitimæ. Quod enim res fidei attinet peculiares aliquæ libertates fingi non poſſunt ſecundum leges communionis hujusce, qua collegium epiſcoporum ſuccedens collegio apoſtolorum nunquam prærogativis ſuis excidet, quibus eccleſiam in vera fide paſcendam accepit, nec ſoli Gallicani præſules ſingularem firmitatem habent, ſeſe, ſi quid forte a Romano Pontifice adverſum ſanæ fidei proponeretur, oppo-

nendi:

nendi: nec ejusmodi oppoſitionis in rebus fidei exemplum afferre poſſunt Galli, quod nimirum eccleſia univerſalis propoſitas ſibi a Romano Pontifice in quæſtionibus fidei definitiones non acceptarit: quod quando eſſet factum, unitas neceſſario debuiſſet diſſipari, nec illius centrum in eccleſia Romana ſtatui, ceu in cathedra peſtilentiæ: periiſſetque communio poteſtatis eccleſiaſticæ, ſecundum quam aliis quibuscunque ex collegio epiſcoporum cum Pontifice jus ac poteſtas eſt de cauſis religionis judicandi, juxta leges communionis, neutiquam ſecundum oppoſitionem cathedræ contra cathedram, atque judicio contradictionis: cum fides una ſibique ſemper ſimilis in eccleſia ſit, neque circa eam major Gallis libertas, quam reliquarum gentium chriſtianis præſulibus. Circa canones vero ſartos integrosque conſervandos ſeſe quam maxime exerere debet Pontificum cura, & vigilantia. Qui ſunt juris divini, aut etiam naturalis, illi nulla vi, nulla poteſtate ſive Pontificis, ſive collegii epiſcoporum, ſive conciliorum ſolvi poſſunt, eodemque vigore perennant, ac dogmata fidei circa myſteria. Poteſtas enim in ædificationem data eſt, cuicunque data, non in deſtructionem. Nec in illis canoni-

bus, qui diſciplinam ſpectant, quatenus varia eſſe poteſt, & legibus, ſanctionibusque eccleſiaſticis conſtat, abſoluta poteſtas in eccleſia eſt uſurpanda. Quod ſibi de Romanis Pontificibus perſuadent, qui contra illius potentiam tanto conatu libertates ſuas vendicant.

Qua communione ſalva ceſſant contentiones de iſtiusmodi præeminentia poteſtatis.

XVIII. Optimum ergo fuerit, communionem poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ antiſtites urgere ſecundum leges unitatis, ac charitatis, principiaque evangelii, quibus inhibitum eſt a Chriſto apoſtolis inter ſe contendentibus, quis eorum videretur eſſe major, ne more principum ſæculi dominatum exerceant, invadant, æmulentur, uſurpent, pars alteri decerpere geſtiat, quod legitimum, aut negare; ſed mutuo ſe juvent, atque opitulentur in communione legitima. Quando agitur de variabilis diſciplinæ legibus; opus haud eſt, ut tanta mole litigantes partes tribunal contra tribunal erigant, diſceptent quis major aut ſuperior ſit, qui abſoluta poteſtate præſcribere poſſit, ac recuſare, atque ſeſe tota contentione opponere: conſervetur genius diſciplinæ ſponte ſua verſatilis, nec abſolute præſcribatur, nec præfracte obſiſtatur, ſed mutua charitate, idem ſapiant, ut non ſint ſchiſmata in eccleſia. Pontifex ſecundum pleni-

plenitudinem poteſtatis jus ſuum legitimum in totam eccleſiam habet, & exercet, idque haud recuſant Galli. Multa capita recenſuit ill. PETITIDIER (*a*), quibus Pontifex in Galliis exerceret in particulares quasque eccleſias immediatam jurisdictionem, qua haud magis jurisdictio epiſcoporum deſtruatur, quam deſtruat inferiorum paſtorum jurisdictio illam, quam epiſcopi exercent. Eſtque hæc ipſa communio legitimæ poteſtatis, qua ſicuti in officiis chriſtianis, ita etiam in munere paſtorali alter alterius onera portet. Aliæ etiam gentes non promiſcue ſuſcipiunt, quæ Romæ conſtituuntur: ſed forte majori charitate, & humilitate utuntur, uti faciunt Hiſpani epiſcopi ſupplicationibus ſuis ad ſanctiſſimum. Antiqui etiam Galli ſimplici non receptione decretorum, quæ contra conſuetudines, & canones receptos erant, idem præſtabant; at non tanta animoſitate, quam poſtquam oppoſitionis, præſcriptionisque via eſt arrepta, minime neceſſaria; quæ eodem modo etiam contra ipſa concilia uſurpatur, a quibus non omnia æque recipiunt Galli. 2.

XIX. Quod

(*a*) Diſſ. Num infallibilitas R. P. eccl. Gall. libertates deſtruat?

Quam Galli etiam in concilia exercent.

XIX. Quod vetera concilia attinet, maxime quatuor prima illa, quæ antiquitas ceu quatuor evangelia ſuſcepit, ut laudatus illuſt. præſul demonſtrat, multos canones ex illis non obſervant, nec habent ullum peculiarem, quem præ reliqua eccleſia ex illis obſervent, imo plerisque eorum contraveniunt: plerique articuli harum libertatum nullam ad iſtos canones relationem habent: in aliis canonibus, quorum obſervantia viget, Galli idque frequentius quam alibi gentium, diſpenſationes a Romana ſede ſollicitant. Ex poſterioribus autem conciliis, quæ libent, recipiunt, alia rejiciunt, haud majore cum religione, quam in pontificiis decretis faciunt: uti quidem oſtenderunt non ſolum in conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi, quibus illi tantam auctoritatem attribuunt, ſed etiam Tridentino, cui omnis eccleſia catholica æqualiter aſſurgit. Et hactenus tamen necdum promulgatio hujus concilii obtineri in Gallia potuit. Scio contra cleri Gallicani vota hoc fieri; at nec ignoro multis cenſeri hanc libertatem eccleſiaſticam, eſſe ſervitutem regiam. Qua de re quidquid ſit, id patet contra ſumma etiam eccleſiæ judicia, conciliorum, inquam, œcumenicorum, quorum auctoritatem tantopere efferre ſe jactant, a

Gallis

Gallis æque libertates, & exceptiones obtendi. Neque abnuo in diſciplinæ capitibus id poſſe fieri ſine temeritatis nota, quomodo etiam S. AUGUSTINUS concilia priora a poſterioribus emendari poſſe edixit: id contendo, ſi, quod concilia ſpectat, ſine ſtrepitu judiciali, atque contentionibus forenſibus, communione poteſtatis legitimæ integra, neque laceſſita auctoritate conciliorum fit, ut non omnia eorum recipiantur conſerventurque ſtatuta, ſervata reverentia, honore, & ſubjectione debita; eandem æquitatem, & juſtitiam ſummo Pontifici eſſe deferendam; ut ſi ejus etiam quandoque quoad diſciplinam exterioremque eccleſiæ ſtatum, recuſentur decreta, fiat non abjecta ſummiſſione, reverentiaque: ex adverſo autem communio poteſtatis locum inveniat contra abſolutum dominatum, quo reges gentium dominantur: quomodo a ſuis fieri haud voluit Chriſtus, ſed præcepit, *qui major eſt, fiat ſicut minor.* Dum Pontifices vivi ſemper perſiſtunt judices, poteſt exceſſus committi; contra concilia, poſtquam diſſoluta ſemel ſunt, ſua decreta, & ſtatuta urgere amplius non poſſunt. At hoc ipſum neceſſitatem perennis alicujus tribunalis in una aliqua ſede involvit: non utique ad ea ſubruenda, quæ

quæ a conciliis ſunt ſtatuta, ſed ad ea ſarta tectaque conſervanda pro rerum & temporum circumſtantiis.

CAPUT X.

Jugis ac conſtans experientia docuit, in rebus perplexis, litibusque pendentibus ſtetiſſe a Romana ſede, eique centro unitatis adhæſiſſe ſecundum leges communionis poteſtatis legitimæ unice tutum fuiſſe, & expediens.

I.

In rebus etiam adiaphoris pacem, & communionem legitimæ poteſtatis læſiſſe piaculum.

Equidem dubium non eſt, quin unio, communioque eccleſiæ in eo potiſſimum ceu cardine verteretur, ut in una eademque fidei, atque omnium ſanctorum officiorum conſociatione, & communitate, omnis eccleſia catholica ſine ulla diviſione, aut diſtractione ſibi mutuo necteretur; tamen in adiaphoris cuique eccleſiæ ſuus peculiaris mos, ritus, & conſuetudines relinquebantur, quibus ſe libenti animo, ac pacis ſtudio accommodarent, & acquieſcerent, qui vel diverſa in ſuis eccleſiis ſectabantur, vel ad peregrinam eccleſiam quacunque occaſione divertebant: quatenus hac conformatione cum eccleſia catholica omnibus

in

in locis ſine ulla exceptione communio mutua eſſet. Qui in hac re moroſiores, difficilioresque ſe præbebant, acriter a S. AUGUSTINO (*a*) perſtringuntur tanquam pacis, & unitatis turbatores: *Senſi ſæpe*, ſcribit ad CASULANUM, *dolens, & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque ſcripturæ ſanctæ auctoritate, neque univerſalis eccleſiæ traditione, neque corrigendæ vitæ utilitate ad certum poſſunt terminum pervenire (tantum quia ſubeſt qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem ſuam quo remotiorem a ſuis eo doctiorem factam putat) tam litigioſas excitant quæſtiones, ut, niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.* a. Poterat tamen ipſa animi obſtinatio in rebus etiam aliunde indifferentibus æque ac magnis magnum crimen evadere, ſi eccleſiæ pax, & unitas turbaretur, atque præſidi eccleſiæ, refragario ac rebelli ſpiritu ſubjectio, & obſequium negaretur. *Hæc ſunt*, inquit S. CYPRIANUS (*b*), *initia hæreticorum, & ortus, atque conatus ſchiſmaticorum male cogi-* b.

(*a*) Ep. LXXXVI.
(*b*) Ep. LV. al. 3. ad ROGAT.

cogitantium, ut ſibi placeant, & præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de eccleſia receditur, ſic altare profanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti, & ordinationem, atque unitatem DEI rebellatur. Loquitur eo loci S. Martyr de NOVATIANI cauſa, quæ primum diſciplinæ ſolum caput ſpectabat; ſed quia cum denegatione obedientiæ Pontifici præſtandæ conjungebatur, inexpiabile ſcelus evaſit, ob unitatis, & charitatis violationem, altero præſertim conſtituto capite. Nec martyrium ipſum par exiſtimabat S. Martyr huic ſceleri expiando, niſi ad unitatem reditus fuiſſet
a. factus. *Pacem*, inquit (*a*), *nobis Chriſtus dedit: concordes, atque unanimes eſſe præcepit: dilectionis, & charitatis fœdera incorrupta, atque inviolata ſervari mandavit: exhibere ſe non poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc, & conteſtatur Paulus apoſtolus dicens:* Etſi habuero fidem &c. Nunquam, *inquit*, excidit charitas: *hæc enim ſemper in regno erit: hæc in æternum fraternitatis ſibi cohærentis unitate durabit. Ad regnum cælorum non poteſt pervenire diſcordia, nec præmium Chriſti, qui dixit:* Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis vos invicem, quemadmodum dilexi vos. *Pertinere non*

(*a*) S. CYPR. de unit. eccl.

non poterit ad Chriſtum, qui dilectiones Chriſti perfida diſſenſione violavit. Qui charitatem non habet, DEUM non habet, Joannis beati apoſtoli vox eſt: DEUS, *inquit*, dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in DEO manet, & DEUS in illo manet. *Cum DEO manere non poſſunt, qui eſſe in eccleſia DEI unanimes noluerunt.* Qui ergo in diaphoris etiam rebus ſeſe opponendo legitimæ poteſtati, atque pacem, & charitatem violando altare contra altare erexiſſet, diro ſcelere, atque anathemate conſtrictus tenebatur. Hæ fuerunt ſacerrimæ communionis leges in legitima eccleſiaſtica poteſtate.

In quibusvis autem cauſis conſpirare atque conjungi cum Romana ſede unice ſalutare.

II. Ea vero communio, ut hoc denuo repetamus, ſeſe ceu apici, centro, ac capiti adunarat ſemper, adunabitque in Romana eccleſia: ut ſi nullum aliud haberetur, hoc unum ſufficeret præjudicium, unum idemque eſſe, quod ab hac ſede emanat cum ipſius eccleſiæ univerſalis ſenſu, ob communem iſtam conſenſionem, ac indivulſam conglutinationem: quatenus ab eodem unitatis, & veritatis ſpiritu vegetatur cum ſuo capite corpus eccleſiæ, neque unquam in decurſu tot ſæculorum ſeceſſionem fecit aut caput a corpore, aut corpus a capite; ſed una ſemper fuit compago, atque in idem conſpiratio, ut quod ab

uno capite prodierat, totius eccleſiæ ſenſus eſſe haud ambigeretur: atque ab eccleſiæ uſque primordiis id ſemper aut ſtatim cum debita veneratione ab univerſis ſuſceptum ſit, quod ab hac ſede editum, aut ſi qui ſeſe oppoſuerint dictatis ac præſcriptis ejuscemodi, ipſo rerum exitu conſtanter probatum ſit, penes Rom. Pont. æquam fuiſſe cauſam, atque ſteriſſe veritatem. Hanc conſtanter hujus ſedis præſules prærogativam retinuerunt, nunquam quavis arte, aut contentione decerpi, aut demi aliquid inde paſſi, ſed pro ſuprema auctoritate ſumma ſapientia temperata, modo ſtatim, ut ſe novitas aliqua oſtentavit, ferro abſciſſionis malum pullulans amputarunt, modo aliquid paci, & unitati dando, atque prudenti diſpenſatione utendo, conſuluerunt eccleſiæ; modo communioni poteſtatis eccleſiaſticæ concedendo, collatis conſiliis, libratisque rationibus, res compoſuerunt. Quacunque ingreſſi via ſemper optatum conſecuti ſunt finem, nunquam a meta aberrarunt: idque in omnibus cauſis, quæ univerſam ſpectabant eccleſiam, & aliquid ſingularis momenti habebant, quales nullæ unquam ſine Romanis Pontificibus ſunt transactæ, nulla unquam infeliciter per ipſos ceſſit.

III. Sic

III. Sic ſemper unitas, & veritas aut reddita, aut conſervata, quam deſperata etiam quandoque videretur, quamque vix non inſuperabiles machinæ, ac difficultates ſeſe objicerent; quas ſuperavit ſemper, & dejecit invicta præſulum fortitudo. Qui non animi obſtinatione obfirmati, ſed certa ſui muneris fiducia confirmati, intrepidi, conſtantesque non ſuis propriis ſenſis, ſed avitæ Patrum traditioni, anteceſſorumque veſtigiis inhæſerunt. *Et idcirco,* ait (*a*) unus ex illis in cauſa, quæ primum orientem, poſtea occidentem etiam commiſit, *nequaquam nos quispiam terminos Patrum noſtrorum transgredi facere valebit, neque novitates vocum imponere, ſed in ea orthodoxa fide, quam ſuſcepimus, manentes, & olitanam traditionem amplectentes, prædeceſſorum noſtrorum Pontificum proculdubio veneramur, & tenemus pro ſacris imaginibus concilia, nullum quemlibet jam exinde contrarium ſermonem ſuſcipientes, neque rationem reddentes.* Hæc ille, poſtquam res, de qua ſermo eſt, concilio jam fuerat quidem finita; at non minus confidenter, ſummaque cum auctoritate ante concilii ullam deciſionem Coelestinus (*b*) dudum antea de Nesto-

Quare tanta fiducia hujus ſedis ſcita & propoſita, & ſuſcepta quovis tempore ſunt.

a.

b.

(*a*) Adrian. Ep. ad Car. M. de libr. Carolin
(*b*) T. III. Conc. p. 361.

RIO pronunciavit. *Aperte*, inquit, *hanc noſtram ſcias eſſe ſententiam, ut niſi de Chriſto DEO noſtro ea prædices, quæ Romana, & Alexandrina, & univerſalis eccleſia tenet . . . & hanc perfidam novitatem, quæ hoc, quod venerabilis ſcriptura conjungit, nititur ſeparare, intra decimum diem a primo innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandam, aperta, & ſcripta confeſſione damnaveris, ab univerſalis te eccleſiæ catholicæ communione dejectum.* Hic ſumma ſtatim utitur ſeveritate, idque fulmen in NESTORIUM intentat, quod poſtea dejecit hunc imperatoriæ urbis præſulem, fidem vero ceu prælibavit Patribus poſtea in concilium coeuntibus. Quod etiam de magna illa contentione, quoad divinitatem Spiritus S. prius in oriente mota SOZOMENUS (*a*) refert: *Epiſcopus Romanus*, ait, *de ea contentione certior factus: ſcripſit ad eccleſias orientis litteras, ut una cum ſacerdotibus occidentis Trinitatem, & conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto ſinguli rebus ab eccleſia Romana ſemel judicatis acquieverunt, & controverſia finem habere viſa eſt.* Semper elucet communionem poteſtatis propoſitam habuiſſe Pontifices, & hoc modo decretis ſuis auctoritatem ineluctabilem conciliaſſe, quando

(*a*) Lib. VI. c. 22.

quando non proprias, ſed eccleſiæ Romanæ & catholicæ præſetulerunt ſententias; quod de pontificiis reſcriptis non ambigebant veteres. Sicuti de tali quodam in cauſa Pelagianorum ab INNOCENTIO ad Patres Africanos miſſo S. (*a*) AUGUSTINUS dicit: *Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere conciliis, quam quod antiquitus apoſtolica ſedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter eccleſia.* Atque hæc eſt ſtabilis illa unitatis, & conſonantiæ eccleſiaſticæ ratio, quod Romana cum cæteris tenet perſeveranter eccleſia. Nec aliter ſenſit S. AMBROSIUS nomine ſynodi Capuanæ ob pacem eccleſiæ Antiochenæ diuturno ſchiſmate turbatam reſtituendam. *Sane*, inquit (*b*), *referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ ſacerdotem eccleſiæ: quoniam præſumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant. Ita enim erit conſultum ſententiæ: ita pacis, & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur conſilio, quod communioni noſtræ diſſenſionem non afferat; ut nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum; cum id geſtum eſſe cognoverimus, quod eccleſia Romana haud dubie probaverit, læti fructum hujuscemodi examinis adipiſcamur.*

a.

b.

(*a*) L. I. c. 2. cont. JULIAN.
(*b*) Ep. 56. olim 78. ad THEOPHIL.

Ita felicior, expeditiorque fuit antiquitus communionis, unionisque ſacerdotalis ſtatus, quando tanta fiducia, ac perſuaſio de judiciis Romani Pontificis concipiebatur: quando vero hodie ſunt, qui ſecus ſunt perſuaſi, & prius Pontificum bullas, & decreta ſerio examini ſubjicienda exiſtimant, ſe quidem incertos, & fluctuantes oſtendunt; at nihil hinc firmitati, inconcuſſoque robori decretorum detrahunt, dum demum invictæ veritati victas dant manus. Sic in cauſa JANSENII accidit, ut ipſi Gallicani
8. præſules in ſua de hac re relatione (*a*) fatentur: *Cum conſtitutionis materia, & argumentum a duodecim annis per Gallias agitatum, omnibus notum eſſet, facile cognitum, pontificia conſtitutione firmatam antiquam eccleſiæ fidem, a conciliis, ac Patribus traditam, atque a concilio Tridentino innovatam: itaque communi omnium ſententia concluſum ab epiſcopis congregatis, ut acceptarent bullam, omnique obſequio, ac reverentia ſuſciperent, quæ in ea deciſa eſſent.* Hujus rei circa alteram bullam *Unigenitus* quotidie recentia habentur documenta, dum præſules jam pœnam talionis patiuntur, eandem reſiſtentiam a ſuis ſubditis experti, quam ipſi primum Pontifici fecerant.

IV. Sed

(*a*) Relat. des delib. du Clerge.

IV. Sed nos ad prima tempora redeamus, videamusque, quam ſemper eccleſiæ Romanæ ſententia, & obſervantia vicerit, iisque, qui illi contraierunt, aut recipiendum placitum Romanum fuerit, aut eccleſia exeundum. Diſcrepantia fuerat Aſiaticas inter eccleſias, aliasque Romanæ conjunctas ob Paſchæ celebrationem: poterat res, ceu ad diſciplinam tantum ſpectans, conſiderari, atque media quodammodo in utramque partem verſatilis, ut ſalva fide, & eccleſiæ unitate, ſive dominica, ſive alia die Paſcha celebraretur. At longe aliter eſt viſum de re, & diſciplina ejuscemodi, quæ in tota eccleſia eodem modo inde ab apoſtolicis uſque temporibus eſſet conſervata: hujus ergo tuendæ, & ſi alicubi labaſceret reſtituendæ, pro injuncto ſibi paſtorali munere, ſuſcipiendas curas exiſtimarunt Pontifices. *Victor*, ſcribit EUSEBIUS (*a*), *Romanæ urbis epiſcopus illico omnes Aſiæ, vicinarumque provinciarum eccleſias tanquam contraria rectæ fidei ſentientes, a communione abſcindere conatur: datisque litteris, univerſos qui illic erant fratres proſcribit, & ab unitate eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronunciat.* Sive vero hæc ſecuta ſit proſcriptio, ſive hortatu interceſſioneque aliorum

Vicit etiam ſemper in difficillimis cauſis Romana fides, ut primo in controverſia de Paſchate.

1.

(*a*) Lib. V. Hiſt. eccl. c. 24.

rum præſulum, præſertim S. IRENÆI intermiſſa, ad propoſitum perinde eſt: id ſatis eſt, univerſalis Nicænæ ſynodi canone præparatum dudum anathema totius eccleſiæ nomine emanaſſe, novis magis ac magis quotidie ebullientibus diſcordiis, quibus obſiſtendum erat, atque ea communi conſilio ſtabilienda diſciplina, quam dudum præformarat eccleſia Romana, cuique univerſim ſuſtinendæ tantopere inſudarunt Romani Pontifices, inſiſtentes apoſtolicæ traditioni, uſuique ac conſuetudini per eccleſiam receptæ: cui ſive ceſſarit poſtea Aſiana diœceſis, ſola contrarium ſequuta morem, ſive non, poſtea hæreſis nota, infamiaque ſemper laborarunt, qui in adverſa diſciplina perſeverarunt, atque ab univerſa eccleſia juſtum anathema contra eos agnitum, ac ratum, quod primum VICTOR intentarat; hortantibus aliis epiſcopis, ut ea po-
a. tius ſentire vellet, quod ab EUSEBIO (*a*), aliisque proditum, quæ paci, unitati, charitatique erga proximum congruebant, ſalutari quidem conſilio, ſed non reſpondente effectu, nec conſulta ſatis œconomia in praxi ex apoſtolica traditione, uſuque, & conſuetudine totius eccleſiæ roborata.

V. Quæ

(*a*) Hiſt. eccl. L. V. c. 24.

V. Quæ modo diximus multo ſe luculentius, manifeſtiusque in cauſa rebaptizationis hæreticorum produnt, quam tanta contentione Africani præſules duce S. CYPRIANO contra STEPHANUM Rom. Pont. defenderunt. Quamvis ad opprimendam ſummi Pontificis inconcuſſam auctoritatem hac cauſa abutantur non hæretici ſolum, ſed etiam catholici quidam doctores. Ut enim de illis nihil dicam, qui STEPHANUM in adverſo errore hæſiſſe impudenter calumniantur: alii id ſaltem hinc eliciunt, S. CYPRIANUM, aliosque Africanos præſules, ſi omnino deferendum Pontificis Romani ſententiæ rati fuiſſent, ſe haud commiſiſſe, ut ſe Papæ opponerent, contrariumque ei, quod STEPHANUS ſtatuerat, determinarent. At probandum primum foret, STEPHANUM auctoritatem ſuam ſummam interpoſuiſſe, atque quos putaverat abſtinendos, revera abſtinuiſſe: contra ac omnis antiquitas docuit imprimis S. AUGUSTINUS, qui S. CYPRIANUM inde excuſat, quod ſalva pace, ac unitate errarit. *In qua*, inquit (*a*), *eccleſia, ſi aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalva pace ſentirent, donec univerſali concilio unum aliquid eliquatum ſincerumque pla-*

Tum etiam de baptiſmo hæreticorum conſtat.

a.

(*a*) S. AUG. L. I. c. 18. de Bapt. contra Donat.

placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitatis unitas. Exiſtimat ergo S. Martyrem, aliosque, antequam res in concilio plenario fuerit definita ſub anathemate, cum prius tale judicium nullum anteceſſerit, excuſandum ob unitatem minime violatam. Cur vero, niſi quod abſtentio, ac anathema nullum dictum ſit; non quod omnino neceſſarium putarit ad hujusmodi cauſæ deciſionem concilium plenarium: cum hoc ſit contra conſtantem S. Patris doctrinam Pelagianos repellentis, ad concilium generale appellantes. Diſcrimen ergo erat, quod in cauſa rebaptizationis ſecus ac in cauſa Pelagianorum judicium eccleſiæ ultimatum nullo modo interceſſerit, ſed retentum pia diſpenſatione unitatis vinculum, ſecus etiam ac in ipſa cauſa rebaptizationis poſtea neceſſarium eſt viſum ad pervincendam Donatiſtarum pertinaciam. *Stephanus autem*, inquit (*a*), *& abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur. Iſte autem quæſtionis iſtius difficultate permotus, & ſanctæ charitatis viſceribus largiſſime præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotius, ſed tamen fraterne indignetur, vicit tamen pax*

a.

(*a*) S. Aug. L. V. c. 25.

pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur, Hac de re quidquid ſit, perinde eſt, ſive S. CYPRIANUS cauſam magni fecerit, ſive eam tanquam adiaphoram judicarit, atque adeo in ejusmodi re impune ſe diſſentire poſſe exiſtimarit, ut ex eo probari poteſt, quod nihil aliud quam agendi libertatem popoſcerit, & a ſuis in concilio idem flagitarit: *Ut*, inquit, *de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi adverſum ſenſerit, removentes.* Verum eſt, in ſententiis dicendis epiſcopos longius abiiſſe. Sed nos de S. CYPRIANO potiſſimum laboramus: imo hoc ſolum ad propoſitum intendimus, qui tanta animoſitate contra Romanum Pontificem defenſus eſt error, poſtea ab univerſa eccleſia repreſſus eſt, denuoque patuit præclaro exemplo, Romanam ſedem nullis ſe adverſis motibus, & conflictibus a vera traditione dimoveri ſiviſſe, atque invicte pro veritate ſtetiſſe: cum, qui ei adverſarentur, in errore hæſiſſe comprobati ſint in eo, quod ſeſe contra fas, æquumque S. STEPHANO oppoſuerint, haud minus, quam quod contra traditionem, ſanamque doctrinam ſteterint, in neutro penitus excuſandi,

quin

quin tamen aperte accuſari poſſint, eos animo refragario ſeſe oppoſuiſſe STEPHANO, auctoritati haud deferentes, quam mentem nunquam declararunt; ſicuti nunquam agnitam veritatem oppugnarunt, quod dogma ipſum ſpectat. Qui ſemel errorem adamarunt, putantque ſe illum auctoritate ſacræ ſcripturæ tueri, dum ſibi in animum inducunt oportere DEO magis obedire, quam hominibus, in alterum facile etiam incidunt errorem, ut auctoritati errorem dedocenti ſe opponant, obedientiamque detrectent: quod haud minus œcumenicis conciliis fere omnibus accidit, quam ſummis Pontificibus: ex quo tamen adverſus eorum auctoritatem nemo argumentum ſumit. Idque plerumque factum poſt dira etiam anathemata, cujusmodi hic nullum interceſſit, ut res videri potuerit adhuc in conſultatione, conflictuque diſputationis verſari, cum nulla unquam cauſa tanta veri ſpecie ſit defenſa, quam rebaptizationis hæreticorum, ut adhuc lite pendente nec a Pontifice cum anathemate definitam forte exiſtimaverit S. CYPRIANUS, locum & facultatem agendi, conflictandique eſſe, quod quotidie fit ſine nota inobedientiæ. At vero, ut denuo repetam, quidquid ſit, S. CYPRIANUS, & Africani collegæ

gæ in errore fuerunt, ſeſe STEPHANO opponentes; quique poſtea eum reſuſcitarunt, nec concilio generali paruerunt

VI. Quæ unquam ſolemnior fidei definitio eſt facta quam Nicæna, adoptato, conſecratoque ὁμοουσίῳ? Nec dubium eſt, quin hujusmodi vocabula civitate DEI donata ſint reverenter ab omnibus ſuſcipienda. Conſtat tamen, obſervatumque ab erud. PETAVIO recenti adhuc Nicæno concilio, in fidei confeſſionibus non ſemper τῷ ὁμοουσίῳ diſſertam confeſſionem exigi ſolitam. *Exemplo ſit*, ſunt verba PETAVII in not. ad EPIPH., *Urſacii, & Valentis Arianæ factionis principum libellus, quem Julio Papæ obtulerunt, quo & erroris ſui veniam deprecati ſunt, & Ario damnato catholicam fidem profeſſi. Extat apud Athanaſium apologia II. in eo vero de* Ὁμοουσίῳ *verbum nullum. Nam & in concilio Aquilejenſi, in quo adnitente Ambroſio Palladius, & Secundianus epiſcopi damnati ſunt, cum tam ſtudioſe id ageret Ambroſius, ut ab iis judicium aliquod Arianæ profeſſionis eliceret, idque variis interrogationibus laceſſeret, nullam Conſubſtantialis mentionem attigit: ſed hæc tantum communia: ecquid Filius immortalis, bonus, ac verus eſſet, & reliqua generis ejusdem. Quin etiam Atha-*

In contentionibus de voce Ὁμοούσιος communio legitimæ poteſtatis quam neceſſaria ſit ſingulariter enituit.

Athanaſii ſymbolum, cum ſit quædam fidei expoſitio ab eo edita, qui το ὁμοούσιον *acerrime propugnaret, ejusdem vocabuli mentionem omiſit.* Poſſent adhuc alia hujus rei multoque certiora afferri firmamenta, ſed opus nihil eſt: tantum id obſervo, ATHANASIUM licet acerrimum ὁμοουσίᾳ vindicem communionem tamen haud detrectaſſe taliter agentibus. *Cæterum*, inquit (*a*), *qui omnia ſynodi ſcripta recipiunt, de ſolo autem Conſubſtantiali ambigunt, non ut adverſus inimicos affici nos decet.* Diſpenſatione iſti quadam utendum eſſe cenſuerunt, quam licet minime laudaret S. ATHANASIUS, tolerandam eſt ratus: quæ tamen ſæpe funeſtos habuit effectus, ut vel Ariminenſe concilium ſat ſuperque declarat. Ibi partim terroribus, & ærumnis fracti, partim ſpe conciliandæ pacis, conſociandique occidentis cum oriente ad ſupprimendam vocem, imo ulterius adhuc ſunt inducti. *Nam*, inquit S. HIERONYMUS (*b*), *illo tempore nihil tam pium, nihil tam conveniens ſervo DEI videbatur, quam unitatem ſequi, & a totius mundi communione non ſcindi. Præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil jam ſacrilegum præferret. Id egerant Patres, atque his ita*

a.

b.

(*a*) S. ATHAN. Lib. de ſyn.
(*b*) Dial. adv. LUCIF.

ita geſtis, concilium ſolvitur. Læti omnes ad provincias revertuntur. Id enim regi, & bonis omnibus curæ fuerat, ut oriens atque occidens communionis ſibi vinculo necterentur. Sed quam male ceſſerit conſilium, quam fuerint hæc pernicioſa rei catholicæ, eventus docuit, ut idem S. HIERONYMUS dicere haud vereatur: *Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt: bonique omnes vehementer dolerent, ac nulli magis quam ipſi decepti Patres Ariminenſes.* Hinc novum illudque luculentiſſimum habetur argumentum, quam in hac cauſa tutiſſimam uniceque ſecuram partem cum ATHANASIO Romana tenuerit ſedes a voce ὁμοουσίῳ minime abſtinendum rata: quæque nunquam conſenſit, imo repugnavit actis Arimini, eaque antiquavit habito Romæ concilio ſub DAMASO: ubi inter alia hæc habentur, ex quibus conſtat, quam numeroſi etiam conventus eccleſiaſtici celebrentur, ſine Romani Pontificis conſenſu, nihil rati effici. *Neque enim*, inquiunt (*a*), *præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum, neque Romanum epiſcopum, cujus ante omnia oportebat exſpectare decretum, neque Vincentium, qui tantis annis epiſcopatum inviolabiliter cuſtodivit: neque alios talibus* 2.

præ-

(*a*) Conc. Rom. ſub DAMASO.

præbuiſſe conſenſum. Atque ita quidem quanta ſit vis ac robur in communione poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes, Pontificem & epiſcopos hoc præprimis exemplo claret. Ea quamdiu Arimini obtinuit, *Nulla ibi*, inquit
a. ATHANASIUS (*a*), *fuit diſcrepantia, ſed omnes una mente, quæ decreta fuerant, ſubſcripſerunt, Arianosque epiſcopos depoſuerunt.* Conſtantiſſime fuit rejecta Ariana formula, atque Nicæna fides uſque ad poſtremum apicem confirmata. At quamprimum ſeceſſio fuit facta, iſtaque communione relicta in partes itum, ac Patres alia, quam caput gereret, conſilia inirent, turpiter abierunt a recto tramite, firmiter ſtante capite, ut & Catholici haberent, quo ſe tenerent, decepti vero Patres, quo a devio citius revocarentur, jungerenturque centro unitatis. Enituit hic ſingulariter divina providentia eccleſiæ ſuæ proſpiciens in communione iſta poteſtatis eccleſiaſticæ: a qua cum antea LIBERIUS iisdem diris artibus, imo gravioribus adhuc fractus deflexiſſe viſus eſt, mox ſeſe iterum recollegit, atque corpori eccleſiaſtico cohæſit, quod tunc firmiter ſtabat: poſtea cum hoc eccleſiæ corpus labaſcere videri potuit, in firma petra cathe-

(*a*) Lib. de Syn.

cathedræ PETRI, ipſo, inquam, LIBERIO, quo a caſu retineretur, reperit: patuitque, quam tutus omnibus ſit portus PETRI ſedes, qui ei ſe crederent; quam contra res periculi plena, vel ad momentum inde ſe dimoveri pati.

VII. Id quod aliis quibusque ejusmodi occaſionibus, quando ipſa ſecum conflictari viſa eſt eccleſia catholica, ſemper apparuit: ſed nunquam manifeſtius, quam in cauſa trium capitulorum in concilio V. agitata. Videbatur peti quarta ſynodus Chalcedonenſis, quæ pia diſpenſatione in medio reliquerat, non auctorarat ea ſcripta, quæ trium capitulorum nomen acceperunt: nihil tamen idem Chalcedonenſe concilium in eorum favorem, vel condemnationem edixerat; an ſenſus pravus illis in ſcriptis contineretur, vel non, transmittens: cum poſtea Neſtoriani errorem ſuum ex ſcriptis illis THEODORI *Mopſueſteni*, THEODORETI *Cyr.* & epiſtola IBÆ ad MARIM *Perſam* denuo recoquere, atque per totum orientem ſpargere cœpiſſent, VIGILIUS haud ægre inductus eſt, ut ſcripta iſta damnaret: teſtatusque eſt imperatori tunc Cpoli degens, ſe id voce, & ſcriptis feciſſe, quando RUSTICUM, & SEBASTIANUM diaconos eccleſiæ Romanæ, & VALENTINIANUM epiſcopum Scythiæ

Tum etiam in controverſia de *tribus* capitulis.

thiæ cum AURELIANO Arelatenſi epiſcopo condemnarit, ut habent litteræ imperatoris in ſynodo lectæ. At VIGILIO viſum eſt hujus rei cauſa orbem chriſtianum cum periculo ſchiſmatis commovendum non eſſe. Igitur conſtitutum edidit, in quo etſi a damnatione capitulorum abſtinendum putet, quod pia diſpenſatione anteriores ſynodi, ſuique anteceſſores ita faciendum putarint; tamen notat magno numero errores iſtis in ſcriptis contentos. At oriens ſibi hoc modo a periculo ſatis cautum non exiſtimans, ipſam damnationem exertam urget, atque in ſynodum coacta tranſigit, conſentiente tandem, confirmanteque VIGILIO. Hinc motus, ac turbæ in occidente, diuturnumque ſchiſma. In manibus occidentalium haud verſabantur hæc ſcripta; eorum damnationem eo ſolum nomine refugiebant, quod violari hinc ſynodi IV. acta, ac LEONIS P. decreta putarent: qua de cauſa conqueritur S. GREGORIUS, multos, quod non legerent, a ſynodo V. abhorrere. Nihilominus pia clementia, ac œconomia utendum ſibi ſunt rati Pontifices, donec cauſæ æquitas liquido ab omnibus agnoſceretur. Quod eo facilius hic indulgeri poterat, cum nullum novum fidei caput tangeretur, ſed de ea ſolum fi-

de,

de, in quam omnes conſpirarent, rejectis Nestorii, & Eutychetis impiis dogmatibus. Ut adeo, qui aliter fuerunt perſuaſi, atque in falſas ſuſpiciones abrepti, paulatim dedoceri conſultiſſimum fuerit: quo ſi non ſtatim errore, hæretica tamen pravitate liberarentur, immunesque ſervarentur exaſperatæ mentes; tum Africanæ, Gallicæ, & Hiſpanicæ integræ eccleſiæ hoc modo in communione, obſequioque eccleſiæ, ac Romanæ ſedis retinerentur, quando a judicio ſuo, & ſynodi V. mentione intempeſtive ingerenda abſtinebant Pontifices. Ut nihil hic extundi queat ad laceſſendam legitimam poteſtatem eccleſiaſticam, quæ diu ſe continuit ab omni ſua exerenda vi pia indulgentia: Pontificibus non ſemel in ſuis epiſtolis hac œconomia utentibus, atque a nominanda etiam ſynodo V. ſibi temperantibus, quando cum illis agendum, qui alienum adhuc ab ea gerebant animum, falſis ſuſpicionibus detenti, non veram illius ſententiam damnando, cujus plenam intelligentiam diu non habuerat magna occidentis pars. Studebant tamen Pontifices omni modo tum verbis, tum ſcriptis paulatim ſcrupulos animis eximere, atque inſinuare orthodoxum damnationis trium capitulorum

intellectum. Agebant hoc non absoluta auctoritate statim, nisi contra eos, qui meliora jam edocti, in obstinacia sententiæ perseverabant. Sic S. GREGORIUS (*a*) ad episcopum Hiberniæ scribit: *Ut de tribus capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum, quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si depositio voluntariæ defensionis studio, puro, vigilantique corde sæpius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram nihilominus reversuros esse confido. Porro autem si post hujus libri lectionem in ea, qua estis deliberatione, persistere volueritis, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis.* Atque ita vicit tandem charitas, qua diu retenta est, ne sese interponeret auctoritas, severitasque, quam haud dubie stringere poterant Pontifices tum sua, cum synodi suffulti vi ac robore, quæ communione potestatis coadunata fortissima, plenissimaque erat: ut pontificia auctoritas peti non posset, nisi lacessita synodi auctoritate, cui nullus Catholicus refragatur.

a.

VIII. Tan-

(*a*) L. II. Ep. 36.

VIII. Tandem vero conſtitit, quod potiſſimum volumus, Romanam ſedem ſemper ab illa ſtare parte, quæ nullis obſtantibus difficultatibus tandem in veritate victoriam obtineat: quam multi ſint ad clavum etiam eccleſiaſticum ſedentes, qui primum reluctentur, non ſatis firmiter centro ſuo adhærentes, atque a communione poteſtatis legitimæ recedentes. Quod poſtea in cauſa imaginum iterum conſtitit claro documento Patrum occidentalium in ſynodum Francofordenſem collectorum: quod ſtudioſe notamus, ne nobis ſynodos obtrudant contra ſcita pontificia. Certe nunquam, qui hodie auctoritatem decretis pontificiis negant, tam copioſam cogerent ſynodum, regno Francico ad unam jam Galliam redacto, quæ ſola ſe contra pontificia ſtatuta jactat, ſemper tamen tandem aliquando faſces ſubmittit: ut nunc in cauſa bullæ *Unigenitus* cernimus. Neque exemplum aliquod proferri poteſt, quo Pontificis pars non vicerit, obtinueritque auctoritas.

Nec poſtea, ac hodie unquam aliter accidit, quam ut centro demum unitatis omnes accedant.

CAPUT XI.

Quid actum in eccleſia poſteriore ævo circa controverſias communioni legitimæ poteſtatis adverſas.

I.

Quæſtiones communioni poteſtatis legitimæ infeſtæ poſteriore ævo.

Paulatim ad ea procedit oratio, ubi communio legitimæ poteſtatis inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem, & epiſcopos inſigniter relucet, in conciliis, inquam, generalibus. At principio ſtatim diſputatio, huic communioni infeſta, importune ſe ingerit; ibi ſecum ipſis committens, dividensque ſummos eccleſiæ præſides, ubi ſumma unitas, & conſenſio eſſe debet, dum communi conſilio negotia religionis ſunt tractanda. Quod ſane factum eſt florentis eccleſiæ ſæculis, longoque illo temporum tractu, quo inter ſe concordabant, qui ad eccleſiæ gubernacula ſedent, ad eccleſiæ jus dicendum: neutiquam vero cathedra contra cathedram, tribunal adverſus tribunal ſtatuebatur, ſicut poſtrema ætate factum eſt: ſummis eccleſiæ judicibus inter ſe conflictantibus, atque ferram contentionum reciprocantibus, ad communionem poteſtatis legitimæ reſolvendam, facta contentio-

tione, *Quis eorum videretur eſſe major?* An concilium ſit ſupra Papam: collegium epiſcoporum ſuccedens apoſtolis ſupra Pontificem ſucceſſorem PETRI? Ac ſi Chriſtus apoſtolos reliquos cum PETRO colliſerit, nec in unum conſociarit collegium Patrem rogando (*a*), *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Apoſtolis autem ob id, licet ſummum principatum conceſſerit in eccleſia, humilitatis, & manſuetudinis exemplum præſtituit, atque ab omni ambitu, & faſtu alienum eſſe voluit regimen. At cum primum aliquid ab his regulis remiſſum, dum abſoluta poteſtate agi, deque poteſtate eccleſiaſtica ceu de principatu politico in ſcholis diſceptari, & in judiciis confligi cœpit, tandem eo res devenit, ut tribunal contra tribunal erigeretur. a.

II. Res primum raris exemplis, poſtea, tempore magni illius ſchiſmatis, omni ſtudio, & contentione agitabatur, cum dubii Pontifices nihil de jure ſuo remittere vellent, neque ad pacis conditiones ſeſe accommodare, demittendo faſces, uſurpationibusque aliis ſtatum eccleſiæ turbarent. Dici non poteſt, quæ inde mala eccleſiam invaſerint, quam miſere etiam concuti eccleſiæ ſtatum in ſuo capite oportuerit. Inde WICLEFFI, Earum ortus, & progreſſus funeſti.

(*a*) Jo. XVI.

& Hussi adverſus regimen eccleſiæ niſus, ad illud penitus obruendum, atque illa WICLEFFI propoſitio Seſſ. VIII. Conc. Conſt. damnata: *Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam; ſed vivendum eſt more Græcorum.* Habent litteræ univerſitatis Pariſ. ad CLEMENTEM VII. tunc Avenione ſedentem, eo rem proceſſiſſe per ſchiſma, ut plures paſſim, & publice non vererentur dicere, nihil curandum, ſintne duo, vel tres, vel decem, vel duodecim Papæ, imo & ſingulis regnis, in detrimentum ſacroſanctæ eccleſiæ Romanæ, eccleſiaſticæ, politicæ, & religionis catholicæ. Qui adhuc reuniendæ eccleſiæ ad unum caput ſtudioſiores fuerant, cernebant vero Cardinales utriusque partis ſede vacante a novo eligendo Papa non ceſſare, ac ſemel electos induci nunquam poſſe ad cedendum, huc tandem cogitationes ſuas deflectebant, eſſe aliquod erigendum tribunal, quo cogi poſſent refragarii quicunque, etiamſi papalis ſint auctoritatis; nullum vero gravius occurrebat concilio. Et ſane re ipſa concilium Piſanum nihil aliud agebat. Ibi ſeſſ. XIII. Magiſter *Petrus* PLAOUL propoſito themate Oſeæ I. *Congregabuntur filii Juda, & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum. Et deduxit pulchre,*

cbre, ut acta habent hujus ſynodi, *exaltando eccleſiam, & aſſerendo eam eſſe ſupra Papam, deduxit pluribus rationibus tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum, quam ex parte formæ, quæ eſt Spiritus S. quam etiam ex parte cauſæ efficientis, quæ eſt ipſe Chriſtus, quam etiam ex parte finis, quæ eſt ipſe DEUS in eccleſia triumphante.* Hæc nimirum fuit temporum illorum theologia ex cauſis potius, quam evangeliis probationum momenta afferre. Inde fieri pronum fuit, principia evangelica in ſcitis ejusmodi theologicis non ſemper obtinuiſſe. Quod ſane in iſta controverſia factum, dum unitati, & communioni poteſtatis eccleſiæ adverſa ſunt conſtituta placita. Non dicam hic culpam tunc temporis potius in mox allata doctrina hæſiſſe, quam in Pontificum pervicacia, pacem & unitatem eccleſiæ reſpuentium. Habebantur iſtic dubii Pontifices, nec colligi poſſe videbatur eccleſia ad unitatem, niſi communi conſilio in concilio tranſigeretur, proſpicereturque de eo, quod unitati contra ſchiſma neceſſarium foret. At poſtea cum Conſtantiæ minime dubitaretur JOANNEM XXIII. eſſe verum, legitimumque Pontificem, nihilominus firmata eſt opinio, a concilio tanquam ſuperiore cogi poſſe ad cedendum Papam, & ad

quid non? Hanc originem eſſe controverſiæ, an concilium ſit ſupra Papam? dici poteſt; ſi de ea tanquam fixa aliqua ſententia loquimur, quæ deinceps non ſolum ſubſellia theologorum, ſed etiam cathedras eccleſiæ acriter adverſas detinuit ad hodiernum uſque tempus. Cujus flabellum præprimis *Jo.* GERSON fuit, qui ſermone ſuo de auferibilitate Papæ in concilio Conſtantienſi habito huc omnes inſtigavit, quem uſque ad hodiernum diem ſecuta eſt Gallia duce præſertim academia Pariſienſi, cum antea hæc lis, aut contentio nunquam agitata noſcatur. Id quod ipſum nervos quæſtionis totius intercidit, quæ, quod fixam habeat epocham, pro eccleſiæ traditione haberi
a. non debet. Ipſe ſane *Jo.* GERSON (*a*) de appellatione a Papa ad concilium loquens: *Dixerunt olim*, inquit, *ante concilium generale Piſanum, & Conſtantienſe, quod hoc nullo modo licebat: & allegant jura ſua pro ſe valde, ut eis videtur, expreſſa. Sed conſtanter nunc aſſeritur, quod eſt hæreſis damnata per conſtitutionem con-*
b. *cilii Conſtantienſis.* Jo. MAJOR (*b*) vero hyperaſpiſtes, *Duo ſunt modi*, inquit, *oppoſiti dicendi, quorum unus tenet, Papam*

(*a*) De Excommunic.
(*b*) De Poteſt. eccl. c. 15.

pam esse supra concilium universale, hunc modum tenuerunt aliqui Cardinalium, & tenent communiter Thomistæ, & Romæ, ut asseritur, nulli fas est oppositum tueri. Alium modum semper nostra universitas Parisina a diebus concilii Constantiensis imitata est, sic quod in ea, qui prædictam viam tenuerit, in campo cogitur eam revocare.

III. Magis e vero sunt, quæ ex *Jo.* MAJOR exscripsi, quam quæ sunt a *Jo.* GERSON allata, qui in hac universa causa eam theologiæ mysticæ cum scholastica consociationem, qua alias celebre nomen suum fecit, minime est consectatus, sed exasperatus temporum illorum calamitate, & dubiorum Pontificum, pertinacisque schismatis importunitate, in adversa paci, & communioni potestatis ecclesiasticæ consilia est abreptus, atque ejusmodi etiam principia tenuit, quæ hierarchiæ toti ecclesiasticæ, non solum supremo capiti sunt perniciosa, ut illustrissimo PETITDIER (*a*) videatur in principiis, quæ ad stabiliendam conciliorum supra summos Pontifices auctoritatem adhibet, præsertim in tractatu de mediis readunandi, & reformandi ecclesiam in concilio generali, ad errores WICLEFFI, aliorumque sæculi

Jo. GERSONIS hac in re partes, & principia.

2.

(*a*) Diss. de mente Conc. Const. c. 1.

ſæculi XVI. hæreticorum proxime accedere, ſi multis in locis eos omnino non ſuperet. Utpote diſtinguendo eccleſiam inter catholicam, & apoſtolicam, hanc dicit particularem tantum eſſe, & privatam in catholica eccleſia incluſam, ex Papa, Cardinalibus, epiſcopis, prælatis, & viris eccleſiaſticis compaginatam, quæ errare poſſit, & potuerit falli, & fallere, ſchiſma, & hæreſim habere, etiam & deficere. Contra, eccleſiam catholicam eſſe univerſalem, compoſitam ex variis membris, quæ unum idemque corpus efficiant, ſive deinde Græci ſint, ſive Latini, aut Barbari, viri ac mulieres, nobiles & ignobiles, pauperes aut divites, dummodo fide Chriſti ſint imbuti, atque Chriſto capiti conjuncti: in qua eccleſia quilibet poſſit ſalutem conſequi, quamvis nullus Papa exiſteret, etiamſi in toto mundo aliquis Papa non poſſet reperiri, & non inveniretur. Hanc eccleſiam ſolam eſſe, in qua fides in Chriſtum reperitur, & quæ ligandi atque ſolvendi poteſtatem accepit, nec de lege currente errare, fallere, aut falli poſſit. Quæ comparata ſunt ad omnem penitus legitimam poteſtatem in hierarchia funditus evertendam, clavumque e manu extorquendum. Licet autem GERSON præſertim

Pon-

Pontificis auctoritati infeſtus ſit, tamen ſi principia ipſa ſpectentur, reliquo ordini hierarchico haud minus incommodant, atque eorum poteſtati legitimæ injurius eſt, dum claves in congregatione fidelium reponit: nec aliter in concilio auctoritatem agnoſcit, quam quatenus eam eccleſiam univerſalem repræſentat. Attamen vel hoc modo epiſcoporum auctoritati, qui ſolent in conciliis ſedere, ac judicare, quodammodo conſulit. Sed poſteriori parte concilii Baſileenſis conſtitit, quo hæc principia vergerent, quando plerisque recedentibus epiſcopis promiſcue judicandi poteſtas, repræſentandique eccleſiam fuit agnita.

Quæ ſunt reducenda, ac corrigenda ſecundum leges communionis legitimæ poteſtatis.

IV. Dum vero res eouſque non ſemper redigitur ab illis, qui haud abludentia a *Jo.* GERSONE fovent principia, quique collegio epiſcoporum auctoritatem conſervatam unice volunt, id quidem non male fit; ſed reſtituendi penitus communionem poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes conſilium foret amplectendum, revocandaque totius antiquitatis uſque ad ſchiſma illud magnum theologia, in qua nihil habetur contentionum iſtarum de finibus, ac limitibus poteſtatum: antenenda novitati antiquitas, atque conſen-

ſus

ſus tot ſæculorum paucorum quorumdam novis inventis, quo illi, ut horrendo ſchiſmate eccleſiam extricarent, liberarentque, uſi ſunt innocentius, & inculpatius, qui non tam juris proſecutionem, quam conciliationem pacis, quibuscunque demum viis intendiſſe vi-
a. dentur. *Ubi*, inquit GERSON (*a*), *de pari concurrunt curatio reipublicæ, & conſervatio alicujus viventis perſonæ privatæ, ceſſet lex, ceſſet jus, quo tollitur ſalvatio boni communis, nec habeat virtutem pro tunc alicujus juris, legis, aut conſuetudinis. In tantum ut Dominum noſtrum mori expediret, ne tota gens periret, ut prædixi.* Omnes ergo conſtitutiones apoſtolicæ, ſive leges factæ in favorem Papæ, Cardinalium, ſive prælatorum, intelliguntur, & intelligi debent, ubi respublica eccleſiaſtica directe vel indirecte, publice vel occulte, in parte vel in toto detrimento vel diviſioni non videtur ſubeſſe. Attamen hæc non eo ſunt trahenda, ut ſpolientur, excidantque legitima poteſtate ab ipſo Chriſto immediate accepta eccleſiæ antiſtites PETRI, & apoſtolorum ſucceſſores, ſed ut ea utantur juxta præſcriptum evangelii, finesque a Chriſto in gubernanda

(*a*) De med. readun. & reformand. eccleſ. cap. V.

da eccleſia ſua propoſitos. A quibus ſi aliquando deſciſcunt illi, quibus utilitates eccleſiæ, profectusque ſummopere curæ eſſe debebant, opportuna equidem remedia ſunt adhibenda, ſed quæ a Chriſto ipſo ſunt præſcripta, qui eccleſiæ ſuæ ſatis proſpexit: ut in ordinem revocentur, atque ad communionem reducantur quorum diſſidio pax & tranquillitas reipublicæ chriſtianæ eſt turbata. Quis ferat autem rerum deſperatarum medelæ deſperata remedia in uſum perpetuum convertere? Ut quando diutini ſchiſmatis tempore inter binos ternosque Pontifices erigendum tribunal neceſſarium eſt viſum, idem extra neceſſitatis metas extenderetur, atque cathedra adverſus cathedram in eccleſia erigeretur.

Ipſius *Jo.* Gersonis de iſtis contentionibus tempore ſchiſmatis querelæ.

V. Quæ vero fuerit temporum ratio, ac rerum ſtatus, quando ejusmodi primum conſilia agitarentur, nullus nobis luculentior ipſo *Jo.* Gerſone teſtis eſſe poſſit, dum inter turbas, & tumultuationes, quibus partium ſtudia, contentionesque omnia tunc miſcebant, veluti reſpirare, aut ſuſpirare potius videtur, & vel inter decumanos fluctus, & procellas malaciæ unice optatæ vota magis quam conſilia depromit. *Credite mihi*, (*a*) inquit,

(*a*) *Jo.* Gerson Trilog.

inquit, *pax male per ſchiſmata quæritur, non utiliter injuria injuriis, ſic nec calliditas calliditate, nec morbus morbo repellitur, aut ſanatur. Si præterea contentiones, & rixæ ſint inter vos, nonne carnales eſtis? Ego quidem dico, quod unusquisque veſtrum dicit: Ego ſum Benedicti, ego ſubtractionis, ego neutrius, & quod venire ſolet inter oves, dum cæca nocte prædator lupus irruerit, fugiunt, pars, quæ fauces lupi neſcia incurrit, hæc in oppoſitum parietem impingit, hæc nullo certo vagatur attonita. Non aliter ſpiritu quodam vertiginis agitatur cætus eccleſiæ, pars palpat velut in tenebris, ignorans, quæ petat: pars ambulat in circuitu, pars ſiſtit exſpectans lucem veritatis certam de tenebris ſplendeſcere. Pars neque ſcit, neque novit quidquam agere, nihilominus ipſa & agentes utrinque ridens dijudicat. Alios rapiunt, & transverſos agunt paſſiones variæ, peſſimæ conciliatrices, ira, odium, invidia, cupiditas, ambitio, timor, & ſimiles, adeo ut pro perſonis perſequendis ſincerus amor pacis, & ſereniſſima veritatis amicitia deſerantur, aut impugnentur, quo facinore, quale aliud execrabilius cogitari poſſit nequaquam invenio. Per tales ſi non obviatum extiterit, exponetur fides diſcrimini, ſi ſuis litteris fidentes, ſi eas inſtrumentum ſuarum efficere molientes determi-*

terminaverint, aut aſſeruerint levius debito in hanc vel illam partem ea, quæ melius intractata manerent, ut ſi diceretur Papam non eſſe caput univerſale eccleſiæ jure divino, Papam non eſſe unicum pro eccleſia, Papæ paſſim in facie reſiſtendum, paſſim & ab eo appellandum, vel ex adverſo ſi quis aſſereret, quod in nullo caſu Papæ dicere liceret, cur ita facis, & ſimilia. Quamvis autem ad hæc extrema nonniſi a projectæ fidei hominibus, atque adulatoriis linguis procedi poterat; tamen partium ſtudia, ac factionum contentioſitas his ſimilia multa protulerat non verbis ſolum, & diſputationibus, ſed etiam factis ejuscemodi, quæ totum eccleſiæ turbarent ſtatum, eaque omnia mala inferrent, quæ lugere GERSONEM modo vidimus: dum nimirum ſincerus amor pacis, & ſereniſſima veritatis amicitia deſereretur, aut impugnaretur, ac pax male in ipſo ſchiſmate quæreretur. Inter hæc condonari poterat, ſi aſperiora tunc remedia tantis malis excogitarentur: cujusmodi illud de eminentia concilii ſupra Papam in concilio præſertim Conſtantienſi excogitata, & poſtea in concilio Baſileenſi ultra metas elata.

VI. Convocarat JOANNES XXIII. Conſtantiam concilium, jamque ei præſens adfue- Concilii Conſtantienſis cir-

ca hanc rem decretum a Baſileenſi quomodo applicatum?

adfuerat. Sed cum non ſatis Patribus fideret, ac dignitati ſuæ, aufugit. Nolim ego cauſas hujus diſcernere fugæ. Id conſtat, inde ingentem diſceptationem exortam. *Ample*, inquit NIEM in vita JOANNIS, *multumque locuti fuerunt contra ipſum concilium ſcilicet, quod diſſolutum eſſet propter abſentiam, & receſſum.* Niſi juſta præbita ſit diſcedendi cauſa, nemo excuſet de hoc facinore JOANNEM, quo communionis leges violatæ ſunt peſſimo exemplo, ut a Pontificibus pro lubitu ſolemniſſimi conventus, quos ipſi convocarant, diſceſſu ſuo, aut alio modo diſſolverentur. Eſſet hoc fruſtrari divinæ providentiæ circa eccleſiam ſuam conſilia. Sed hæc in medio nunc relinquimus. Quid gliſcente hac lite factum ſit Conſtantiæ, videamus. *Et eis reſponſum*, pergit citatus auctor, *alacriter per plures de ipſo concilio viros magnæ auctoritatis, & ſcientificos, ſcilicet quod Papa non eſſet ſupra concilium, ſed ſub concilio, & facta illic contentio magna hinc inde.* Atque hinc occaſio enata, ut celebre illud Seſſ. IV. ederetur decretum, quo ſtatutum, & declaratum: *Quod ipſa ſynodus in Spiritu ſancto congregata legitime, generale concilium faciens, & eccleſiam catholicam repræſentans poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujus-*

juscunque ſtatus vel conditionis etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem eccleſiæ DEI in capite, & membris. Quæ omnia in ſequenti Seſſ. V. pluribus adhuc inculcata, ac repetita fuerunt. Hoc illud eſt pomum eridos, quod ad hodiernum uſque diem tot turbas, & tumultus excitavit. In ſynodo Baſileenſi initio ſtatim non ſolum decretum iſtud eſt auctoratum, verum etiam pro fundamento rerum gerendarum poſitum, & ſæpius inculcatum per ſubſequentes ſeſſiones. EUGENIUS IV. vitio vertit Patribus Baſileenſibus, eos detorſiſſe in malignum ſenſum, & a ſana doctrina penitus alienum decreta ſynodi Conſtantienſis.

VII. Alii ipſum Conſtantienſe decretum non firmo ſatis talo conſiſtere cenſent. Quamvis enim in Seſſ. IV. magnus Patrum numerus ſeſe collegerit, cum undecim etiam Cardinalibus, imperatore ipſo, ac regum principumque imperii legatis, nihilominus dubitant, an pro œcumenico ſtatuto haberi debeat, eoquod Cardinalis re prius cum collegis collata articulum reformationis in capite & membris legi detrectaſſet, ac poſt ſeſſionem ipſam inter nationes quatuor tu-

Et ab ipſo concilio Conſtantienſi editum.

multus ortus fuerit, licet autem convenerint inter ſe, ut ſequenti ſeſſione decretum integrum legeretur, neque ab imperatore impetrare poſſent Cardinales, ne quatuor nationes ſuſceptum concilii exequerentur, primum tamen unacum Galliæ oratoribus ſeſe publice oppoſuerunt, profeſſi ſe ſeſſionem haud adituros, dum vero nihilominus poſtea adierunt, id fecerunt præmiſſa proteſtatione in camera paramentorum palatii Conſtantienſis ſecreto facta: *Quod*, ut habent acta, *propter ſcandalum evitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, qui audiverunt in ipſa ſtatui debere.* Neque dici poteſt ſolos obſtitiſſe Cardinales. Ea fuerat ratio inducta, ut ſecundum nationes res definiretur, quibus prius quæſtio examinanda proponebatur; id autem examen ſecundum pluralitatem votorum conſtituebatur, ut adeo tertia parte licet diſſentiente tamen ad definitionem procedi poterat. Quod ſi certe perpendamus, quæ ante hoc concilium fuerit ſententia, quæ decreto etiam oblitterari haud potuerit, quid ſtatui poſſit, facile patebit. *Ante celebrationem*, ipſum *Jo.* GERSONEM (*a*) teſtem adduco, *ſacroſanctæ hujus Conſtantienſis ſynodi, ſic occupaverat mentes plu-*

(*a*) De Poteſt. eccl. Conſid. 12.

plurimarum litterarum magis, quam litteratorum iſta traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravitate ſuſpectus, vel damnatus. Hujus rei ſignum accipe; quia poſt declarationem, & quod urgentius ſit poſt determinationem, & prædicationem ejusdem ſanctæ ſynodi inveniantur, qui talia paſſim aſſerere non paveant. Quei vero fieri potuiſſet hoc, ut non tanquam hæretici declararentur, qui decreto concilii generalis obſtitiſſent, ſi exiſtimatum fuiſſet vere conciliariter eſſe factum? Quod dicit GERSON ante concilium contrarium dogmatizantem de hæretica pravitate ſuſpectum, aut damnandum fuiſſe, oſtendit traditionem defuiſſe, ad contrariam ſententiam ſaltem de fide definiendam: cujus etiam nullum examen initum ante ſeſſionem memoratur. Addunt, quod obedientia BENEDICTI, Arragones, & Caſtellani, nec minus GREGORII necdum ſe concilio dediderant; quod vero obedientiam GREGORII XII. ad duos, aut quatuor epiſcopos redigant, habetur ex coll. act. Conc. von der HART (*a*) auctor contemporaneus *Theodorum* URIE, qui ſe de illius obedientia teſtatur, ſub qua etiam plures recenſet præſules, qui concilio interfuerunt, ut epiſcopum Spiren-

Dd 3 ſem,

(*a*) T. I. p. 156.

ſem, Wormatienſem, Verdenſem, archiepiſcopum Trevirenſem, aliosque. Ex Ungaria, imo Italia etiam non ſolum plures archiepiſcopos, & epiſcopos, ſed etiam patriarchas Cpolitanum, Antiochenum, Gredenſem, & Alexandrinum. Illuſt. PETITIDIER ex actis obſervavit, Palatinatum, Bavariam, magnamque Germaniæ partem huic Pontifici adhuc fuiſſe addictam.

An communio poteſtatis eccleſiaſticæ ſufficiens ad illius decreti auctoritatem obtinuerit in Conc. Conſtant.

VIII. Nolumus his nos omnibus plenam fidem dare, nec etiam robur omne detrahere. At ſi ſtatuatur JOANNES XXIII. legitimus fuiſſe tunc Pontifex, duo vero reliqui ſaltem dubii, etſi agnoſcatur conciliariter quidquam decerni potuiſſe, præſertim pro illis circumſtantiis delendi ſchiſmatis, unionisque reſtaurandæ; parum tamen decreto illo conſultum fuerit, in ejusmodi eccleſiæ neceſſitatibus, quando Pontifices, de quibus ageretur, nollent communicare, conſpirareque eccleſiæ conciliandæ. Dudum obſervavit *Thomas* de CORSELLIS in propoſitione ſolemni facta Biturigibus præſente rege in concilio eccleſiæ Gallicanæ, etiam condemnationem propoſitionum WICLEFFI, ac decretum de communione ſub utraque ſpecie ante conciliationem obedientiæ fuiſſe factam: *Et ſic apparet*, inquit loco citato, *quod Martinus*

Martinus approbat, fuiſſe verum concilium Conſtantienſe repræſentans univerſalem eccleſiam non ſolum pro tempore, quo jam ibi erant tres obedientiæ, ſed etiam pro tempore præcedenti, in quo licet non eſſent ibi actu omnes, tamen omnes erant vocatæ, & poſtquam ibi fuerunt, approbaverunt ibi antea fuiſſe concilium. Non in hoc nos adverſamur, ſed alio ex capite nec conciliarem fuiſſe deciſionem, nec a MARTINO approbatam, quæ Seſſ. IV. & V. facta eſt, defendere licet: quod nimirum communioni poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes, epiſcopos & Pontificem repugnet. Quod ipſam naturam ac eſſentiam attinet regiminis a Chriſto inſtituti, ut ſicut PETRUS & apoſtoli, ita eorum ſucceſſores Pontifex & epiſcopi in communione poteſtatis, non diviſione cathedræ unius ejusdemque, eccleſiam gubernare, ac paſcere verbo divino debent. Hoc maxime paſtores faciunt congregati in conciliis, ſi ſecundum ordinem a Chriſto inſtitutum agant, non inter ſe digladiantes, ac communem impugnantes, deſtruentesque poteſtatem, ſed mutuis conſiliis, & conſenſione amica avitam traditionem ſtabilientes, non novas obtrudentes doctrinas. Nec dubitandum eſt agente divino Numine, atque eccle-

ſiæ ſuæ aſſiſtente ſemper conſenſionem futuram inter ſummos eccleſiæ principes tam in concilio coactos, quam in orbe diſperſos, quando de capite aliquo fidei ex ſcriptura, aut traditione definiendo agitur, neque unquam contrarias doctrinas propoſituros, aut ſecuturos antiſtites ad communionem legitimæ poteſtatis pertinentes. *Quod nos attinet,* a. utor verbis illuſt. PETITIDIER (*a*), *contendimus hunc caſum eſſe de ſubjecto non ſupponente, nunquam eveniſſe, nec unquam eventurum, cum hoc promiſſioni Chriſti, quæ non pro aliqua eccleſiæ parte, ſed pro tota eccleſia facta eſt, & qua ſupponitur membra a ſuo capite ſeparari haud debere, contrarium ſit. Quodſi nihilominus ab impoſſibili argumentari liceat, dicimus, quod hoc caſu neutri parti eſſet adhærendum, enimvero ſignum foret, quod quæſtio hujusmodi nondum ſufficienter dilucidata eſſet, eamque in aliud tempus differre oporteret.* Hæc auctor ille. Quibus nos ultro ſubſcribimus, atque quoad præſentem controverſiam notamus, nobis minime videri, ſi ratum fuiſſet decretum Seſſ. IV. MARTINUM V. in ipſo concilio bullam editurum fuiſſe, qua prohibet, ne a Papæ judiciis ad concilium generale appellaretur; quod factum eſſe,

(*a*) Diſſ. de mente Conc. Conſt. c. 7.

ſe, a teſte omni exceptione majore hoc in capite ipſo *Jo.* GERSONE diſcimus, tametſi bulla illa nunc non extet, nec habeatur documentum aliquod, quod Patres ei ſeſe oppoſuerint, vel reclamarint; quod tamen faciendum fuiſſet, ſi ſtandum putaſſent decretis Seſſ. IV. & V. ſaltem aliis extra ſchiſma caſibus. Non refert dicere forte publicatam illam haud fuiſſe: cum penitus latere haud potuerit, quæ *Jo.* GERSONI legato regis Galliarum ac concilii motori præcipuo cognita erat, atque publico ſcripto memorata.

Refragantibus ſummis Pontificibus.

IX. Qua de re quidquid ſit, hoc nobis ſaltem mentem aperit MARTINI V. alienam ab approbatione Seſſ. IV. & V. Potuitne is non ſolum diſtinctum, ſed etiam ſuperius concilii tribunal tribunali, ac cathedra Pontificis agnoſcere, & auctorare, dum ex altera parte cavit, ne ab hoc ad illud appelletur? Tribunali enim ad tribunal aliud diverſum, idque ſuperius recurrere, quis prohibeat? Quoniam igitur omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei conciliariter ratificavit, ſequitur eum decreta Seſſ. IV. & V. nec de fide eſſe exiſtimaſſe, nec conciliariter concluſa. Primum inde palam fit, quod propoſitio, ac doctrina in verbo divino ſcripto, aut tradito haud contenta, ad fi-

dem trahi haud poſſit: cujusmodi eſt, quando tribunal contra tribunal, cathedra adverſus cathedram ſtatuitur; dum non ſolum contentio fit, ſed etiam deciſio, quis inter ſummos eccleſiæ principes ſuccedentes apoſtolorum collegio ſit major? Quod eſt contra, non ſecundum verbum divinum, ac Chriſti inſtitutum, ac votum ardens ad Patrem factum, *ut ſint unum.* Atque hoc eſt primum contra communionem poteſtatis eccleſiaſticæ peccatum. Alterum huic conſequens, quod, cui primæ in judiciis præſertim fidei debentur partes, PETRI ſucceſſor, nec interfuerit, nec acceſſerit huic definitioni, atque ita communio eadem hic non habeatur. Verum eſt, JOANNEM etiam poſt ſeceſſionem ſuam legatis concilii ad ſe miſſis declaraſſe dolorem ſuum de arrepta fuga, ac ſignificaſſe, ſeſe paratum eſſe determinationi, & ordinationi parere, eamque ratificare, optimeque ſcire, & affirmare concilium Conſtantienſe ſanctiſſimum eſſe, neque errare poſſe. Sed hæc de illis intelligenda ſunt, quæ ſe aut prius, aut poſterius annuente quoad ſuam abdicationem a pontificatu in caſu ſingulari ſunt acta, ubi communio poteſtatis non eſt læſa niſi in modo, qui a Pontifice non fuit probatus. Teſtatur, qui

his

his omnibus Conſtantiæ præſens adfuerat Card. a TURRECREMATA, JOANNEM XXIII. cum (poſtquam Schaffhuſam ſe receperat) geſta percepiſſet, de illis, tanquam de attentato adverſus ſummorum Pontificum auctoritatem, erroneaque doctrina ipſo abſente, nec participante in medium prolata, conqueſtum eſſe. Facile concordia initur, optimeque conſulitur auctoritati concilii Conſtantienſis, ſi in illis admittatur, quæ ſecundum leges communionis eccleſiaſticæ etiam circa JOANNEM XXIII. aliosque pontificatum tunc obſidentes ſunt geſta quoad illas circumſtantias, & caſum ſingularem, non univerſalem deciſionem. Quemadmodum non multo poſt conſtanter EUGENIUS IV. adverſus Baſileenſis concilii auſa, non rejecta concilii Conſtantienſis auctoritate, defendit, decreta hæc ultra Conſtantienſis ſynodi circumſtantias extendi non debere, aut poſſe. Idem vero quod Baſileenſe ipſum concilium huic nixum fundamento attentaſſet, ab eo omni approbando quantum abhorreret tum factis haud ſemel, cum verbis etiam, ac imprimis luculenter litteris ad Venetorum ducem datis declaravit, quæ apud RAYNALDUM ad an. 1433. n. 19. leguntur, quam fortiter imperatori flagitanti, ut concilio illi

hære-

hæreret omnino, recuſarit. *Potius enim*, ſcribit, *hanc apoſtolicam dignitatem, & vitam inſuper poſuiſſemus, quam voluiſſemus eſſe cauſa, & initium, ut pontificalis dignitas, & ſedis apoſtolicæ auctoritas ſubmitteretur concilio, quod nunquam antea, neque aliquis noſtrorum prædeceſſorum fecit, neque ab illo extitit requiſitum.*

Nunquam decretum illud uſum aliquem habere potuit optatum in conciliis.

X. Atque hoc eſt, quod SERIPANDUS in concilio Trid. cum docta eloquentia pro perſonæ ſuæ, ac materiæ gravitate, ut de eo refert Card. PALLAVICINUS (*a*), in frequentia Patrum peroravit, cum idem dubium moveretur, Gallis ad Conſtantienſe concilium provocantibus. Nimirum dicebat, fundamentum a concilio Conſtantienſi acceptum non eſſe ſolidum: quod eo tempore, cum certus non haberetur Pontifex, ad ſchiſma tollendum neceſſe fuerit declarationem a concilio fieri, quod etiam ſuperius dici poſſit Pontificibus controverſis: contra vero quando certus, legitimus, & indubitatus ſit Pontifex ei totam ſubeſſe eccleſiam. Quæ ſi ad concilii Conſtantienſis circumſtantias referantur, ad mentem Patrum Conſtantienſium non ſatis accedunt, qui JOANNEM pro minime dubio Pontifice habebant, neque tantum in cauſa ſchiſmatis, ſed etiam

(*a*) Lib. XIX. c. 14. n. 5.

etiam fidei, & reformationis in capite, & membris concilio ſubjectum eſſe contendebant. Non tunc tamen de fide agebatur, nulla quippe JOANNES ob fidem ſuſpicione laborabat; tantum de abdicatione ejus ad unionem reſtituendam, cui poſtea primum ſupervenit conſilium ob crimina deponendi JOANNEM. Primum quod ſpectabat, ultro ſe JOANNES ſubjiciebat, alterum generoſe ſufferebat, jure vel injuria ſecum ageretur: ſicque ſpontanea judicii acceptatione non prorſus peſſumdata communio poteſtatis, atque eminentia capitis fuerat, nec prærogativa ſedis ſublata, quæ non ad ambitionem, uſurpationemque dignitatis propriæ, ſed ad utilitatem eccleſiæ pertinet, cui omnia ſunt conſecranda jura omniaque ſecundum evangelicam legem charitati ſervire debent, quæ in republica chriſtiana ſuprema lex eſt, hujus autem ſpontanea ſunt molimina præſertim inter ſummos eccleſiæ præſules, ut e re non fuerit vim coercitivam, coactivamque ſtrinxiſſe, decreviſſeque, atque in eccleſiam unicum illud, ac idem corpus, duo ſuprema introducere capita, ac tribunalia, quorum quodlibet de præſtantia decertaret, & ſuperius ſe jactaret; unde utrinque exceſſus, ac uſurpationes pronæ fuerunt, dum nihil minus

nus etiam cogitaretur, ſed utraque pars paci, & unitati ſtudere ſibi blandiretur. Cujus rei documenta mox poſt concilium Conſtantienſe in Baſileenſi plus ſatis ſeſe prodiderunt; ex una parte EUGENII legati monuerunt graviſſime Patres, caverent diligenter, ne ſchiſma eſſet in eccleſiæ corpore, quod certo futurum ſit, graviaque ſcandala naſcitura, ſi manerent Baſileæ. Ex altera parte reſponde-
a. runt Patres (a): *Non eſſe contriſtandum Spiritum ſanctum: illos vero S. Spiritum contriſtare, & a ſe repellere, qui operibus charitatis adverſantur: opera charitatis eſſe eaque ſumma, dare, ut in ſynodo legitime congregata per duos Pontifices Martinum, & Eugenium hæreſes extirpentur, omnes populi chriſtiani ad eccleſiam catholicam uniantur, & accurate, quæ eſſent chriſtianæ, & catholicæ veritatis, edoceantur &c. &c.* Ideoque Patres etiam atque etiam ſummum Pontificem exorant, ne diſſolutione concilii, quod hæc omnia bona facere paratum eſt, Spiritum S. contriſtare velit. Quodque ejus oratores ſuadent, dandam operam ne ſit ſchiſma in corpore, hoc ipſum de EUGENIO rectius dici poſſe: quippe qui ſynodum, quæ eccleſiam catholicam repræſentat,

(a) Reſponſ. ſyn. de auct. cujuslibet Conc. gen. ſupra Papam.

ſentat, diſſolutione concilii conturbet, & ſcindat. Quis non afficiatur piis ejusmodi ſtudiis, ac deſideriis? ſed nihil proficere poterant deficiente compage charitatis, & communione poteſtatis. Quæ, quando ante in omnibus conciliis, & poſtea in Tridentino potiſſimum fuit reſtituta, ipſis etiam Gallis ſtudioſe declinantibus, ne controverſia de ſuperiori, aut inferiori poteſtate concilii, aut Pontificis promeretur, optime omnia ceſſerunt. *Siluit ergo noſtrorum maxime aſſenſu*, inquit *Lud.* THOMASINUS (*a*), *illa tunc quæſtio, & inde concilio pax, atque auctoritas accrevit, quod ſuam ipſi Pontifex, & viciſſim ſuam ipſum Pontifici definiendi, & ſtatuendi poteſtatem accumulavit, ut ſupra laudatus advertebat Hottmannus, Pium IV. concilii judicium eſſe voluiſſe, etiam de rebus ſedi apoſtolicæ proprie reſervatis. Qua ſua cum concilii Patribus conſpiratione confeſſi ſunt noſtrates tunc Galli, diſputationes illas ſcholæ clauſtris cohibendas eſſe, nec ad concilia, vel rerum eccleſiaſticarum tractationem vocandas, quibus nihil conducibilius, nihil optatius eſſe poteſt ſumma capitis, & corporis totius eccleſiæ charitate, & conglutinatione.* Profecto hactenus, quemadmodum in ſcholæ velitationibus, digladiationibusque perpetuo diſputatur, nun- a.

(*a*) Differt. XVIII. in Conc. n. 107.

nunquam in ſententiam convenitur, aut aliquid certi elicitur; ita quando pro fundamento poſitum eſt ſcitum illud de ſuperiori concilii, & Pontificis auctoritate, in conflictu res manſit, atque ſaluberrimæ, eccleſiæque neceſſariæ rerum tractationes fructu caruerunt, deficiente communione legitimæ poteſtatis. Ac quidem quoad primum, ac præcipuum caput rerum fidei, licet nunquam talis diſſenſus fuerit, nec futurus ſit (DEO providente, eccleſiamque ſuam centro unitatis in fidei conſenſione adglutinante) controverſia hæc tamen in cauſa fuit, ut inter ſe diſtractis poteſtatibus, neque in communia conſpirantibus conſilia, hæreſum monſtra non adeo fortiter, ac cito, proſtrata jacuerint. Quod in concilio Baſileenſi claruit in Bohemica hæreſi, ac poſtea in Janſeniana, dum illic EUGENIUS, hic Galli conatibus non ſatis reſpondent. De ſchiſmate inter ſummos Pontifices ſuo loco vidimus, auctoritatem concilii interpoſitam, niſi ſpontanea accedente ceſſione contendentium, malum non penitus potuiſſe tollere. Quoad tertium caput reformationis acta Conc. Conſtant. docent decretum Seſſ. IV. publicatum omiſſa clauſula: *Et reformationem eccleſiæ in capite, & membris.* Quæ tamen poſtea obtruſa clauſula impedi-

pedivit ſemper, atque obſtaculo fuit, ne tantopere exoptata reformatio tunc ſuccederet, quod neceſſaria communio, conſpiratioque nunquam obtineri potuerit: neque unquam coaleſcere concilium aliquod valuit huic negotio præcipue deſtinatum, quam frequenter etiam, juxta Dec. *Frequens* in concilio Conſtant. ſtabilitum, faciendum fuiſſet. Satis vero perſenſerunt, quam fruſtra reformationis negotium ſuſciperetur ſine Pontifice, ipſi Conſtantienſes Patres, qui animum inducere non potuerunt, ut ei incumberent, in futurum Pontificem illud exonerantes.

Nec robur aut vim deſtitutum communione legitimæ poteſtatis.

XI. Quod vero in hac re palmare eſt, ipſumque rei caput ſpectat, toto proceſſu hujus controverſiæ uſque ad hunc diem ſeſe prodidit communionis hujusce, de qua ſumus ſolliciti, manifeſtatio, atque clariſſima lux. Nihil non moliuntur, qui decretis Seſſ. IV. V. Conc. Conſtant. adhærent, ut MARTINUM V. demonſtrent ſua auctoritate confirmando roboraſſe, quamquam admittere nolint confirmatione hac ipſa ſe Pontificem ſuperiorem oſtendiſſe: quodſi illa nihil opus fuit in iſta fidei deciſione, ut quid pro ea ſolliciti fuerunt Patres Conſtantienſes, laborantque Superioriſtæ? Illuſt. BOSSUET ipſam com-

municationem MARTINI V. cum concilio Conſtantienſi tum antequam factus fuerat Pontifex, cum poſtea pro validiſſima auctoritate, & approbatione habet. *Quippe*, inquit ille (*a*), *eccleſiaſtica geſta, atque decreta ipſa unitas firmat, rerumque confirmatio eſt ipſa teſtificatio unitatis.* Quam nos inſignem veritatem gratanter accipimus: dolenter vero inſpicimus, eam non ſolum hic conculcari, ſed etiam male applicari. Licet eo loci hoc fundamento approbationem MARTINI V. probare geſtiat, mox tamen LUPUM, aliosque falſi accerſit dicentes, quod Conſtantienſes Patres confirmationem decretorum ſuorum more conſueto per expreſſum e. c. diploma petierint. Et ſane bulla *Inter cunctas*, tantum quæ adverſus WICLEFFUM, & HUSSUM geſta erant, comprobavit. Quod vero ſeſſione ultima edixit, ſe, quæ de fide, & conciliariter acta ſint, rata habere, id, ſecundum ipſum BOSSUETUM, *neque petente ſynodo, neque ad cujusquam inſtantiam, ſed occaſione Polonorum obiter, atque aliud agendo dictum, geſta ipſa teſtantur.* Hæc ille, atque eorum mox oblitus, hinc confirmationem ſine omni ſcrupulo elicere vult. *Ne quis tamen,*

a.

(*a*) Boss. Def. Declar. cler. Gall. P. II. L. IX. c. 28.

men, ait (*a*), *ſcrupulus ſupereſſe poſſit, addimus decreta ea Seſſ. IV. & V. de quibus agimus, & ad fidem pertinere, & conciliariter facta eſſe. Ad fidem quidem pertinent, quæ pertinent ad interpretationem divini juris, & ad traditam immediate a Chriſto Petri ſucceſſoribus, atque epiſcopis in concilio generali ſedentibus poteſtatem, neque Bellarminus, aut alii diffitentur. Quod autem conciliariter facta ſint, conſtat quæ in publica ſeſſione, imo in duabus publicis ſeſſionibus prolata eſſe vidimus.* Quæ ſi ita ſe habeant, non ſolum vicerunt Galli, ſed etiam reliquus orbis huic doctrinæ non ſubſcribens, atque a partibus Pontificis ſtans, hæreticus eſt. Et ſane huc famoſæ illæ tres veritates a concilio Baſileenſi decretæ tendunt (*b*). *Ut veritas de poteſtate concilii generalis ſupra Papam declarata per Conſtantienſe generalia concilia ſit veritas fidei catholicæ: ut veritas hæc, quod Papa concilium generale ſine ejus conſenſu nullatenus auctoritative poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, ſit fidei catholicæ, ut veritatibus his duabus pertinaciter repugnans ſit cenſendus hæreticus.* Dira ſunt hæc, ſed extra teli jactum. Temperatiores fuerunt concilii

a.

b.

(*a*) Id. c. 19.
(*b*) Seſſ. XXIII. Conc. Baſil.

Conſtantienſis Patres, qui gravibus doctoribus viſi ſunt ideo haud voluiſſe tractare ex propoſito ad quæſtionem fidei, nec intendiſſe ibi dogmata fidei ſtatuere, aut hæreſes, vel errores damnare: neque decretum famoſum Seſſ. IV. fuiſſe per modum definitionis: quia non additur ita ſecundum fidem catholicam eſſe tenendum: nec dicitur anathema contrarium ſentientibus. Ita *Melchior* Canus, Bellarminus, doctores Lovanienſes, alii. *C.* Cajetanus contra exiſtimat decreta concilii de auctoritate non pertinere ad fidem, quod Seſſ. IV. & V. nondum facta ſit deputatio virorum ſelectorum, qui res ad fidem ſpectantes examinarent: quod primum Seſſ. VI. factum fuerit. Addit Bellarminus, quod non aderat tunc certus Papa in eccleſia, ſine quo dubia de fide definiri non poſſunt. At ſane pro tali agnitus fuerat Joannes XXIII. ſed nihil hoc obeſt, cum hactenus nunquam communio poteſtatis in hac cauſa coaluerit, ipſique adverſarii in pace, & unitate vivant cum adverſa parte: quod quei facere queant, ſi fixum habent, firmum fidei dogma non tantum hic involvi, ſed etiam conciliariter eſſe evolutum, & definitum?

Ut in neutram partem hujus concilii auctoritatem dero-

XII. Quo ſtabilito, debent decreto

derogantem reliquum orbem, hoc eſt eccleſiam Romanæ eccleſiæ unitam, tanquam hæreticam abominari. Sed mitiora gerunt conſilia, placetque temperamentum illud, quod nobis ipſi etiam ſcriptores Galli offerunt. Ex his *Ludov.* MAIMBOURG (*a*) audiamus. *Ainſi ny l'une ny l'autre de ces deux opinions n'eſt contre la foy, & chacune ſans tache d'erreur a ſes partiſans, quoy que l'une en ait aſſeurement bien plus que l'autre. Et pour moy ſi j'oſe dire mon avis, non pas ſur le fond de la queſtion, mais ſur la conduite, je croirois, comme M. du Val s'en eſt expliqué, qu'il voudroit beaucoup mieux que chacun retint en luy meſme ſon ſentiment particulier ſur un point ſi delicat, ſans en diſputer, ce qui ne ſervit, dit-il, quand on renouvelle cette diſpute il y a plus de ſoixante ans, qu'a exciter beaucoup de troubles, & toutes cés fâcheuſes querelles qui ſont maintenant aſſoupies.* Licuit parti alteri a Pontifice ſtanti adhuc eſſe multo mitiori æquanimiorique, quod nulla ejusmodi præjudicia ſaltem æque urgentia ad tam immites cenſuras compulerint. Quæ enim a conciliis poſtea ſunt in hac materia geſta, potius ad correctionem, juſtamque moderationem decreto-

tem hic aliquid definitum dici queat.

2.

(*a*) Hiſtoire du grand ſchiſme d'occid. T. II. L. V. p. 249.

rum Conc. Conſtant. & Baſileenſis pertinent, quam ad auctorationem adverſæ ſententiæ, Ad calcem concilii Florentini hæc leguntur in litteris unionis Græcorum in hanc rem: *Item definimus ſanctam apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri principis apoſtolorum, ac verum Chriſti vicarium, totiusque eccleſiæ caput, & omnium chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere: & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem eccleſiam a Domino noſtro JESU Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis æcumenicorum conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.* Hæc communionem poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes minime lædunt, juſta ſupremo eccleſiæ capiti decernendo. Concilium Lateranenſe ſub LEONE X. ulcus, ac tumorem propius tangit, ubi hæc inter alia illic referuntur: *Solum Romanum Pontificem tanquam auctoritatem ſuper omnia concilia habentem conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis SS. Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque canonum decre-*

decretis, ſed & propria etiam eorundem conciliorum confeſſione manifeſte conſtare. Quamquam hic expreſſiſſime definita res BELLARMINO videatur, ſuperiorem concilio eſſe Papam; quæ tamen adduntur, commodum ſenſum faciunt non de abſoluto aliquo dominatu, ac monarchia, qualem adverſarii concipiunt, ſed de prærogativa capitis juxta legem communionis poteſtatis eccleſiaſticæ in ſcripturis, ac tota retro antiquitate eccleſiaſtica declaratam. Neque enim vel ipſi adverſarii hunc primatum, prærogativamque capitis rejiciunt, ac agnoſcit illuſt. BOSSUET (*a*) pontificiam poteſtatem ſupremam eſſe tanquam ordinariam, conciliarem vero extraordinariis in caſibus, ac raro eventuris. At nos eandem ſibi ſimilem ſemper agnoſcimus eccleſiaſtici regiminis formam, in communione poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem, & epiſcopos: ut Pontifici eadem ſemper competat capitis prærogativa, quatenus non quidem eccleſiæ ſubdatur, at abſolutum monarcham non agat, habeatque plenitudinem poteſtatis, ſed non ſolus, cæteris in partem ſolicitudinis vocatis juxta apoſtolicam inſtitutionem, ac eccleſiæ veteris uſum ex legibus evangelicis, & a.

(*a*) Def. decl. cler. Gall. P. I. L. III. c. 1.

traditione formatum. Ita mihi explicandi videntur theologi, quorum hanc inter alias ſententias ultimo loco refert *And.* DU VALLIUS (*a*), *Ad concilium Lateranenſe*, inquit, *quod multo expreſſius loquitur, quam Florentinum, variæ ſunt reſponſiones: quidam enim ajunt, non fuiſſe vere, & proprie generale, cum ei vix centum epiſcopi interfuerint. Alii dicunt caput illud XI. in quo de auctoritate concilii ſupra Pontificem mentio fit, a concilio non fuiſſe diſcuſſum, aut examinatum, ſed tantum perlectum coram prælatis concilii: qui ſine prævio examine illud approbarunt, ideoque dici non poſſe conciliariter concluſum, & definitum, ſicut de concilii Conſtantienſis definitione dictum eſt. Alii ſic rem expediunt, etiamſi, inquiunt, concilium abſolute fuiſſet generale (quod adhuc propter epiſcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipſam ut decretum fidei catholicæ non definiunt, nulla enim in concilii verbis nota apparet, ex qua fidei definitionem colligamus. Nam nec anathema pronunciat in eos, qui contra ſentiant: nec dicit, ſe hoc expreſſe, aut proprie definire, aut eſſe de neceſſitate ſalutis ita credere, vel quid ſimile, ex quo expreſſa definitio colligatur. Alii denique reſpondent, concilium eatenus auctoritatem Papæ ſupra con-*

a.

(*a*) De ſuprema Poteſt. Papæ. P. IV. q. 7.

concilium definire, quatenus id ſcripturis, Patribus, & antiquis canonibus manifeſte conſtare cenſetur.

XIII. Quæſtio hæc variis occaſionibus etiam in concilio Tridentino eſt commota, petieruntque legati MAURICII electoris Saxoniæ, ut refert Cardinalis PALLAVICINUS (*a*), ut ante omnia in memoriam revocarent Patres ſanctiones concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis, in quibus ſtatuitur, ut in cauſis fidei, & in iis, quæ ad ipſum Romanum Pontificem ſpectant, ille concilio ſubjiceretur. Inſtabant igitur oratores, ut primo loco id a Patribus Tridentinis declararetur, perinde ac a Baſileenſibus ſeſſione II. ſufflaminabatur poſtulatum iſtud ab hæreticis, a Catholicis autem concilii Patribus merito ceu ſcopuloſum fretum reformidabatur. Quare reſponſum inter alia eſt: alienum a ratione videri, proferre veluti divinum oraculum decretum quoddam illius dubiæ intelligentiæ, & neutiquam confirmatum a MARTINO P. cujus confirmatio tantum extendatur ad fidei dogmata, ibi adverſus recentes hæreſiarchas ſancita. Cæterum cum ad habendum legitime concilium exigerent oratores chriſtianarum nationum omnium interventum, niti non poſſe con-

In concilio Tridentino quid circa hanc quæſtionem agitatum?

(*a*) Hiſt. Conc. Trid. L. XII. c. 15.

cilio Baſileenſi, ad quod infringendum coacta fuerit ſynodus tam ampla, tam nobilis nationum concurſu, cujusmodi fuerit Ferrarienſis, ac dein Florentina, quam poſtea comprobarit eccleſia. Oratoribus urgentibus, ac eo honeſtare petitionem ſuam nitentibus, detectus eſt anguis ſub herba, ſcilicet, cum eſſent de Romano Pontifice multa corrigenda, eidem judicem agere non licere. Repoſuerunt legati multa de ſtatu monarchico, ac regimine, ſtudioſe declinantes tam ſalebroſum ſcopulum, ad quem ſubinde in proſecutione concilii non potuerunt non appropinquare, maxime quando de legitima poteſtate inter eccleſiæ antiſtites agendum occurrebat. Paratus erat canon de pontificia poteſtate
a. hujusmodi (a): *Anathema ſit, ſi quis dixerit, P. Petrum per inſtitutionem Chriſti non fuiſſe primum inter apoſtolos, & ejus vicarium in terra, vel neceſſe non eſſe ut ſit in eccleſia unus Pontifex, Petri ſucceſſor, eique æqualis in auctoritate regiminis, atque in Romana ſede legitimos ejus ſucceſſores ad hoc uſque tempus non habuiſſe jus principatus in eccleſia, nec fuiſſe Patres, paſtores, & doctores omnium chriſtianorum, nec fuiſſe ipſis traditum a Domino noſtro JESU Chriſto plenam poteſtatem paſcendi, regendi,*

(a) Card. Pallav. Hiſt. L. XIX. c. 12.

di, & gubernandi eccleſiam univerſalem. Poterant hæc omnia eo facilius Pontifici tribui, quod in præcedenti jam canone legitimæ epiſcoporum poteſtati proſpectum eſſet, ſimiliter anathemate perculſo, *Si quis dixerit epiſcopos aſſumtos a Romano Pontifice in partem ſollicitudinis non eſſe poſitos a Spiritu S. ad regendam eccleſiam DEI &c.* At altius adhuc inſederant animis contentioſæ litis ſemina: FERERIUS (*a*) ex Gallorum parte 8.
pro certiſſimo poſuit concilium ſupra Romanum Pontificem eſſe: religionem, & eccleſiam Gallicanam non modo id ſentire, ſed profiteri, & jurejurando affirmare tanquam articulum neceſſarium, idque ex concilii Conſtant. auctoritate. Præſcribi ſibi quidem in mandatis regiis, ne hujusmodi controverſiam excitarent: ſed ſimul ne liberum finerent aditum cuilibet verbo, quod illi ipſorum religioni opponeretur. Contra repoſuit primus legatorum ſe nunquam deſtituros in forma canonum, ac doctrinæ ea ponere, quæ ſupremam Pontificis auctoritatem declararent. Si oratores ſtuderent ſuam opinionem tueri, præſides ſtudere veritatem propugnare, hoc eſt, Pontificem ſuperiorem eſſe concilio. Ne inducerent animum,

ut

(*a*) Ib. c. 14. n. 4. & 5.

ut oppoſitam ſententiam agitandam proponerent, neque ut a concilio illius definitionem expoſcerent: ſe tam certos in eo perſiſtere, ut vitam potius amitterent, quam id in dubitationem adduci permitterent. In iſta animorum ac opinionum deſtinatione, ac firmitate utrinque erant partes. Galli, quæ vel ex longinquo ipſorum opinationi adverſari videbantur, conſtantiſſime recuſabant, nec ferebant, ut ſecundum concilium Florentinum in Pontifice Romano auctoritas regendæ univerſalis eccleſiæ ſtatueretur, tanquam adverſum opinioni, quod concilium ſit ſupra Papam. Pontificii ex adverſo contendebant, iniquiſſime id negari Pontifici, quando etiam ante ſynodum Florentinam in eo cognoverit eandem prærogativam alia ſynodus œcumenica in Gallia Lugduni celebrata, exiſtimabantque hujus ſynodi auctoritatem apud Gallos prævalituram
a. (*a*). At Galli conſtanter quamlibet voculam recuſabant, quæ ſummi Pontificis prærogativam ſupra concilium ſonaret, quæque aut Florentinum comprobaret, aut officeret Baſileenſi. Hiſpani, ac Itali epiſcopi pro Pontifice faciebant. Ipſe Pontifex, licet ſuſtinendæ auctoritatis ſuæ ſtudioſus, tamen legatis ſignifica-

(*a*) Id. L. XXI. c. 4.

ficavit per *Card.* BORROMÆUM, ſi etiam quoad voces canonis: *Regendi eccleſiam univerſalem*, arduitas offenderetur ſine diſſidio inſuperabilis, ſatis futurum Pontifici (*a*), ſi nec de ſua, nec de epiſcoporum poteſtate quidquam exprimeretur, illis tantum editis definitionibus, in quas Patres unanimi conſenſu conſpirarent: modo ſedis apoſtolicæ auctoritas haud vulneraretur, ea præſides agerent, quæ in obſequium DEI, & in rem chriſtianam ceſſura exiſtimaretur. Atque hic res ſtetit, falliturque SUAREZ, dum perſuadere conatur, a concilio Trid. prærogativam Romanorum Pontificum ſupra concilia agnitam eſſe. 9.

XIV. Refert Card. PALLAVICINUS, (*b*) alios plerosque præſules præſertim Hiſpanos, licet prærogativæ Romani Pontificis nihil detractum vellent, tamen ampliandæ ſuæ epiſcopali auctoritati vehementer incubuiſſe; in hoc vero Gallos remiſſiores fuiſſe, animum unice convertentes ad moderandam Pontificis monarchiam, ex ſententia recentis conventus Baſileenſis ab ipſis comprobati. *Hoc enim pacto*, inquit purpuratus, *parum illis timenda fuiſſent Pontificis vetita, ac indicta ab eo ſupplicia, cum ſemper iisdem liceret*

Quid a tempore conc. Trid. in Gallia circa hanc controverſiam acciderit.

(*a*) Id. L. XIX. c. 15.
(*b*) Hiſt. conc. Trid. L. XXI. c. 4.

liceret ea retundere, concilium ſive convocantibus, ſive minitantibus, cui idcirco tribuebant auctoritatem ſupra Pontificem, & quanta ſit in eccleſia, pleniſſimam. De hoc Gallicanorum præſulum conſilio dubitare nos non ſinunt, quæ poſt ea tempora diverſis occaſionibus ſunt geſta, quibus ſe ſæpe regum etiam ſtudio Pontifici opponebant. Quorſum refert cauſam celebris illius declarationis cleri Gallicani inter ſimultates, atque contentiones acerbas, quæ Galliæ regem inter, & Romanum Pontificem ob regalia intercedebant ſub LUDOVICO XIV. Qua declaratione, ſæpe jam memorata, fines, ac limites pontificiæ poteſtatis ſunt conſtituti juxta concilii Conſtant.
2. & Baſileenſis decreta, declaratumque (*a*), ſic ineſſe apoſtolicæ ſedi, ac PETRI ſucceſſoribus Chriſti vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant, atque immota conſiſtant ſanctæ œcumenicæ ſynodi Conſtant. a ſede apoſtolica comprobatæ, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius eccleſiæ uſu confirmata, atque ab eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quæ ſeſſione IV. & V. continentur; nec probari a Gallicana eccleſia, qui

(*a*) Art. II. Declar. cler. Gall.

qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus concilii dicta detorqueant. Hæc tam rotunde, tam aſſertim dicta, ne quid gravius dicam, contra communem perſuaſionem præcipuæ orbis chriſtiani partis, non potuerunt non magnos motus, acresque contradictiones parere. Paſſim non ſolum libris editis perſtringebatur, imo *proſcribebatur* etiam, utor verbo præcipui defenſoris (*a*) hujus declarationis, ut quæ faveat hæreticis, Romanum Pontificem dignitate primatus divina ordinatione conſtituti exuat, & ſedem apoſtolicam labefactet; quin etiam exſuſcitet WICLEFFI errores, a Conſtant. concilio condemnatos. Ex longinqua etiam Ungaria vehemens cenſura advenit, oſtentata primum concilii nationalis auctoritate. Regni Primas illuſt. GEORGIUS archiep. Strigonienſis, dum interim ſynodus illa celebretur, non dubitavit cleri Gallicani hæc decreta contingere, propoſitiones interdicere, proſcribere, prohibere, ut quæ chriſtianis auribus abſurdæ, ac plane deteſtabiles, atque a ſatanæ miniſtris diſſeminatæ, blandæ pietatis ſpecie ſchiſmaticum virus inſtillent. Nimirum præſeferebant declarationis 2.

(*a*) Præf. auctoris Def. Declar. cler. Gall.

tionis iſtius conditores, ac prima ſtatim facie oſtentabant magnificam de auctoritate Romani Pontificis exiſtimationem. *Neque velimus*, inquit, qui hoc in negotio magnas habuit partes mox laudata in præfatione, *quod Catholici omnes, ſummique Pontifices merito perhorreſcant, eccleſiæ, tanti corporis imbecille eſſe caput ipſum ſcilicet Rom. Pontificem: ſed firmiſſimum, valentiſſimumque conciliorum auctorem, principem, executorem, canonum cuſtodem, atque ubi res poſtulat, æquum interpretem, & diſpenſatorem providum, imo etiam conditorem, fidei, & traditionis toto orbe terrarum aſſertorem a Chriſto inſtitutum: denique adverſus contumaces quosque ſive epiſcopos, ſive alios in Chriſti nomine contemtæ eccleſiæ præſentem vindicem.* In ipſa etiam declaratione præcipuæ adſcribuntur in fidei quæſtionibus Romano Pontifici partes.

Non ſolum Pontificiæ,

XV. At ampla hæc, multis acutioribus verba tantum eſſe videntur, ſi interim non ſolum concilio inferior ſtatuatur, ſed etiam ejus decreta, ut fit in Gallia, cujusque epiſcopi examini ſubjiciuntur, antequam ſuſcipiantur. Imo illuſtriſſimo PETITIDIER in dicta declaratione aperta contradictio eſſe videtur: dum primum habetur, in quæſtionibus fidei præcipuas ſummi Pontificis

ficis esse partes, postea additur, nec tamen irreformabile esse ejus judicium, nisi accesserit ecclesiæ consensus: *Eo-quod*, inquit (*a*) *ad conditionem ultimi ecclesiæ episcopi dictus summus Pontifex redigatur, nec ipsi major auctoritas tribuatur, quam minimæ totius orbis diœcesis præsul altera suæ consecrationis die habeat.* Id autem probatum it secundum ipsa Gallicanorum theologorum principia, qui tenent, quod episcopi hujusmodi quæstiones ante Papam, cum Papa, ac post Papam definire possint. Quis autem neget, quodsi omnes totius mundi episcopi unius præsulis decisioni consentiant, eamque tanquam articulum fidei recipiant, ipsius judicium post hæc irreformabile futurum fore? Sic plane in fumum abeunt præcipuæ illæ partes, quas tribunnt Gallicani Romano præsuli in rebus fidei, nisi singularis ejusmodi prærogativa in Pontifice agnoscatur per divinam assistentiam providentiamque rite ejusmodi decreta a Romana sede emanatura, alia non fore, quam catholicam, ac orthodoxam Ecclesiæ doctrinam, consequenter nunquam repudianda. Quod statuimus, si conformatum sit judicium Romani Pon-

(*a*) Tr. de auctorit. & infallib. Rom. Pont. c. 14.

tificis, ſecundum leges communionis in legitima poteſtate exercenda inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem & epiſcopos: quæ communio pariter violatur, quando Pontifex concilio ſubjicitur, ſive aſſiſtat concilio ei præſidendo, ſive non aſſiſtat, atque eidem tamquam repugnans ſpectetur pars. Quæ eſt ſolemnis illa doctrina, de qua Card. Lotharingus Pontifici ſignificanda
a. ſuum Romæ procuratorem inſtruxit (*a*): *Se in univerſitate Pariſienſi educatum, in qua doceatur, concilii auctoritatem pontificia ſuperiorem eſſe, atque hæreſis notentur, qui contra ſentiant.* Quamvis autem in Gallia magnus numerus eorum ſit, qui contra ſentiant, interim tamen ſumma contentio eſt pro opinione iſta, regia etiam auctoritate fulcita, vigetque in hac cauſa quædam inquiſitionis ſpecies ad proſcribendam præſertim Pontificis infallibilitatem, quod nuper Gallorum non nemo ad doctiſſimum P *Gallum* CARTIER perſcripſit. Ipſa Pariſienſis facultas ſeſe purgare neceſſe habuit anno 1663. quando nonnulli contrarias ei adſcripſerunt propoſitiones. Notæ ſunt lites, quas dudum antea anno 1611. exci-

(*a*) Lettre du Cardinal de Lorraine a BERRON ſon ſecretaire, & ſon agent en cour de Rome 1563.

excitavit *Ed.* RICHERIUS FF. Prædicatoribus, tunc facultatis ſyndicus, quod in publicis theſibus magna frequentia in conventu generali poſuerint: Romanum Pontificem in fide, & moribus errare non poſſe: in nullo caſu concilium eſſe ſupra Papam: ad Papam pertinere dubia decidenda in concilio proponere, deciſa confirmare, vel infirmare, partibus ſilentium perpetuum imponere.

Sed etiam regiæ auctoritati adverſa.

XVI. Quo poſtea proceſſerit RICHERIUS toto orbe notiſſimum eſt, ut duriorem in ſe cenſuram concitarit, quam ipſe prius ſtrinxerat, concitata in librum ejus *de eccleſiaſtica, & politica poteſtate* Romana curia, aula regia, clero, ac facultate ipſa: dum larva detracta eſt doctrinæ, pontificiæ auctoritati ſupremæ adverſæ, prodente RICHERIO, ſyſtema illud regiminis ſecus ac viſum, potius politico regimini obeſſe quam prodeſſe, in quo omnis principatus a ſubjecti populi conſenſu pendeat, DEUS influat in ſuppoſita *analogice*, ipſamque communitatem prius, proprie magis, ac principalius, quam in partes, quæ non aliter agant, quam ut inſtrumenta eorum ſuppoſitorum, & communitatum, quo fiat, ut principes, ac reges non ipſi regnent, ſed communitas per ipſos tanquam miniſtros. Quo fundamento

ſemper ſuperioriſtæ cauſam ſuam egerunt. Hucque redit illud, eccleſiam immediate habere poteſtatem a DEO, concilium vero inde tantum, quod repræſentet eccleſiam.

Atque univerſim naturæ legitimi regiminis.

XVII. Hoc principium ex decreto Conc. Conſtant. elucet, quod unacum conſectariis ipſaque præſenti controverſia ſub ipſis concilii illius temporibus ſubvertit FERRARIENSIS Ord. Prædicat. generalis comentariis in D. THOMAM (*a*), ac aperte dicit: *vanam eſſe & a fide chriſtiana alienam opinionem dicentium concilium, & eccleſiam eſſe ſupra Papam, & ipſum Papam ab eccleſia auctoritatem habere tanquam ab ipſa inſtitutum. Nam manifeſtum eſt ex prædictis, quod Chriſtus ipſe regimen eccleſiæ inſtituit, non autem ipſa eccleſia, aut populus chriſtianus, & quod in eccleſia Petrum ſuum vicarium, & ſucceſſores ejus inſtituit, ſicut & ad ſacramenta diſpenſanda inſtituit miniſtros. Unde cum dixit Petro:* Paſce oves meas, *præmiſit interrogationem:* Simon Joannis diligis me plus his? *ut oſtenderet ſe auctoritatem Petro dare ut diſtinctam ab aliis diſcipulis præſentibus.* Eodem fundamento tempore concilii Baſileenſis uſus Card. CUSANUS (*b*) ex ipſa rerum repugnantia: repu-

a.

b.

(*a*) In lib. contra gentes. c. 75.
(*b*) Epiſt. ad RODERICUM de Trevino.

repugnare nimirum principem eo in regno, in quo eſt princeps, ſimul præeſſe, & ſubeſſe. Et quamvis antea in eodem luto hæſiſſet, tamen ſeſe recolligens dicere haud dubitat illos videri excæcatiſſimos, & in ſpiritu furoris extra omnem ſenſum fuiſſe, qui neſcio qualem poteſtatem judiciariam ſibi ſupra ſacrum principem eccleſiæ vendicarunt. Acerbe etiam tulit EUGENIUS IV. *Quod Romanus Pontifex obedire teneretur decretis concilii, quod eſt poteſtatem Chriſti vicarii tollere, & in manibus multitudinis, quod eſt non tam erroneum, quam etiam ab omni doctrina Patrum totaliter alienum.* Nihilominus doctrina GERSONIS, & Card. de ALLIACO multorum in mentibus tunc eſt nacta locum, potuitque quatuor nationum aſſenſum in concilio Conſtant. extorquere, atque occupavit Colonienſem, Erfordenſem, Viennenſem in Germania, Cracovienſem in Polonia, Lovanienſem in Belgio, ipſam etiam in Italia Bononienſem academiam, doctoresque nobiles ex ſingulis his nationibus; at dum in conſilium vocarunt, extricaruntque ſeſe difficillimis illis temporibus, depoſuerunt præjudicia iſta. Germania EUGENIO IV. infenſa, diutius ſe non recollegit, potius tamen neutri parti

a. adſtipulata eſt : dum teſte BULÆO (*a*) hæc ipſa quæſtio in transverſum egiſſet *Incaleſcunt animi* , ſcribit , *Papa ſibi pareri vult: concilium ſe ſupra Papam putat* , *quæ quæſtio ad viros doctos transmittitur examinanda.* At his ipſis turbis , & tumultibus ſummi viri tunc ſunt commoti , ut ad ſe redirent , non ſolum Papæ ſeſe ſubjicientes , verum etiam ſimul illius ſummam adverſus conventum Baſileenſem agnoſcentes auctoritatem , qui , communione poteſtatis legitimæ rupta , in devia varia abiit , ac paulatim ceu emarcuit , manifeſto documento veritatis , quod S. CYPRIANUS dudum edixit , ab una cathedra ſeparatum eſſe ceu ramum ab arbore præciſum , radium a ſole diviſum , fluvium a fonte ſeparatum. Aberrationes ſynodi Baſileenſis collegit , ac expendit Ill. PETITIb. DIER (*b*) cum hoc notabili epicriſi : *Ex his concludimus , quod omnes probi , ac veri catholici nunquam concilii Baſileenſis mentionem facere debeant , niſi ut illius principia rejiciant , illiusque agendi modum , & rationem damnent , potiusque oculos in ſynodum Tridentinam conjicere oporteat velut in archetypum , qui per veram conſen-*

(*a*) Hiſt. univ. Pariſ. ad annum 1437.
(*b*) Diſſ. Hiſt. Theol. de mente concilii Con. a. 6.

ſenſionem, quam ſemper cum ſummis Pontificibus conſervavit, innumeros pæne abuſus correxit, milleque bona toti catholicæ eccleſiæ contulit.

XVIII. Sane ſummæ concilii Tridentini laudi eſt ea moderatio, quam in hac re tenuerat. Ante ipſam ſynodi celebrationem jam anxios tenebat res iſta eos, qui ardentiſſime concilium concupierant: formidanda ſeſe objiciebant acerbiora ex concilio diſſidia, dum perpendebatur (*a*), vigere adhuc memoriam eorum, quæ in Baſileenſi conventu per tranquilliora tempora contigerant: magis in præſentia verendum, ne quod turbulentius, & ambitione plenius caput, vel, ſi non alii, ipſi certe fautores hæreticorum ex arte jacerent in medium quæſtionem de principatu inter concilium, & Romanum Pontificem, quæ tunc duo concilia, duosque ſummos Pontifices ſpectandos dederat in orbis theatro per univerſæ eccleſiæ diſcrimen, ac commotionem. In hujus litis deciſione ſi concilii Patres parti Pontifici propitiæ adhærerent, reclamaturos illico Lutheranos, non liberum, quin imo nec catholicum eſſe concilium, utpote repugnans decretis conc. Conſtantienſis; quod quantumvis a LUTHERO in aliis ef-

Quam periculoſum fuiſſet in concilio Tridentino hic aliquid ſtatuere.

2.

(*a*) PALLAV. Hiſt. Conc. Trid. l. m. c. 5. n. 7.

fatis repudiatum, in hoc tamen tanquam oraculum exciperetur. Sin econtrario in concilio in alteram partem propenderetur, indiſcriminatim admittendo Conſtantienſem ſanctionem, cuicunque poteſtati cæſareæ, & pontificiæ concilium anteferentem, inde forſitan eventurum, ut ad obluctandum fortius utrique adverſæ potentiæ opem ac ſubſidia quærerent a factione Lutherana, ejus erroribus approbatis, eaque via niterentur erigere populare tribunal in chriſtiana republica, cui liceret regnorum omnium titulos recognoſcere, ſibique coronas omnes ſubjicere, convulſo tum unius hierarchiæ, tum multiplicis profanæ monarchiæ ſtatu. Quæ certe damna, tametſi timenda non eſſent eccleſiæ, Chriſti promiſſis innixæ, non tamen per conſilia minus prudentia, ſuaque ſponte periculoſa DEUM tentandum. Hæc tunc Cæſari conſideranda ſignificabantur a CLEMENTE, & Cardinalibus ab eo delectis in Belgio per hujusmodi conventum majus diſcrimen novi ſchiſmatis, quam ſpem concordiæ allatum iri: reſponſumque opportune jam id temporis, Pontificis Romani, quippe ſupremi præſidis eſſe, res in concilio agitandas præſcribere, ac propterea ſeditioſam illam diſputationem vitari poſſe.

Quod

Quod ſane conſilium optime ceſſit, eoque majori laudi, imo ampliori divinæ providentiæ circa eccleſiam ſuam gloriæ declarandæ fuit, quod utrinque Patres in certam aliquam, ſibique adverſam partem propenderent. Quæ ſecum expendens Card. PALLAVICINUS hanc egregiam ad commendandam, extollendamque communionem poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ præſules unice proficuam, uniceque neceſſariam protulit ſententiam, poſtquam diverſa Patrum ſtudia, atque ex affectibus potius, & præjudiciis nationum, ac locorum, quam rei conſideratione libratas opiniones protuliſſet: *Viris*, inquit, (*a*) *rerum experientibus, & cordatis .... nec admirationi, nec offenſioni erit, quod ex naturali hominis conditione in rebus non omnino perſpicuis opinationes affectionibus admodum adhæreant: nec illis excidet a memoria, quamvis ſynodus conjuncta cum Pontifice DEUM ſibi aſſiſtentem haberet, tamen unumquemque Patrum errare de ſe poſſe, & ab animi commotione ſeduci: quemadmodum in elementis orbis naturalis ſingula tota corruptioni non ſubjacent, nec unquam e ſtatu ipſorum naturæ debito extrahi poſſunt, ſed quævis ipſorum pars &* 2.

(*a*) PALLAV. Hiſt. Conc. Trid. L. XXI. c. 4.

corruptioni obnoxia eſt, & motibus naturæ contrariis.

Quam congruenter, & caute declinata.

XIX. Hæc nobis graphice adumbrant, deſignantque, de qua unice laboramus, communionem poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes, quæ nullibi arctior eſſe debet quam in conciliis œcumenicis, ſicut nullibi inſignior eſt ſacræ hierarchiæ repræſentatio, cujus unio totius eccleſiæ junctūram perficit in uno corpore, quod repræſentatur in œcumenico concilio. Ut adeo qui hic caput a corpore disjungant, aut ordinem membrorm invertant, carnifices quodammodo dici poſſint, ſeparantes, & abſcindentes a corpore caput: aut hiſtriones, qui inverſo corpore capiti inſiſtunt, corpore, & pedibus in ſublime elatis: quod uti in naturali corporis compage merito abhorrent, & deteſtantur omnes; ita haud minus in myſtico corpore eccleſiæ eſt refugiendum. Quod in cauſa eſt, quare multis deteſtabile, & ſchiſmaticum viſum eſt, quid quid huc tendit, imprimis controverſia de prærogativa concilii vel Pontificis. Et licet ſi ad vivum quæſtio reſeceretur, ſecundum principia evangelii contra mundanum faſtum, & dominatum, pro Pontifice tanquam capite, & primate ſententia dici poſſit, futurumque

videa-

videatur, ſi determinandum foret etiam in œcumenico concilio, in Pontificis favorem maximam orbis partem conſpiraturam, ſolis Gallis, iisque non omnibus exceptis, idque ſi numerum epiſcoporum conditionemque ſpectemus in concilio etiam Tridentino eventurum fuiſſet; & quamvis eſſent, qui ad hanc deciſionem exſtimularent, quod putarent hoc modo ſchiſmatibus in eccleſia aditum præcludi poſſe, nunquam tamen legati ſub tam arridente ſpecie induci potuerunt, ut pontificiæ velificarent parti, ſemper in propoſito, in medio relinquendæ controverſiæ, conſtanter perſeverantes, dictitabant, conſultum haud eſſe ob ſpem præcludendorum ſchiſmatum forte in eccleſia poſſibilium, anſam, & locum dare ſchiſmati hinc haud dubie emerſuro, ex Gallorum animoſitate, atque conceptæ ſententiæ deſtinatione, quamvis aliunde pro ſuſtinenda pontificia auctoritate nihil non agebant. Quin referente PALLAVICINO (a), potiſſima legatorum cautio fuit, a.
ne dum ageretur de rebus, unde videbantur vincula poſſe injici manibus pontificiis, impingeretur in ſeditioſam quæſtionem de prærogativa inter ipſum, & concilium. Quæ cum ita ſint, mirum eſt

(a) Hiſt. Conc. Trid. L. XIX. c. 11.

eſt ad nos uſque nedum, quod exemplo concilii hujus ſanctiſſimi maxime faciendum fuiſſet, ex tractationibus negotiorum eccleſiaſticorum, atque etiam ex diſputationibus theologorum extricari, exterminarique potuiſſe contentionem hanc; quæ eſt par illi, quam olim factam inter apoſtolos, necdum principiis evangelicis ſatis imbutos, aut Spiritus S. luce illuſtratos, damnavit Chriſtus: eſtque adverſa principiis theologiæ veræ chriſtianæ, quæ ſcripturæ, traditionique unice innititur: non contrariis, ſibique repugnantibus probabilius opinionum conflictibus, aut oppoſitionibus forenſium actionum, ac cauſarum fertur, quibus ſcholas etiam catholicas occupantibus in pulpitis, & tribunalibus litigioſæ hæ controverſiæ primum ſeſe inſinuarunt, lateque graſſatæ ſunt.

CAPUT XII.

Neceſſariæ leges communionis poteſtatis legitimæ ad rite, ac fructuoſe congreganda, ac celebranda concilia.

I.

Antecedaneæ conflictationis

Id ergo præſertim a ſolemnibus eccleſiæ conventibus, in quibus religionis

nis cauſæ ſumma auctoritate aguntur, procul abeſſe debet, ut inter ſe veluti diſſidentes, & præliantes committantur, collidanturque ſummi eccleſiæ judices, atque contentioſum illud *Eſt & non* contra apoſtoli vetitum introducatur. De illo articulo loquor, quando jam ultimato judicium eſt ferendum, ac decernendum communi calculo, non de antecedaneis velitationibus, conſultationibusque, ubi ſub trutina adhuc eſt, & ſi ita dicere fas, in ambigua concertatione hæret propoſita cauſa, qua poſtea, operante Spiritu S. ſoluta, eo admirabilior fiat in eandem ſententiam conſpiratio, conſenſioque certo certius juxta divinas promiſſiones eccleſiam ſuam adunantis futura; ut fruſtra in hoc rerum articulo diſcrepantia fingatur inter ſummos eccleſiæ judices, aut idcirco pars parti dicatur inferior, aut ſuperior in decernendo: eccleſiæ corpus ſemper ordinem ſuum conſervare debet, &, ut ita dicam, naturæ congruum ſtatum, capite, & membris ordinate diſpoſitis, atque quod ſuum eſt unoquoque membro rite obeunte, ut nec caput reliquis corporis membris exprobret illud, *non eſtis mihi neceſſaria*, nec corpus capiti inſidias ſtruat; præſertim quando ſplendidiſſima eſt in concilio totius eccleſiaſtici

nes ceſſare debent, quando in conciliis fidei conſenſio ſtabilienda.

ſtici corporis repræſentatio, ac integerrima copulatio eccleſiaſticæ unitatis: quæ utique eſt prima inter eccleſiæ notas, atque eminentiſſima illa eccleſiæ concordantis auctoritas, quam in ſymbolo quotidie profitemur: *Credo in ſanctam eccleſiam catholicam: quæ eſt colu-*
a. *mna, & firmamentum veritatis* (*a*), tam in orbe terrarum diſperſa, quam in concilio œcumenico adunata, ubi illi ſunt congregati in ſuis ſucceſſoribus, a quibus oportuit *fidem annunciari in uni-*
b. *verſo mundo* (*b*): quibus dictum eſt: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſum-*
c. *mationem ſæculi* (*c*): hos qui audiunt decernentes, quod de Coloſſenſibus ſcripſit PAULUS, de illis valet: *In verbo veritatis evangelii, quod pervenit ad vos, ſicut in univerſo mundo eſt, & fructificat,*
d. *& creſcit.* (*d*)

Centro unitatis hanc conſenſionem præprimis præſtante præeundo ad communionem poteſtatis legi-

II. Hæc eſt intima illa perſuaſio, ac ſenſus, quo, citra ullum de palma, & principatu jurgium, vetus eccleſia in concilia coaluit, ad fidem mutua conſenſione roborandam, nulla æmulatione, aut conflictatione, ſed quadam ſicut in unum locum, ita in unam fidem, eandemque ſententiam coalitione: ubi non privatam opinionem, ſed totius ecclecle-

(*a*) 1. Tim. III. 15. (*b*) Rom. I. 4.
(*c*) Matth. XXVIII. 20. (*d*) Col. I. 5. 6.

cleſiæ fidem depromunt ſupremi judices, repræſentantes eccleſiam. Id quod ſtudium vehementer accendit, ita in unum conveniendi: incendente, ac movente præſertim capite, pro principali ſuo munere, cui reliquum corpus omne libenter, & alacriter olim conſpirabat. Hinc illa tam ardentia deſideria Patrum Cpolitanorum, quæ DAMASO, ſynodoque Romanæ ſignificabant, cum eſſent Romam ad ſynodum vocati orientales, nec advolare poſſent. *Jam vero*, ſcribunt (*a*), *quoniam vos, quo fraternam veſtram erga nos charitatem declararetis, concilio DEI voluntate, ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propriæ accerſiviſtis, ne, cum nos ſoli jam antea res acerbas ſubire coacti eſſemus, nunc imperatoribus de pietate conſentientibus, ſine nobis vos regnaretis: ſed potius, uti loquitur apoſtolus, ut nos vobiſcum conregnaremus: eſt certe nobis in optatis, ſi poſſet fieri, eccleſiis penitus relictis veſtro deſiderio, aut neceſſario potius eccleſiæ negotio inſervire. Quis enim nobis dabit pennas, ut columbæ, & volabimus, & requieſcemus apud vos?* Cauſam addunt: *Ut cum verbum DEI communi ſenſu ſtabilitum, & chriſtiana inter nos charitas confirmata fuerit, dicere deſinamus*: Ego quidem ſum Apol-

timæ exercendam.

a.

(*a*) Apud THEODOR. L. V. c. 9.

Apollo, ego autem Cephæ. Hæc igitur pacis ſtudia illos congregabant, atque ad communem eccleſiæ fidem muniendam corpus eccleſiaſticum cum ſuo capite coadunabant, nulla diffidii ſuſpicione, aut invidiæ flamma conflagrante, ut retractare judicia, aut exagitare, in animum inducerent. Id quod CAPREOLUS Carthaginenſis ſynodo Epheſinæ ſcribens ſedulo inculcat. *Tanta*, inquit, *conſtantia*, & *virtute*, *quibuscunque novis erroribus reſiſtatis*, *ne hos*, *quos pridem impugnavit eccleſia*, *hisque temporibus repullulantes*, *apoſtolicæ ſedis auctoritas*, *ſacerdotumque in unum conſonans ſententia oppreſſit*, *ſecundæ diſputationis prætextu vox jam dudum renovare videatur*. Unde in ipſis conciliorum actionibus, atque ſententiis dicendis tanta æmulatio cerni datur, non ad diſſenſionem ſeminandam, ſed ad conſenſionem ſignificandam. Sic in ſynodo Chalcedo-
a. nenſi (*a*) rogante legato ſententiam: *Maximus*, *epiſcopus magnæ Antiochenæ civitatis*, *dixit*: *Quod videtur Sanctitati veſtræ*, & *nos conformes efficimur*. *Anatolius Cpolitanus*: *ſicut beatiſſimus archiepiſcopus*, & *Pater noſter Leo*, & *Anatolius*. Cæteri per ordinem: *Conſentio*: *concors efficior*: *conſentio damnationi a ſynodo facta*;

(*a*) Act. III.

ſtæ: hæc eadem definio, decerno. Ita illi univerſim judicio capitis ſui deferebant, concordabantque, poſtea idem officium ab illo ſupplicantes, relatione ad illum facta. *Rogamus*, inquiunt, *tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos capiti in bonis impendimus conſonantiam, ſic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Nec defuit S. LEO, ut tamen ſimul ſua uteretur auctoritate, ea ſolum, quæ in communione poteſtatis eccleſiaſticæ erant de fide ſtatuta ratificans: *Ne*, inquit, *per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in ſynodo Chalcedonenſi per unanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem. Hæc ad omnes fratres, & coepiſcopos noſtros, qui prædicto concilio interfuerunt, verba direxi, ut omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum ſynodalium propriam vobiſcum iniiſſe ſententiam: in ſola videlicet fidei cauſa adverſus malignos interpretes.* Inſigni ſane argumento hæc ſunt, quanta ſit communionis in poteſtate eccleſiaſtica vis, quando LEO ea, quæ ab univerſis Patribus, abſentibus tantum legatis ſunt edita, minime ſuſcipit; ſolum quæ ipſe quoad fidem prius jam per epiſtolam veluti præcoxerat: de quibus gloriatur epi-

ſtola ad THEODORETUM in Domino: *Qui,*
8. ait (*a*), *nullum in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit, ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, ut vere ſe prodiiſſe oſtenderet, quod prius a prima omnium ſede formatum totius chriſtiani orbis judicium recepiſſet: ut in hoc quoque capiti membra concordent.* Ex quibus quidem inſigniter eluceſcit, quantum ſibi viciſſim tribuerint, detulerintque ſummi eccleſiæ principes, neutra parte aliquid ſibi ſingulare, privatum, ac proprium imperioſe arrogante, omnibus ad communionem legitimæ auctoritatis in conciliis exerendæ relatis, ut capitis prærogativa ſemper conſervaretur. Qua de re in concilii Baſil. reſponſione ſynodali, de partibus Romani Pontificis in ejusmodi judiciis luculentum præprimis habetur documentum: *Quidquid in ſacris ſtatuitur conciliis, ſua etiam auctoritate ſtatuitur: quæ ſemper ibi refulget ut prima, & præcipua omnibus caput, & directrix, & cum aut perſonaliter, aut auctoritative ſemper in ſynodis univerſalibus interſit, ipſeque eccleſiæ rector ſit, & paſtor, decreta conciliorum etiam ſua, & ſedis apoſtolicæ non immerito dici poſſunt. Nos enim unum eccleſiæ corpus ſu-*

(*a*) S. LEO Ep. LXIII.

ſumus, & ipſe hujus corporis caput, ſub capite Chriſto. Quidquid igitur fit ab hoc corpore eccleſiaſtico, etiamſi omnia membra in idem concurrant, ſicut in corpore naturali accidit, magis tamen, ac præcipue operatio quævis capiti adſcribitur, ab ipſoque magis quam ab alio corporis membro procedere cenſetur.

III. Sed ut vel leviſſima ſuſpicionis umbra deſit faſtus alicujus, aut dominatus mundani, quæ poſſit æmulationis, ac invidiæ eſſe occaſio, nunquam ex oculis elabi debet apoſtolorum exemplum in diſquiſitione illa celebri ob legalia. Imprimis conſideranda ſunt, quæ PETRUS egerit, quando primum contra ipſum quæſtio eſt commota. *Quis enim neſciat*, ſunt verba *Petri* DAMIANI (*a*), *quod princeps apoſtolorum Petrus poteſtatem regni cæleſtis accepit? virtutem ligandi, ſive ſolvendi, quæ vellet in cælis, ac terris obtinuit: ſupra mare pedibus ambulavit; ſola ſui corporis umbra ægrotantes erexit; mentientes jaculo nudi ſermonis occidit; oratione mortuos ſuſcitavit. Hic itaque tam ſublimis meriti vir, cum ex admonitione S. Spiritus ad Cornelium, gentilem videlicet hominem, fuiſſet ingreſſus, adverſus eum quæſtio facta eſt ab his, qui*

Exemplo propoſito concilii ab apoſtolis celebrati, ut in actis refertur.

a.

(*a*) Tr. de correctione epiſcopi & Papæ.

erant ex circumciſione, cur ad alienigenas introiiſſet, atque cum eis manducare præſumſiſſet, inſuper & in baptiſmate recepiſſet? Hic, inquam, tot donorum cæleſtium incomparabili virtute ſuffultus, tot miraculorum oſtenſione conſpicuus, querelæ ſubjectorum non ex poteſtate reſtitit, ſed rationem reddendo humiliter ſatisfecit, cauſamque per ordinem veridicus relator expoſuit, Quomodo &c. *ſi igitur iſte, cum a diſcipulis culparetur, auctoritatem, quam in ſancta fuerat ſortitus eccleſia, voluiſſet obtendere, reſpondere poterat, ut paſtorem ſuum oves, quæ ſibi commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela fidelium poteſtatis ſuæ titulum objeciſſet, doctor profecto manſuetudinis non fuiſſet.* Hæc expreſſa ſunt ex illis, quæ alio jam loco ex S. GREGORIO M. retulimus. Hic autem expendi debent, quod, quando poſtea in cauſa legalium eadem reſuſcitata eſt quæſtio, S. PETRUS in concilio Hieroſolymitano huc provocarit in ſententia dicenda, *cum autem magna diſquiſitio fieret*, refert S. LUCAS (*a*), *ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus DEUS in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelii, & credere &c.* Ubi vides PETRUM ut alibi ſemper rectæ prædicatio-

a.

(*a*) Act. XV. 7.

tionis, rerumque gerendarum auctorem, quæ ſibi eſſent revelata pandere, atque ſententiam dicere. Quam cum pronunciaſſet, narrat Lucas (*a*), *Tacuit autem omnis multitudo. Et audiebant Barnabam, & Paulum narrantes, quanta DEUS feciſſet ſigna, & prodigia in gentibus per eos*: quæ illi poſt Petri ſententiam, eidem congruenter edixerunt. Demum Jacobus poſtremo dicturus ſententiam, recapitulando Petri dicta orditur: *Viri fratres audite me. Simon narravit, quemadmodum primum DEUS viſitavit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo. Et huic concordant verba prophetarum.* In medium exinde producit ſcripturæ auctoritatem, congruentem Petri ſententiæ: ex quibus tandem ſuam colligit ſententiam (*b*). *Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad DEUM, ſed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe a contaminationibus &c.* Atque ſic conſtitit concilium iſtud (*c*): *Tunc placuit apoſtolis, & ſenioribus cum omni eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam .... ſcribentes per manus eorum. Apoſtoli, & ſeniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ &c. Placuit nobis collectis in unum.* Habes hic

a.

b.

c.

(*a*) Ib. ℣. 12. &c.
(*b*) Ibid. ℣. 19. (*c*) Ib. 22.

perfectiſſimum, conſummatiſſimumque communionis in exercenda legitima poteſtate exemplum, qua freti dubitare non potuerunt Chriſtum in medio eorum fuiſſe: unde nec dubitant communem ſuam ſententiam Spiritui S. adſcribere: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.*

Quam formam deinceps æmulati ſucceſſores apoſtolorum.

IV. Eadem fiducia ſemper in conventibus haud dubie retenta eſt ad formam hanc apoſtolicam inſtitutis: *Spiritus ſancti teſtatur præſentiam congregatio ſacerdotum*, inquit COELESTINUS P. in epiſtola ad ſynodum ejusmodi Epheſi congregatam, quam minime dubitat cum illo apoſtolorum contendere, parem illi ſanctitatem, parque robur adſcribendo. *Sanctum namque eſt*, inquit, *pro debita ſibi veneratione concilium in quo ubique nunc apoſtolorum frequentiſſimæ illius, quam legimus, congregationis aſpicienda reverentia eſt. Nunquam defuit his magiſter, quem receperant prædicandum; adfuit his ſemper Dominus, & Magiſter: ſed nec docentes a ſuo doctore deſerti ſunt unquam.* Ac poſtea: *Hæc ad omnes in commune Domini ſacerdotes mandatæ prædicationis cura pervenit: hæreditario in hanc ſollicitudinem jure conſtringimur, quicunque per diverſa terrarum eorum vice nomen Domini prædicamus, dum nobis dicitur:* Ite docete omnes gentes. *Advertere debet veſtra*

ſtra fraternitas, quia accepimus generale mandatum: omnes etiam nos id agere voluit, qui illis ſic omnibus commune mandavit officium: neceſſe eſt, ut competenter noſtros ſequamur auctores, ſubeamus omnes eorum labores, quibus omnes ſucceſſimus in honore. Quod hic Pontifex ad concilium perorat, poſtea in concilio V. ad Pontificem VIGILIUM permovendum adhibitum eſt, ut communioni eccleſiaſticæ exemplo apoſtolorum concederet, indulgeretque. *Pro his ad memoriam ejus perduximus magna illa apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones. Licet enim S. Spiritus gratia & circa ſingulos apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio circa ea, quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum ſcripturarum teſtimoniis unusquisque dicta ſua confirmaverunt. Unde communiter de eo ſententiam protulerunt ad gentes ſcribentes*, viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis. Ex quibus quidem conjicere licet, quam fruſtra ſibi timeant detrahi aliquid auctoritatis, aut prærogativæ quicunque ſummi eccleſiæ principes apoſtolorum ſucceſſores, ſi in communione poteſtate legitima utantur: quam absque cauſa pars parti communia jura ſua opponant,

aut laceſſant : quam contra exemplum apoſtolicum privatim potentiam arrogent, invicem imputent : ac veluti in viſcera propria ſæviant, illisque uti detrectent mediis, quibus ex præſcripto evangelii exemplo apoſtolorum, univerſalique eccleſiæ uſu, & praxi eccleſiæ conſultum itur, ſecundum illud nimirum Matth. XVIII. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum :* tum etiam modo laudato apoſtolorum facto, *Qui*, inquit BELLARMINUS (*a*), *cum poſſent etiam ſeorſim ſinguli definire controverſias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, & a Chriſto ipſo demonſtratum, non ſine concilio controverſiam de legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt.*

(*a*)

Spiritu S. ſecundum promiſſiones aſpirante, ac conſenſionem præſtante.

V. Hic vero ſuapte ſponte diffluent omnes difficultatum nodi, quos nectere, ac implicare ſolent conceptus, ex natura rerum longe diſſimilium, applicati, adhibitique, ſi in animum quis inducat, divinæ providentiæ, omnipotentiæque occultam vim, latentesque vias, quibus omnia ſuaviter novit ad intentum propoſiti finis exitum flectere. Artis periti haud ſtupent ingentis etiam machinæ, quoad ſingulas ſuas partes, quibus compoſita eſt, combinationem, &,

(*a*) Lib. 1. de Conc. & Eccl. c. 11.

&, ut ita dicam, conſenſionem, ac concordantiam ad effectus quandoque mirandos: e. g. diverſi generis rotarum in horologio rite diſpoſito artificioſam ſtructuram, & conjunctas veluti operas in finem, ac ſcopum deſtinatum. Qui harum rerum cauſas, & rationes intimius perſpiciunt, hærere, atque attoniti, obſtupefactique eſſe deſinunt. Pariter qui in noſtra hac cauſa attendunt directricem illam vim Spiritus S. communioni poteſtatis eccleſiaſticæ intime ſociatam, & cohærentem, omnino liberantur a vanis illis pugnæ, & diſſidii imaginationibus, quo committantur inter ſe ſummi eccleſiæ judices. Longe aliter apoſtoli in concilio Hieroſolymitano: *Viſum eſt*, ajunt, *Spiritui ſancto, & nobis.* ſi humanas conſideremus res, quando ex plurium arbitrio pendet conſilium, cum ſoleant eſſe quot capita tot ſententiæ, difficilius ad conſenſionem venitur, quia ſuo quisque ſpiritu ducitur. At quando uno, eodemque Spiritu divino reguntur, in unum nullo diriguntur negotio. *Unde*, ut habet GRATIANUS C. XXIV. q. 1. *nonniſi congregatis in unum dictum eſt: accipite Spiritum ſanctum: nec niſi ſuper congregatos in unum die Pentecoſtes deſcendit Spiritus ſanctus.* Eſtque hæc ſecuriſſima, validiſſimaque in

religione chriſtiana regula: *Quod ubique, quod ſemper*, a VINCENTIO *Lirinenſi* in ſuis commonitoriis expoſita: *In ipſa*, inquit, *eccleſia catholica magnopere curandum, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim vere, proprieque catholicum, quod ipſa vis nominisque ratio declarat: quæ omnia vere univerſaliter comprehendit.* Quei vero univerſalitas hæc conſervari queat, niſi in communione poteſtatis legitimæ inter eccleſiæ paſtores? Agente Spiritu S. inter eos concordiam, atque adunante capiti ac centro, ut vidimus in apoſtolorum concilio.

Ut tamen ordinariæ leges communionis in exercenda auctoritate haud negligantur.

VI. Caput illius cauſæ primum ſoli PETRO fuit manifeſtatum, illiusque auctoritate primævæ eccleſiæ expoſitum de Gentilium ad fidem aggregatione, jamque ea doctrina eccleſiam univerſam tenebat; voluit tamen PETRUS ut antea coram illis, qui ex circumciſione erant, ſic nunc coram apoſtolis, & ſenioribus, omnique multitudine iterum proferre: *Vos ſcitis*, inquit (*a*), *quoniam ab antiquis diebus DEUS in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii, & credere.* Fuerat hoc unicum fundamentum, quo facta ibi circa legalia definiebatur controverſia; & hoc jam antea PETRI

(*a*) Act. XV. 7.

PETRI unius auctoritate in eccleſia ab antiquis diebus increbuerat, quod omnes norant, ut adeo hic locum haberet illud, *Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus.* An autem ægre PETRUS iterum hæc ad concilium retulit, quando ad apoſtolos, & ſeniores in Jeruſalem ſuper legalium quæſtione veluti appellarunt Antiocheni? An quidquam prius ab ipſo ſtabilitæ ſententiæ derogatum? An auctoritati aliquid ademtum, & non potius additum, dum una omnes in illius concedunt ſententiam? Idem ergo de ſucceſſorum illius judiciis, & auctoritate dicendum, quando rebus ita exigentibus concilii etiam adjungitur congregatio, & ſententia; quæ concors, atque conſpirans pontificio decreto haud magis demit illius firmitati, quam apoſtolorum, & ſeniorum adſtipulatio latæ a PETRO Hieroſolymis ſententiæ. Ut adeo nihil cauſæ ſubſit, cur ſegnius conciliorum celebrationi incumbat, aliquid ſuæ auctoritati timens Pontifex. Nec quoad theſin NILUS (*a*) Theſſal. archiep. aberrat: *Papam hæc agendo ſuum potius primatum evertere: At vero antiquæ conſuetudini inhærendo, officium boni viri, & ſua tuentis atque ſervantis facere. Si enim quod juſtum eſt fiat, tale quid conſequitur.* a.

Æquum

(*a*) De Primatu PETRI.

Æquum enim eſt ut conſideremus quid eventurum fuiſſet, ſi communi ſententia hæc controverſia diſceptata fuiſſet: quid vero nunc evenerit Latinis auctoritatem præſcribendi leges ſibi arrogantibus. Nam illo modo eccleſia omnibus motibus, & tumultibus libera in pace, tranquillitateque degeret, nemine facile contradicere audente iis, quæ communi decreto ſancita fuiſſent. Tametſi enim veterum quidam eo dementiæ venerunt: ſed & pauci admodum & perquam brevi, atque exiguo tempore viſi perierunt. Si vero per eccleſiam univerſam pax fuſa eſſet, Papa ipſe quoque iis, quæ ipſi debentur, frueretur; cum nunc propter illud diſſidium, quatuor patriarchalium ſedium primatu ipſi carendum ſit, quæ ſibi jure deberentur rebus compoſitis, & pace eccleſiæ firmata. Abſit, ut, quæ hic in ſua ſchiſmatis orientalis hypotheſi dicit, illis ullo modo adſtipuler. Docuit rerum experientia, nec ipſa generalia concilia ad Græcos in unitate retinendos idonea fuiſſe, quod idem in aliarum hæreſum cauſis apparuit, ac nuper in Proteſtantum diſſidio ad concilium provocantium. Nec defuit eccleſiæ pietas, ut poſſit dicere: *Curavimus Babylonem, & non eſt curata*, neve ullus cauſandi, tergiverſandique ſit locus, pateatque firmum ſemper, & conſtans eccleſiæ judicium legitime factum. VII.

VII. Id enim rebelles iſti, ac refragarii petere ſolent, ut ipſa eccleſiæ fides in diſcrimen vocetur, ac novæ disquiſitioni ſubjaceat: quod impium eſt, ac blaſphemum, cum eccleſia a vera fide, a vera traditione deficere nunquam poſſit. Hinc in eum finem plenaria coacta ſunt concilia, ut avita traditio, ac præſens eccleſiæ fides roboretur, non mutetur. Id conſtanter ſemper eccleſia tenuit. Græci, quod quatuor patriarchales ſedes numerarent, hic aliquid plus ſibi indulgendum voluerunt. Sic NILUS ex eccleſiæ mente objicit, *At inquiunt univerſalibus conciliis nequaquam propoſita fuit inquiſitio veritatis, ſed convenerunt, ut eam confirmarent: ideoque etiam nunc non in dubium vocari hoc dogma juſtum eſſe, ſed ſtabilire. Quo pacto vero hoc ais?* pergit, *Siquidem nulla univerſalium eccleſiarum contradicat, aut alioquin una ſola, aut pauci aliquot, aſſentior & ego. Si vero cum quinque ſint eccleſiæ univerſales, una reliquis contradicit; an non juſtum ſit omnes convenire, & infinitis votis, ſummaque diſquiſitione habita dogma ſtabiliri?* Quis non videt in ſpeciem æquius ita Græcos jactare ſe potuiſſe quatuor ſuis patriarchalibus ſedibus, quam nunc unius alicujus nationis eccleſia contra Romanum judicium, cui reliquus chriſtianus

Ut tamen centri unitatis ratio habeatur, Romanæ ſedis.

ſtianus defert orbis: quales cauſæ quædam recentiore ætate fuerunt. Nec aliis potuerunt pugnare rationibus, aut ſe tueri armis, quam ex horum ſchiſmaticorum officina petitis. Quæ omnia ſuapte ſponte concidunt: ſi ratio illa communionis, unionisque eccleſiaſticæ admittatur, cujus eccleſia Romana centrum eſt, eaque pars, quæ ei adhæret, ſemper privilegium veritatis habet, ac nomen veræ eccleſiæ. Non hoc quidem negant, quos hic præprimis petimus, at ejusmodi principia fovent, quæ prærogativæ iſti e diametro repugnant. Si enim poteſtas eccleſiæ Romanæ eſt uniendæ eccleſiæ nata, neve inter ſe diſſentiant eccleſiæ, quomodo ejus judicio aliquis error affingi poteſt? Quomodo illius auctoritas, ac ſententia cum reliquæ eccleſiæ ſententia pugnans induci? Quomodo non in idem ſemper convenire putandi ſunt, qui ad unum referendi ſunt centrum? Iterum hic occurrit Græcus. *Quod vero dicitur*, inquit loc. cit. NILUS, *concilii generalis convocationem, & rerum eccleſiaſticarum in eo concilio ordinationem ad Papam pertinere: non aliud eſt, quam ſi dicatur, Papa unacum aliis conveniens de rebus eccleſiaſticis deliberat. At ſi Papæ tribunal his decernendis ſufficit, ſuperfluus, ac ſupervacaneus omnino fuerit* ſan-

ſanctorum Patrum conventus. Haud aliter, qui hodie ægre ferunt, ſummi Pontificis judicium ceu privatum obtrudi. *Fruſtra*, inquit unus ex præcipuis illorum (*a*), *eccleſia collectis toto orbe Patribus, quærere laboraret auctoritatem irrefragabilem, quæ ſtatim in Romano Pontifice, vel ſolo præſto eſſet.* Secundum leges communionis in poteſtate legitima inter ſummos eccleſiæ principes non ita procedendum ſibi ducent Pontifices. Ac PETRUS quidem infallibilis erat, judiciumque ejus irrefragabile. An propterea detrectavit in communione cum apoſtolis, & ſenioribus cauſam legalium tractare? An dicemus inutilem, ac ſupervacaneum fuiſſe illum conventum? An opus eſt inter ſe confligi neceſſarias communitatis eccleſiaſticæ partes ſummos eccleſiæ judices, ut rite aliquis conventus celebretur? a.

VIII. Quin potius radios hos divinæ providentiæ & gratiæ circa eccleſiam ſuam admiremur, ſpeciminaque inſignia operantis in ſummis eccleſiæ principibus unitatis illam conſenſionem, quæ in omnibus ſemper conciliis reſplenduit, ut nunquam retractatum ſit, nunquam mutatum, nunquam manſerit diſſenſus, quando ad deciſionem proceſſum; ſed in unam itum ſententiam, ſi forte

Cum qua conſpirans erit ſententia.

(*a*) Auct. Defenſ. Cler. Gall. P. II. L. XV. c. 32.

forte dubietas antea etiam aliqua partes inter ſe ſciderit. Aliquando a corpore concilii prius proceſſit ſententia, a capite firmata: plerumque a capite prius emanavit, & a membris ſuſcepta: quomodocunque autem ſemper conſenſio, atque conſonantia emerſit. Nec corpus uſurpavit privatam aliquam ſententiam, aut auctoritatem, nec caput, ſed mutuo ac communiter exercendam legitimam ſuam poteſtatem ſumſerunt: in conſenſione, & unitate tam robur invictum auctoritatis, quam pacem, & tranquillitatem eccleſiæ poſitam rati. Alieni adhuc erant a metaphyſicis illis caſibus, quid agendum foret, ſi ſummi eccleſiæ judices in concilio Pontifex, & epiſcopi in adverſa abirent: quod ſi forte in ipſa deliberatione, antequam ſententia feratur, fieri poſſit, futurum tamen nunquam eſt, dum ipſa facienda deciſio, niſi dicatur unitas eccleſiæ reſolvi poſſe, a quo aſſerendo omnis Catholicus abhorret. Alias enim ipſi infallibilitatis pontificiæ defenſores non negant in caſu ejusmodi vergi poſſe ad Patrum partem a Papa: aut potius conſenſio, haud defutura, exſpectanda eſt. Inter hos

a. Jacobatius (a): *Si loquimur*, inquit, *in cauſa fidei ſuper articulo emergenti nondum deſi-*

(a) Lib. IV. de Conc.

definito, & loquimur in judicio diſcretivo, in dubio videretur regulariter potius ſtandum judicio univerſalis concilii contra Papam ſolum contra ſentientem. Citat ibi in ſuam ſententiam alios. Nec abludit Card. a TURRECREMATA: cujus obſervatio hic notari meretur: *Licet*, inquit (*a*), *univerſitas Patrum ſequenda eſſet, utpote judicio diſcretionis præeminentior, & ſuperior, nihilominus nihil videretur conciliariter concludendum quousque concorditer Papa, & Patres in unam ſimul convenirent concluſionem, & ſententiam.* a.

IX. Credo quod nullus, quam etiam obnoxius & juratus ſit Pontificiæ auctoritatis inerrantiæque patronus, & advocatus, in eo TURRECREMATÆ, & JACOBATII Cardinalium ſententiæ ſit refragaturus, qua dicunt, ſi contingeret concilii Patres in cauſa fidei adverſam tenere ſententiam, aut accedendum integro illi ſenatui, aut ſuſpendendum judicium, donec inter ſe conveniret; quod omnino conſentaneum eſt legibus communionis in poteſtate legitima inter ſummos rerum ſacrarum arbitros, quæ id flagitant, ut nullus privatim ſe habeat, hoc eſt ἄιρεσιν faciat, ſed eam fidei unitatem, quæ in eccleſia per orbem diſperſa DEO agente ſemper conſervabi- Quomodocunque judicia eccleſiaſtica ac ſententiæ profe-rantur.

H h tur,

(*a*) Summa de eccleſia.

tur, in ſuis etiam judiciis, quando in concilio congregantur, ut integram illibatamque cuſtodiant, & pro munere diſpenſent, qui depoſitum hoc concreditum acceperunt. Nec unquam fallet, aut falletur hic divina promiſſio.

8. *Hanc prædicationem*, loqui cum IRENÆO (*a*) fas eſt, *cum acceperit, & hanc fidem eccleſia, & quidem in univerſum orbem diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ſimiliter credit his, videlicet quaſi unam habens animam, & unum cor: & conſonantes hæc prædicat, & docet, & tradit quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una, & eadem eſt. Et neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis; neque hæ quæ in oriente.* Audin' vero cujus virtuti hanc tam miram tribuat conſonantiam: *Sed ſicut ſol creaturæ DEI in univerſo mundo unus idemque eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Hæc ſanctus hic doctor & martyr ſcripſit, quo tempore fidei judicia per concilia præſertim generalia nec fieri quidem tuto poterant, tam

(*a*) L. I. c. 2. & 3. Cont. Hær.

tam ſevere hæteriis per gentiles imperatores prohibitis. At nihilominus ſaltem per epiſtolas communicabant fidei conſenſionem, ut de quæſtione circa Paſcha non uno monumento conſtat, proditque Eusebius præſertim. Igitur perinde eſt ad fidei integritatem, quomodo illius per eccleſiam unitas, & conſenſio obtineatur, quæ eſt a Chriſto eccleſiæ ſuæ oppignorata ſive per epiſtolas, ſive per ſynodos, ſive ipſa traditionis ſola conſtantia, & unanimi concentu ſit firmata, nunquam certe deerit proſtitueturque, vel in judiciis, vel in ipſa credulitate. Nunquam deficient opportuna conſilia, quibus ea obtineatur, neque deerunt, qui ſunt legitimam conſecuti auctoritatem, ut de rebus religionis decernant mutuo, &, quæ ſunt pro negotii circumſtantiis expeditæ, eas ineant vias, quæ eædem ſemper non ſunt.

X. Nec præfracte aſſeri poteſt, unum eſſe concilii œcumenici malis omnibus eccleſiam vexantibus remedium; at contra fatendum ejusmodi poſſe emergere cauſas, ut hoc potentiſſimo opus ſit ſubſidio, deſperatis exaſperatisque rebus; non quod alio modo emergentes quæſtiones determinari nequeant, ſed quod e re ſit in conſeſſu hujusmodi ſolemni

Secundum circumſtantiam ſive extra ſive in conciliis.

lemni ac graviſſimo id fieri, ut turbæ in eccleſia motæ fortius ſedentur, unio charitasque, & mutua conſenſio opportunius reſtituatur, inter epiſcopos præſertim, qui forte cauſæ implicati, vel auctores ipſi, ut contigit plerumque; aut magnæ factiones, corruptio latius graſſans, diſcrimina majora idem flagitant. Cujusmodi ob cauſas omnia coacta fuiſſe concilia cognoſcet, qui eorum hiſtoriam, ac geſta tenet. Neque unquam defuerunt ſibi ac eccleſiæ ſummi præſules, quin communionis hanc præſtantiſſimam inirent viam ad dijudicandas eccleſiæ cauſas. In primo Nicæno agebatur de gravi diſcrimine primariæ Alexandrinæ eccleſiæ, cui totius orientis, ut poſtea patuit, fuit implicata cauſa, imo orbis chriſtiani univerſi: in ſequentibus ſemper de ſummis ſedibus Cpolitana, Antiochena, Alexandrina, aut fide totius orientis agebatur. Videbatur refugere concilium aliquando S. LEO, at ita FLAVIANO primum etiam viſum, poſſe rem ſola Pontificis Romani auctoritate componi. Sic enim ad LEONEM ſcribit: *Cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio, atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere: ſic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ per eam factæ ſunt, facile deſtruentur DEO coope-*

cooperante per veſtras ſanctiſſimas litteras, removebitur autem & concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique ſanctiſſimæ turbentur eccleſiæ. Nemo magis expertus, quam ipſe FLAVIANUS, quam juſti fuerint iſti timores, metusque vicinæ mortis. Nihilominus neceſſitati indultum. *Verum,* ſcribit S. LEO ad Syn. II. Epheſ. *quia etiam talium non eſt negligenda curatio, & pie, ac religioſe chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit epiſcopale concilium, ut pleniore judicio omnis error poſſit aboleri, fratres noſtros Julianum &c. miſi, qui vice mea ſancto conventui veſtræ fraternitatis interſint, communi vobiſcum ſententia, quæ Domino ſunt placitura, conſtituant.* Sic S. Præſul communioni neceſſitatique obtemperabat, quæ non eſt *phyſica* aut *metaphyſica* ſecundum philoſophiam ſpectanda, ſed ſecundum ſanam theologiam chriſtianam, ex utilitatibus eccleſiæ pacis, unitatis, tranquillitatisque reſtaurandæ provocantibus commodis.

XI. Conqueſtus eſt olim Imperator in Epiſt. ad S. CYRILLUM de illis, qui forte imperare mallent, quam in medium conſulere, aut de ejusmodi rebus conſilium audire. Hæc *Edm.* RICHERIUS avide arripit ad conflandam Pontificibus

Quæ non ſunt promiſcue viſa opportuna malis remedia præſertim poſteriore ævo.

a. invidiam. *Et hæc*, inquit (*a*), *eſt cauſa, ob quam nonnulli Pontifices Romani raro ſponte ſua, & ultro aſſenſum præbuerint convocationi, & celebrationi conciliorum; quippe qui viderent ſe in ſynodis generalibus, quam extra illas, non poſſe tam facile compotes fieri abſolutæ poteſtatis, & monarchiæ, quam animo jamjam meditabantur.* Itane vero SS. PP. COELESTINUS, LEO &c. ſunt traducendi? COELESTINUS quidem innuit epiſtolis ad CYRILLUM, & clerum Cpolitanum, damnationem NESTORII extra concilium generale fieri expedire: reveraque, nihil de concilio memorans, decem dies indicit, quibus aut recantet, aut ſacerdotio excidat. LEONEM etiam paulo antea vidimus alienum primum a concilii celebratione habuiſſe animum. At facile utilitati eccleſiæ aliorumque votis concedebant, communioni poteſtatis eccleſiaſticæ deferentes. Iis erant imbuti principiis, ut ex propriis eorum verbis ſuperius prodidimus, quibus PETRUS, cujus exemplum in concilio Hieroſolymitano ob oculos habuerunt, uti præſertim ex COELESTINI epiſtola retulimus. Cauſas, & rationes habebant commodas, ob quas non ſtatim totum chriſtianum orbem commovendum, & in concilium cogen-

(*a*) Hiſt. Conc. gen. T. I. c. 7. n. 14.

cogendum fatigandumque putarent. Ex latrocinio Epheſino conſtitit, quam ſagaciter S. Leo non ſtatim concilio aſſenſerit, atque ex motibus ſchiſmateque diuturno poſt concilium V. excuſatio prona eſt, cur Vigilius illi ſe non adeo promte adglutinarit. Nihil vero illis temporibus, ubi leges communionis in exercenda legitima poteſtate inter ſummos eccleſiæ antiſtites ſanctiſſime vigebant, erat, cur ſuæ timerent auctoritati, quam ampliandam potius haud dubitabant adſtipulatione acceſſioneque collegarum. Necdum tribunal contra tribunal fuerat erectum, quod poſtea factum eſt, ac merito a frequentatione conciliorum revocavit (*a*). *Poſtquam in animum inductum eſt, poteſtatem ſuam Pontifices in deſtructionem potius quam ædificationem abuſuros, ſi velit uti proprio judicio in contrarium univerſalis concilii, & intentionis ejus, & quod ſi concilium ſtatuat aliquid pro ſalute publica, ipſe univerſaliter ſtatuat in contrarium:* ut habet *Thomas de* Corsellis. Suſpicione tunc laborabant Pontifices de abſoluto dominatu, ac monarchia adverſus communionem poteſtatis legitimæ, quaſi aliquando contra eccleſiam totam

a.

(*a*) Propoſ. habita Biturig. coram rege, & clero Gall.

etiam congregatam ſint judicaturi, actu-
a. rique (a). *Quod habeat*, ut idem auctor mentem ſuam declarat, *illam ſupra totam eccleſiam, ita ut habeat præferre judicium ſuum judicio totius eccleſiæ congregatæ, hoc non creditur.* Hæ ſuſpiciones ſimultatesque bella illa inteſtina, ac conflictus inter ſummos eccleſiæ principes nutriebant, nutriuntque: quæ dum tenuerunt, tenentque partes, & factiones, aut ipſa celebratio, aut fructus conciliorum intercidit mutuis ſimultatibus, ſupremæ poteſtatis arrogantia, ac uſurpatione ſuffocante ſpem omnem. Legi in hanc rem meretur JULIANI *Card. S. Angeli* ad EUGENIUM IV. epiſtola ob has formidines concilium Baſileenſe diſſolventem. Ubi Pontifici exempla objicit conciliorum impeditorum hanc ob cauſam, nihilque non agit binis ſat longis epiſtolis, ut a propoſito deterreat. *Mira res*, inter alia inquit, *per concilia invenio roboratam atque defenſam, & ſemper auctam poteſtatem eccleſiæ, & libertatem eccleſiaſticam, & nunc timemus debere tolli.* Attamen non fruſtra tunc timebant ſuæ auctoritati Pontifices ex conciliis, quando ea jam in commune ordinariumque tribunal ſingulis decenniis ſtatui videbantur, contra ſuum tribunal ac cathe-

(a) L. c.

cathedram novo quidem exemplo, communionique poteſtatis eccleſiaſticæ tunc adverſo. Unde CLEMENTEM VII. dicere ſolitum ferunt: *Quemadmodum primis eccleſiæ ſæculis conciliorum frequens celebratio pontificiæ auctoritatis certiſſimum erat incrementum, ita his poſtremis temporibus pontificiam majeſtatem nullo modo poſſe retineri, aut vindicari in conciliis: eamque ob rem Pontifices hodiernos tantum operæ in declinandis, quantum veteres in procurandis, & habendis ſynodis generalibus debere collocare.*

XII. Volvebat hæc animo tunc temporis Pontifex, quando univerſus chriſtianus orbis ad concilii celebrationem ſuſpirabat, ac conglomerabat vota; quod rapido Lutheranæ ſectæ torrenti omnibus modis obſiſtendum eſſet, nihilque in medio relinquendum, præſertim autem tam potens ac præſens remedium, quod tam ſiniſtra præſumtione, pravisque præjudiciis præpediri ſummopere dolendum fuerat: & tamen timeri poterat, adhuc recenti in memoria hærente diſcidio illo, ipſa eccleſiæ viſcera, ac primaria membra dividente, atque communionem legitimæ poteſtatis inter ſummos eccleſiæ præſules ſcindente a tempore ſchiſmatis magni uſque ad ea fere tempora. Actum fuiſſet, niſi

Niſi quando congrua communioni poteſtatis legitimæ conſilia ſunt reſumta.

inſpiraſſet DEUS cogitationes pacis, indidiſſetque conſilia meliora : quo factum eſt, ut omni ævo celebratiſſima coaleſceret Tridentina ſynodus, quæ ſemper bene proceſſit, quamdiu communio poteſtatis legitimæ rite obtinuit; ea vero turbata, ſynodus ipſa fatiſcere cœpit : ſed, ut jam ſuperius vidimus, prævalere illæ de finibus,ac limitibus legitimæ poteſtatis haud potuerunt controverſiæ, & ſic proſperum tandem conſecuta eſt exitum, Pontificibus unice pro communi utilitate, neceſſitateque eccleſiæ ſtudioſis, atque vetera revolventibus tempora, quibus anteceſſores ſui, ſemper præcipue pro munere ſuſcepto circa concilia ſatagentes, amplitudinem potius, quam diminutionem auctoritatis ſunt nacti, de eccleſia optime meruerunt. Sic Pius IV. Seſs. 14. declaravit : *Cum intelligeremus ad hæc ſananda mala aptiſſimum eſſe remedium, quod ſancta hæc ſedes adhibere conſueviſſet, æcumenici, generalisque concilii, ejus congregandi, & DEO adjuvante celebrandi conſilium cepimus.* Recte igitur ad veterem mentem antiqua conſilia redierunt, quando avita ſtudia unitatis, communionisque ſunt capta. Tuncque iterum utilitati, neceſſitatique proficua fuit concilii celebratio, quando vel induciæ ad tempus fuerunt, ac ceſſatio

ſatio inteſtini illius belli inter ſummas eccleſiæ poteſtates, juſtitiumque litigioſi illius fori, quod judicia, judicesque ipſos eccleſiaſticos inter ſe committebat. Attamen non penitus ea ſimplicitas & felicitas hujus ſupremi univerſalisque tribunalis reſtitui poteſt, qua olim tam cito conveniebant Patres, brevique componebant, ac finiebant cauſas & negotia religionis. Nullæ tunc de conciliis leges, & ſtata tempora præterquam particularibus; generalia extraordinaria erant remedia. At poſtea lege cautum, ut ſingulis decenniis agerentur, ſine omni fructu, effectu & utilitate, quod in communione legitima poteſtatis eccleſiaſticæ nec fuerit lata, nec ad eam intenta. Conſilium illius legis, ut alia, ſuggeſſit *Jo.* GERSON, ſic enim is *in Viagio Regis Romanorum* Direct. IV. lege ult. *concilium generale poteſt, & debet conſtituere crebriorem generalium conciliorum celebrationem, quam retro actis temporibus fuerint celebrata: ut de decennio in decennium, præfixa futuris ſummis Pontificibus iſta lege, quam transgredi non liceat.* At occulte ſpiritus diviſionis contra pacem, & unitatem ſeſe inſinuabat. Spiritus autem S. eſt Spiritus pacis, non diviſionis: nec proficere aliquid potuit in celebri illa epiſtola Card. JULIANUS, quam

plenas

plenas etiam fiduciæ in Spiritum S. in ſinum EUGENII effuderit voces, timore conculcandæ auctoritatis in Pontificis animo altas nimis figente radices: & tamen imprudens ipſe Cardinalis veritati litare debuit faſſus, ejusmodi formidine infeſtante, nullum olim futurum fuiſſe, ut cogeretur concilium. *Forſitan*, inquit (*a*), *quod præjudicetur auctoritati*
a. *ſummi Pontificis in aliquibus, non puto aliquem debere conſentire contra canonicas ſanctiones, decretaque ſanctorum Patrum, nec Spiritus S. illud permittet. Nunquam fuiſſet celebratum aliquod concilium, ſi hujusmodi timor invaſiſſet corda Patrum noſtrorum, ſicut invadit noſtra.* Utinam, ne timor, qui hactenus perdurat, deinceps funeſtus aliquando iterum ſit eccleſiæ, niſi, reſtituta communione integerrima inter ſummos eccleſiæ principes, quam turbant contentiones de ſuperiore Pontificis, vel concilii auctoritate, penitus tollatur.

CA-

(*a*) JUL. Card. Epiſt. ad EUG. IV.

CAPUT XIII.

Quas Romanus Pontifex ſervata communione legitimæ poteſtatis obierit ſemper partes in præformandis decretis conciliorum, eorumque convocatione.

I.

Romani Pontifices quatenus præierint priorum duorum conciliorum œcumenicorum ſtatutis.

Quam vero nulla fuerit auctoritatis æmulatio, aut præeminentiæ invidentia adverſus ſummam ſedem apud ampliſſimos conciliorum conſeſſus, quam promte Romani Pontificis dictatis detulerint, atque reverenter acceperint Patres conſcripti, nullus eſt ejusmodi conventuum univerſalium, qui non ediderit documenta. In prima Nicæna tria potiſſimum momenta agitabantur: contra Arianos de Verbo DEI Patris ὁμοουσίῳ: de Paſchate: de Rebaptizatione. Quæ poſtrema duo capita, ut fuerant jam a VICTORE, & STEPHANO RR. PP. præjudicata, ita ſuſcipiebantur communi Patrum conſilio, terminabanturque. Quoad primum caput ea etiam ſingularis enituit auctoritas, ut, cum nihil obſtante concilii Nicæni definitione, auctoritateque, Ariana lues late ſerperet, ac magna in eccleſia ſtrages contra ſummos quosque antiſtites ederetur, aliis a ſe-

a ſede ſua, aliis a fide, fraude, minis, alia quavis arte dejectis, Romana ſedes poteſtatem ſummam exeruerit. Id experti ſunt ATHANASIUS, aliique fidei defenſores reſtituti a JULIO; a DAMASO Ariminenſe concilium exauctoratum; epiſtolæ denique orthodoxorum maxime orientalium ad Romanam ſedem commune aſylum, ac perfugium teſtantur. Cum primum orta eſt de Spiritus ſancti divinitate contentio, quæ poſtea ſynodi II. Cpoli congregandæ fuit occaſio, qui a MACEDONIO ſtabant ad LIBERIUM P. tres ſuo e cœtu epiſcopos ablegarunt: qui cum rectam de Spiritu S. edidiſſent, probaſſentque fidem, cum litteris communicatoriis dimiſſi, a ſynodo Tyanenſi ſuſcepti ſunt, viſaque eſt, teſte SOZOMENO, finem accepiſſe quæſtio. Cum poſtea recruduiſſet, atque ingentes motus, ac tumultus ſynodum flagitaſſent, ea tamen nihil, quod antea prædicatum non fuerat judicio Romanæ ſedis, decidit.

Ac magis ſemper in ſubſequentibus reliquis orientis conciliis generalibus.

II. Sed multo luculentiora præjudicii a Romana ſede facti ſolemniſſimis quibusve conciliorum œcomenicorum cauſis, & judiciis ſunt argumenta, fidei decretum præeundo, ac dictando. Ita Epheſinæ ſyn. Patres (*a*) initio ſtatim coa-

(*a*) Act. I. Syn. Epheſ. I.

coactos per ſacros canones, & epiſtolam ſanctiſſimi COELESTINI Romanæ eccleſiæ epiſcopi ſe damnare NESTORIUM profitentur : legatis vero COELESTINUS in mandatis dedit, ne quam contentionem de dictatis ſuis, aut litem movere ſinerent. *Ad diſceptationem*, inquit (*a*), *ſi fuerit deventum, vos de eorum ſententiis dijudicare debetis, non ſubire certamen.* Non abſoluta tamen agebat poteſtate, communioni Sanctorum in conſenſione catholica confidens. Sic quidem PROJECTUS legatus de eo infit, *Quod Cæleſtinus per litteras Sanctitatem veſtram hortatus eſt, non quaſi ignaram docens, ſed velut gnaram commonefaciens, ut ea, quæ dudum ante definiit, & nunc in memoriam revocare dignatus eſt, ad finem pleniſſimum jubeatis perduci, juxta canonem fidei, & catholicæ eccleſiæ unitatem.* Ipſe NESTORIUS laceſſitus mox huc perfugit, ut de eo teſtatur CYRILLUS (*b*): *Miſit Neſtorius quosdam ſuarum exegeſeon quaterniones Romam: quos cum piiſſimi epiſcopi, qui in magna Romanorum urbe inventi ſunt, legiſſent, multisque conſeſſibus, & conſultationibus habitis examinaſſent, illorum auctorem non absque indignatione exſibilarunt, palam aſſerentes novam illum, eamque pernicio-*

a.

b.

(*a*) Collect. apud *Chriſt.* LUPUM. c. 236.
(*b*) Ep. ad JOAN. *Antioch.*

nicioſiſſimam, & a nullo veterum hæreticorum antea unquam excogitatam hæreſin moliri. Ex quibus patet Romanos Pontifices non privatim aliquid in rebus tanti momenti egiſſe, ſed, quos ſecum habebant epiſcopos, in conſultationem accepiſſe, atque ſedulo multisque conſeſſibus examinaſſe, ſicque ſententiam dixiſſe. Meminitque l. c. CYRILLUS de examine NESTORII, commentariorum a ſe quoque Romam miſſorum: *Tunc Romana ſynodus diſertam ſtatim in illum ſententiam tulit: qua de re & ad tuam quoque Pietatem perſcripſit. Quibus parere neceſſitas illis incumbit, qui a totius occidentis communione excidere noluerit.* Hæc CYRILLI fuit exiſtimatio de anticipata Romana NESTORII damnatione: nec poſtea in ſynodo novæ diſquiſitioni NESTORII cauſa ceu anceps, ſed communioni legitimæ eliciendæ, ac ineundæ propoſita aut ventilata eſt, haud minus ac PELAGII, dum in occidente proſcriptus, auctoritate potiſſimum Romanæ ſedis ejus errores jam diu ante fuiſſent. Nec aliter poſtea res transacta eſt in EUTYCHIS cauſa. Cauſa ad LEONEM P. delata per FLAVIANUM, ipſo etiam EUTYCHIS libello, quo ſe correcturum eſſe promittebat, quidquid LEONIS ſententia de his, quæ male ſenſerat, improbaſſet, quæ ſunt

fere

fere LEONIS ad THEOD. verba: *Quid autem*, addit, *catholica eccleſia univerſaliter de ſacramento dominicæ Incarnationis credat, & doceat, ad fratrem, & coepiſcopum noſtrum Flavianum plenius continent ſcripta, quæ miſi.* Indigitat hic celeberrimam, atque infinitis laudibus accumulatam epiſtolam, quæ inſtar eſſe debebat ſynodi Patribus, fidei ſine omni tergiverſatione formandæ, confidente LEONE ſanctiſſimo, non propriæ ſcientiæ cujusdam exiſtimatione, ſed traditionis, apoſtolicæque doctrinæ perſuaſione. *Unde fratres chariſſimi*, ſunt LEONIS verba ad ſynodum, *rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpiratam, vana errantium infidelitas conquieſcat. Non liceat defendi, quod non licet credi. Cum ſecundum evangelicas auctoritates, ſecundum propheticas voces, apoſtolicamque doctrinam pleniſſime, & lucidiſſime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de ſacramento Incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti pia, & ſincera confeſſio.* In ſequenti quinta ſynodo tantæ auctoritatis oſtentatione opus haud erat, ſed potius magna circumſpectione, cum de turbis potius ſedandis, atque pace, & unitate eccleſiaſtica retinenda ageretur: hinc licet VI-

GILIUS hic etiam veluti prælibaſſet Patribus ſententiam, tamen neceſſaria quadam œconomia veluti in bilance ſeſe continere aliquamdiu opus fuit, cum in alterutra lance hic oriens, illic occidens fluctuaret, periclitareturque: cui utrique ſe Romanus Pontifex non tam unitatis centrum, quam æquilibrii ἰσόῤῥοπον omnibus omnia factus præſtare debuerat. At in ſexta poſtea ſynodo AGATHONIS epiſtola eodem loco eſt habita, eadem auctoritate, libertateque fides præformata, hæreſis vero damnata eſt, ſic ipſa ſynodus ad AGATHONEM conteſtata eſt: *Litteras a veſtra Beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſas, ut a ſummo apoſtolorum vertice divine perſcriptas agnoſcimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus.* Ut vero pauca quædam ex epiſtola illa delibemus tam fauſtis acclamationibus accepta: ſic Papa imperatorem alloquitur: *Porrigere dignemini clementiſſimam dexteram apoſtolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum veſtrorum B. Petrus apoſtolus tradidit .... Cujus annitente præſidio hæc apoſtolica ejus eccleſia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cujus auctoritatem utpote apoſtolorum principis ſemper omnis catholica eccleſia, & univerſales ſynodi fideliter amplecten-*

plectentes in cunctis secutæ sunt. Septimæ synodo eo majore auctoritatis pondere præivit, atque definitionem præscripsit, quod simul præeuntem pseudo-synodum damnandam ADRIANUS nulla tergiversatione postularit, nulla auctoritate Romanæ sedis factam. *Imprimis*, habet epistola ADRIANI ad Imp. *Pseudo-syllogum illud, quod sine apostolica sede enormiter, & irrationabiliter, nequiterque contra sanctorum venerabilium Patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathematizetur.* In ipsa vero synodo hoc statim egerunt legati, ut lectis ADRIANI tam ad imperatorem, quam Patriarcham TARASIUM litteris Patrum assensum postularent, ac obtinerent nullo negotio primum a TARASIO cum insigni elogio, ac tota synodo conclamante: *Sequimur, suscipimus, & admittimus.* Lecta Act. II. synodi VIII. epistola imperatoris ad NICOLAUM P. probataque declarat, flagitatum etiam a Pontifice, ut omnia in synodo pertractanda ab eo antea definirentur. Cautum vero in ipsa synodo, ne aliter quam præjudicata a NICOLAO PHOTII causa haberetur, nec ingrederentur Photiani, nisi ut ceu damnati beatissimi NICOLAI epistolam audiant. Quare de S. IGNATIO NICETAS in ejus vita: *Non erat Ignatio auctoritas*

agendi quæ vellet. Romanis enim pro eccleſiaſtica conſuetudine judicandi poteſtatem permittebat.

Multo autem maxime in œcumenicis ſynodis deinceps in occidente celebratis.

III. De illis ſynodis, quæ deinceps aut Romæ in Laterano, aut in aliis occidentis partibus in Galliis præſertim ſunt celebratæ, antequam importunæ illæ de finibus, ac terminis legitimæ auctoritatis invaluerunt diſputationes, quæ ſummæ eccleſiæ tribunalia Romani Pontificis, & concilii diviſerunt, nemo a me petet ſingularia documenta, qua auctoritate præierint illorum decretis ſummi Pontifices. Quandoquidem præſentia ipſa Pontificum ſolis inſtar lucem ſtellarum, Patrum inquam in concilio ceu in quodam cœli ambitu conſidentium, abſorpſerit, ac omnia ex nutu, & præſcripto ſolo fere Pontificis nomine, & auctoritate ſuſcepta, ac geſta ſint: accedentibus communis primatis, ac capitis, præterea Patriarchæ occidentis juribus, minus vigentibus, communionis poteſtatis eccleſiaſticæ legibus, ubi maxime ſeſe exerere debebant in conciliis inquam œcumenicis. Poſteaquam etiam tantæ potentiæ reſiſti cœptum, eaque etiam ultra communionis leges, ac limites impetita, laceſſitaque fuit, tamen, quæ præſertim fidem ſpectarunt, veluti præmanſa conciliis digerenda ſunt data.

data. Sic in ipſo concilio Conſtantienſi, quæ contra WICLEFFUM ſunt definita, prius jam Romana ſedes damnarat, quamvis temporum injuria ob ingruens ſchiſma omnem ſuam explicare haud poſſet potentiam. Ad ſynodum Florentinam ita venerunt Græci, ut jam præjudicatæ ſententiæ, redintegrata unione communioneque, accederent, minime vero ceu de dubiis controverſiis diſquireretur, conſultaretur &c. Contra LUTHERI, & CALVINI errores ita jam omnia erant deſtinata, determinataque ſedis Romanæ judicio, ut ſuperſederi poſſe ſynodo videretur, atque ad multiplicanda fulmina, accumulandamque veritatis lucem, non novam accendendam apparatus iſte fuerit, ne quis cunctandi, tergiverſandi, excipiendique locus adverſariis ſupereſſet: qui ſe tueri videbantur ipſa illa nuper inter Catholicos exorta lite, ac diſcidio inter ſummos eccleſiæ judices: *Quis eorum videretur eſſe major?* Unde in præceps ipſi ruerunt (ut ſunt humana ingenia, ſi ſemel habenas laxent) conculcata penitus legitima auctoritate eccleſiaſtica, homine quovis privato in ſupremum judicandi tribunal evecto, ordinis ſacri omni abjecta prærogativa, & dignitate, & promiſcuo fidelium cœtui conceſſa; an-

ſam præbuiſſe, atque fuiſſe primam quandam tonſuram, ad degradandum legitimum ordinem, novumque ſublimandum, controverſiam illam, vix abnui poteſt.

Primæ decidendi partes in Romano Pontifice ſecundum communionem legitimæ poteſtatis.

IV. Sed ut ad nos redeamus, atque ex his omnibus calculos ſubducamus, abunde quidem iſta demonſtrant cauſas religionis easque præcipuas circa fidem nunquam aliter, quam ex præſcripto Romani judicii eſſe in ſolemniſſimis eccleſiæ conventibus generalibus conciliis deciſas, atque acciſas hæreſes. Non nobis hic negotium faceſſant, qui aut fruſtra fuiſſe ſynodos pertendunt, ſi ſolum Pontificis judicium omnibus ambiguitatibus tollendis ſuffecerit; aut admitti debere volunt, examine ulteriore ſynodi dictata Pontificum comprobata fuiſſe, & in rem judicatam abiiſſe. Loquimur nos ſecundum leges communionis in poteſtate eccleſiaſtica inter ſummos eccleſiæ judices, quorum unum ſibique concordans effatum, judicatumque ſemper fuit, uti quidem docent exempla omnia, nec ullum in contrarium poteſt afferri. Nec aliter deinceps erit, quod de divinis promiſſionibus, atque aſſiſtentia Spiritus S. pleniſſima fide confiſi, certo ſumus perſuaſi. Cum enim omne regnum in ſe diviſum ſtare non poſſit:

ecclc-

eccleſiæ autem regnum perpetuum, ac ſtabile ſit fundatum, atque, quibus illius habenæ, & gubernacula ſunt commiſſa, cum illis uſque ad conſummationem ſæculi ſe futurum promiſerit Chriſtus, ſemper in unitate, & conſenſione concreditum adminiſtrabunt regnum, ut fruſtra tribunal contra tribunal, cathedra adverſus cathedram ſtatuatur. Omnes, quibus judicandi poteſtas, auctoritasque eſt data, in mutua unione concordia illa utentur, præſertim in conciliis generalibus, ubi judices ex orbe chriſtiano confluunt ad communem conſenſum exprimendum, & ſententiam dicendam juxta ductum Spiritus S. inſpirationemque concordiæ in una fide, excluſa omni ſingularitate, quæ diſcordiam generaret: ut adeo nec capitis ſolius dici debeat judicium, quod licet præeat, non eſt tamen aliud, quam reliqui corporis; nec alia membra legitima auctoritate inſtructa, judicandi poteſtate priventur: aut idcirco alterutrius partis diminuatur auctoritas, quod in eandem coincidant ſententiam, nec adverſas poſſint ſequi opiniones. Hoc nihil aliud eſſet, quam corpus eccleſiæ, quod in conciliis generalibus excellenti modo repræſentatur, diſſolvere, unitatem fidei ſolvere, regnum Chriſti inter ſe dividere, eccleſiam ſcindere. Quando

etiam pro capitis excellentia præit Pontifex ſententiam, quam cæteri ſequuntur, id tamen minime facit, ut ſingularis ac privatæ ſententiæ, ſed ut communis fidei interpres: ut mirum non ſit in eandem ſententiam conſpirare, qui idem ſunt nacti depoſitum. Quodſi ſecus fieret, una fides non eſſet, ſicut una eccleſia in quam credimus, de qua judicandi quicunque poteſtatem acceperunt, tunc firmam ineunt ſententiam, quando inter ſe conſentiunt, atque communem fidem, non privatam opinionem depromunt.

Quæ ſemper ſine æmulatione reſplenduit in antiquis conciliis.

V. Quodſi ſummus etiam Pontifex de ſuo judicium ferret, ut privatus doctor, non ut publicus judex, haud admitteretur. Atque hinc de communione poteſtatis eccleſiaſticæ conjici licet, quæ illius ſit ratio in conciliis præſertim œcumenicis, ut nulli inter ſummos eccleſiæ principes alterius obſit prærogativa, quin legitimam ſuam exerceat poteſtatem, atque de communi fide communis ſententia proferatur: ſicque conſtet nihil ſingulare aut privatum a judice quoquam fuiſſe uſurpatum, ſed communem fidem expoſitam. Ita Epheſini Patres rem declarant Imperatori, epiſtola, qua ſeriem actorum exponunt (*a*): Nimi-

a.

(*a*) Act. III. Conc. Epheſ.

Nimirum ARCADIUM, & PROJECTUM epiſcopos cum PHILIPPO presbytero COELESTINI epiſcopi præſentiam ſuppleviſſe: ac totius occidentalis ſanctæ ſynodi ſententiam Patribus Epheſinæ ſynodi per litteras expoſuiſſe, & eadem omnino, quæ Patres Epheſini, decreviſſe; propterea de communi illorum conſenſu hanc relationem fieri imperatoriæ majeſtati, ut ei conſtaret judicium, quod prima actione factum fuerat adverſus NESTORIUM, eſſe unam eandemque totius terrarum orbis ſententiam. Quanta conſenſione, applauſuque LEONIS epiſtola in quarta ſynodo ſit ſuſcepta, acta non ſolum hujus ſynodi, ſed etiam occidentalium Africæ, & Galliarum produnt: nihilominus Patres quintæ ſynodi referunt, quid factum circa illam, quomodoque ſanctæ ſynodi ea, quæ proferuntur, probare ſoleant. *Cum enim*, ajunt (*a*), *illi ſanctiſſimi viri, qui recitatas epiſtolas ſcripſerunt, ſic ſplenduerunt, tamen epiſtolarum earum comprobationem non ſimpliciter, nec ſine inquiſitione fecerunt, niſi per omnia cognoviſſent conſonare eas expoſitioni, & doctrinæ SS. Patrum, ad quam & collatio facta eſt.* Qui iſtis putant quidquam derogatum legitimæ ſummæ Pontificis auctoritati, ac judicii

a.

(*a*) Collat. VI. Syn. V.

dicii infallibilitati, idem de D. PETRI ſententia dicere poſſent in concilio Hieroſolymitano primum dicta, de qua JACOBUS, quod concordet verbis prophetarum, poſtea pronunciat. In ipſa illa quarta ſynodo paucis quibusdam, poſt ſolemnes plerorumque Patrum acclamationes, quædam dubietas de nonnullis verbis epiſtolæ LEONIS eſt ſuborta: at, ut ipſi indicant, potius linguæ obſcuritate, quam ſiniſtræ ſententiæ ſuſpicione, quibus cito legati ſcrupulum exemerunt: *Qui*, ajunt illi, *nobis dilucidaverunt, quæ linguæ obſcuritas ſubnotabat.* Ac formidaſſe videntur, ne obſcurius, ac ambigue poſita verba a malignis in pravum ſenſum detorquerentur. *Aliqua autem*, ajunt, *nobis ex ipſa obſtiterunt verba, ut partitionem, & ſeparationem aliquam demonſtrantia ſic volentibus ſapere.* At hoc modo etiam ſcripturæ ſacratiſſimis verbis abuntur perverſi. Et ſæpe concilia œcumenica haud ſibi ſatis cavere potuerunt a depravationibus ejusmodi. Una vox *Conſubſtantialis* diverſam ſic ſubiit ſortem. Primum ob errorem PAULI *Samoſateni* tanquam ſuſpecta migrare debuit, poſtea iterum ſolemniter conſecrata in concilio Nicæno, quod perſpicerent Patres ſine ea Arianos integrum ſymbolum ſecundum

omnes

omnes ſuos articulos admiſſuros, quin errorem deponerent: quamvis non defuerint, qui timerent errori PAULI *Samoſateni* hoc modo januam pandi. Ejusmodi dubio de intelligentia epiſtolæ LEONIS detentos fuiſſe, quos notavimus, vel inde ſuadetur, quod ingenue ipſi profiteantur ſe orthodoxum ſemper indubitatiſſime habuiſſe LEONEM. Sed quidquid ſit de hac nubecula, ea nullo negotio diſpulſa eſt, neque communionem unionemque ullo modo turbavit, quæ eſt inter ſummos eccleſiæ præſules, atque ſingulariter emicat in conciliis generalibus, ubi ſine æmulatione, ac invidia mutuo conſilia communicant paſtores, judicantque conſenſione, non colliſione auctoritatis, ut quod præjudicatum eſt in ſententia dicenda, hinc putent præjudicari quidquam ſuæ poteſtati. Hanc communionem hac ipſa in ſynodo, haud obſtante anticipata LEONIS ſententia, legati egregie exprimunt, dum de ſententia in DIOSCORUM dicenda agitur: *Sanctiſſimus, & beatiſſimus archiepiſcopus magnæ, & ſenioris Romæ per nos, & per præſentem ſanctam ſynodum, unacum beatiſſimo, omnique laude digno beato Petro apoſtolo, qui eſt petra, & crepido catholicæ eccleſiæ, & ille qui eſt rectæ fidei fundamentum nudavit eum tam epi-*

epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni ſacerdotali alienavit miniſterio. Igitur ſancta hæc, & magna ſynodus, quæ placent regulis ſuper memorato Dioſcoro decernat. Citaverunt hæc BELLARMINUS licet verbis paululum immutatis, ceu decretum ita primum firmatum fuerit, poſtquam concilium conſenſiſſet judicio Pontificis circa depoſitionem DIOSCORI;

a. notarat inſuper BELLARMINUS (*a*): Pontificem mittere ſolere legatos inſtructos de ſententia apoſtolicæ ſedis cum ea conditione, ut ſi concilium conſentiat, judicio apoſtolicæ ſedis formetur decretum, ſin minus differatur decreti, formatio donec Romanus Pontifex conſultus reſpondeat. Hic indignatur BELLARMINO *Ed.* RICHERIUS, ac mendacii arguit, hanc praxin non tempo-

b. rum LEONIS M. (*b*) ſed hodiernorum eſſe. *Quandoquidem*, inquit, *homines obnoxii contra ſcripturæ auctoritatem perſuadere volunt, ſolum Papam gratia infallibilitatis præditum, ac ſi Spiritus S. non aliter eccleſiæ catholicæ quam per Papam afflaret, atque in Papæ manu eſſet emittere, ſuſpendere, aut omnino afflatus divinos interdicere. Hercle*, ita ille in ſacris jurat, *Dominus Matthæi XVIII. non uni cuipiam*

(*a*) De Conc. auct. L. II. c. 11.
(*b*) Hiſt. Conc. gen. T. I. c. 8. n. 25.

tuipiam homini ſingulari, vel etiam urbi, loco, ſedi, aut cathedræ epiſcopali, ſed tantummodo congregationi factæ in nomine ſuo auxilium, & præſentiam pollicetur: Ubicunque fuerint duo &c. *Qua formula omnem excludit ſingularitatem.* Ajo hoc idem ego. Id vero pernego, judicium ſummi Pontificis privatum, ac ſingulare eſſe, quod ipſe ex communi promtuario depromit traditionis tum eccleſiæ ac ſedis ſuæ Romanæ, cum univerſalis per orbem diffuſæ: hæc enim duo ab invicem ſejungi haud poſſe Catholici conveniunt: ego autem invictiſſime concludo hinc communionem poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem, & epiſcopos, quæ haud admittit, ut colliſio judiciorum, & adverſantis, contrariæque ſententiæ fiat: quandoquidem omnes publicam eccleſiæ fidem, non propriam ſciſcunt ſententiam, nec ab hoc unquam deſciverunt in nomine Chriſti in conciliis congregati, ac coadunati paſtores.

VI. Hoc modo rite deinceps concilia illud Hieroſolymitanæ ſynodi uſurpant: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Ubi pariter vidimus PETRUM primum ſententiam dixiſſe, eique reliquos adſtipulatos eſſe ac nunc etiam primum intelleximus, eandem

Nec conſtare poteſt absq; interventu Rom. Pontificis.

dem formam uſumque in omnibus bene ordinatis ſynodis viguiſſe. Nihil eſt, quod petant ab illo apoſtolico exemplo
a. GERSONIUS (*a*), ſuique aſſeclæ: ubi non ſola auctoritate PETRI, ſed communi conſenſu eccleſiæ congregatio facta fuerit, ſolumque poſt incrementa naſcentis eccleſiæ primitivæ præmiſſa poteſtas limitata, & reſtricta fuerit, ut ſine auctoritate Papæ nulli liceat hujusmodi concilia celebrare ab honorandam ſolum ſedem apoſtolicam, obviandumque hæreticis, & ſchiſmaticis potentia principum fretis. Primum quod ſpectat, in omnibus negotiis ſcimus primum veluti motorem fuiſſe PETRUM, tuncque apoſtolis adhuc Hieroſolymis congregatis, ac fere ſub eodem tecto habitantibus nihil opus fuiſſe condicto diei, publicaque aliqua denunciatione. Aliunde vero PETRI primatus divinitus, nemine Catholicorum diffitente inſtitutus, hoc ejus ſucceſſoribus tribuit jus, ne ſine eo ſynodi generales celebrentur: quod etiam praxi primitivæ eccleſiæ demonſtratur, uſuque conſtanti non ſolum, ſed etiam canonibus eccleſiaſticis conſtitutum eſt: quem nunquam violari ſiverunt tum Pontifices, tum ipſa concilia. Inde acerbæ illæ querelæ JULII I. de ſynodis Tyren-

(*a*) Propoſ. util. ad extermin. præſ. ſchiſ.

renſi, Antiochena, & aliis absque ſua ſententia, & conſenſu habitis, condemnato ſe inſcio, atque inaudito S. ATHANASIO: cum lex ſit eccleſiaſtica, acta illa, & decreta ſynodorum haberi irrita, quæ præter ſententiam epiſcopi Romani conſtituerentur. Sic ſcribit JULIUS orientalibus, eosque objurgat, incuſatque, quod eccleſiam turbarent; ut THEODORETUS, & SOZOMENUS narrant: qui, & SOCRATES etiam, referunt canonem illum eccleſiaſticum. Nec ſolum irrita omnia ſic geſta ſunt declarata, verum etiam occaſio arrepta in Sardicenſi concilio novis canonibus, jus Pontifici Romano firmandi. Id quod etiam conſtanter retinuit. Et vel unum DIOSCORI fatum nos docet, quam haud impune legem iſtam violare licuerit. Initio enim ſtatim primæ actionis Chalcedonenſis Conc. in crimen vocatus, atque rationem reddere coactus primatus a ſe præſumti, & quod *ſynodum auſus ſit facere ſine auctoritate ſedis apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Ita legatus: unde etiam juſtam damnationis ſubiit pœnam. Dum poſtea in cauſa imaginum idem auſi fuiſſent Iconoclaſtæ, vel hoc uno nomine eorum pſeudo-ſynodus eſt reprobata. *Quo pacto*, aje-

a. ajebat STEPHANUS (*a*), *œcumenica appellabitur ſynodus, in qua Romanus præſes non præfuit? ſine cujus aſſenſu non licet res eccleſiaſticas ordinare.* Galli vero ad ipſum Romanum Pontificem tempore PHILIPPI *Pulchri*, quo acerbæ ſimultates Romanum Pontificem inter ipſosque ferve-
b. bant, nihilominus, *Non*, ajunt (*b*), *habet congregari concilium generale. Eſtis enim vos, Pater ſanctiſſime, JESU Chriſti Vicarius, totum corpus eccleſiæ repræſentans, qui claves regni cælorum habetis Nec congregatum totum generale concilium ſine vobis, & niſi per vos poſſet cognoſcere.*

Secus ac poſtea eſt viſum de ſynodis abſque Pontifice celebrandis.

VII. Hactenus quidem cõmunis mens, communisque obſervantia nemine repugnante ita fuerat, ut jure acephalum diceretur corpus, nec ſatis eccleſiam repræſentans in concilio œcumenico orbatum capite ſuo: quin nec univerſalis, œcumenicaque communio Sanctorum, ac legitimæ poteſtatis eccleſiaſticæ haberi, ac concludi poſſet, niſi cum reliquo corpore caput eſſet compaginatum conſociatumque in concilio generali. Cum ecce tibi, poſtquam forum contentioſum inter judicia judicesque ſummos eccleſiaſticos eſt inſtitutum, atque ex metaphyſica potius, quam ſupernatura-

(*a*) Ap. GENNAD. Def. Conc. Florent. c. V. n. 10.
(*b*) Hiſt. du diff. de BONIF. & PHIL. n. 75.

turalibus principiis, legibus evangelicis, ac traditione, theologia, jusque canonicum informari cœpit, excogitari cœperunt varii casus metaphysici, quibus concilium absque Papa congregari possit, non modo in schismatis casu si Papa sit dubius, sed etiam extra schisma si sit hæreticus, si detentus, si mente captus, si aperte simoniacus, si ea moliatur, quibus universam pessumdet ecclesiam &c. universimque si Papa nolit, aut nequeat præesse synodo, aut etiam si juxta Patrum suffragia nolit concludere synodum: tunc Patres in synodo sedentes ex communione Sanctorum legitime inita definire, & statuere valeant: Ut habet *Jo.* GERSON. At qualis est hæc, in principiis GERSONII communio Sanctorum? certe non in *legitima* potestate ecclesiastica in summis *ecclesiæ* pastoribus, judicibusque a Christo immediate institutis, sed in ipsa ecclesia immediate auctoritatem a Christo habente, quam concilium generale congregatum repræsentet, continuoque auctoritatem Papæ virtualiter, suppletive, eminenter, & architectonice complectente: ut adeo ad suam unitatem conservandam rite valeat se ipsam ad generale concilium congregare. Hæc est illa unionis, communionisque ratio a GER-

sone potiſſimum excogitata, & excocta: qui tamen tres tantum caſus, ſed infinite ſeſe protendentes, ſtatuit: primus ſi ſede vacante occurreret hæreſis, vel alia eccleſiæ perſecutio: ſecundus ſi in caſu neceſſitatis, aut manifeſtæ utilitatis Papa eſſet furioſus, hæreticus, aut alias ad hoc inutilis, aut inſufficiens, vel ſi ſuper hoc requiſitus concilium convocare recuſaret, aut damnabiliter negligeret: tertius ſi plures eſſent contendentes. Addit in his, & ſimilibus caſibus absque auctoritate Papæ non ſolum poſſe, ſed & debere eccleſiam generale concilium celebrare.

Turbæ hinc, & colliſio legitimæ poteſtatis præſertim ſub Julio II.

VIII. Cum in concilio Conſtantienſi lex lata ſit, ut ſingulis decenniis concilium cogeretur generale, ſeſſ. XI. concilii Baſil. ſuperadditum, ſi forſan Pontifex ſingulis decenniis cum effectu convocare detrectet, aut negligat, jus convocandæ ſynodi ad eccleſiaſticos devolvi, qui de jure vel conſuetudine generalibus conciliis intereſſe conſueverint, idque absque ulla publicatione, aut indictione neceſſaria ex parte Romani Pontificis. Integram hanc ſeſſionem poſtea ſuam fecerunt, atque exſcripſerunt, qui ſecundo ſub Julio Piſis concilium indixerant præter Romanum Pontificem hac uſi licentia. Poſt mortem Alexandri VI. Car-

Cardinalibus, priusquam conclave ad novum Pontificem eligendum ingrederentur, ipſe *Julianus de* Rovera, poſtea Pontifex Julius II. auctor fuiſſe perhibetur, a Guichardino lib. VI. Hiſt. ut actum ſolenne, & authenticum conſcriberent, proprioque ſacramento, & ſyngraphis confirmarent de concilio generali cum effectu habendo, ad eccleſiam in capite, & in membris reformandam, & de auctoritate collegii Cardinalium: ut Papa illis invitis, aut in conſultis nihil magni momenti pro eccleſiæ regimine decerneret. Debebat ſingula *promittere, & jurare pure, & ſimpliciter, & bona fide realiter, & cum effectu perjurii, & anathematis, a quibus nec ſeipſum abſolvere, nec abſolutionem alicui committere velit.* Inter acta concilii Piſani II. quæ habentur apud *Ed.* Richerium T. III. P. I. Hiſt. Conc. gen. habentur authentica ſcripta, quibus primum inter ſe Cardinales, ac poſtea Julius II. ſtatim atque inauguratus eſt Pontifex, hoc ſe ſacramento, & imprecationibus obſtrinxit, diu vero fidem datam exſolvere diſtulit: bella præſertim cauſatus, ut illius defenſores primum legaliter oſtenderunt ex æquitate canonica, non poſſe Pontifici purgationem moræ denegari, ſi concilium diſtulerit convocare. Ipſe

Julius, dum poſtea concilium Lateranenſe ordiretur, hanc excuſationem protulit, propoſitum ſuum convocandi concilium retardatum, & impeditum propter bella. In ipſa bulla indictionis eandem affert cauſam: ſtante legitimo impedimento ſibi de jure votum ſuum, & ſacramentum transgredi licuiſſe: & tamen non transgreſſum fuiſſe, eoquod propter bella continua, quibus Italia vexabatur, illud obſervare haud potuerit: addiditque, hæc ad forum conſcientiæ ſpectare, quod de æquitate canonica purgationem moræ ſemper admittat. His ſe purgandum duxit contra illum juramenti articulum, quo facultas duabus partibus Cardinalium eſt permiſſa, congregandi generale concilium, ſi, ad Pontificatum aſſumtus, alicui contraveniret pactorum: atque hujus rei cauſa Piſas concilium indictum fuerat, conveneratque. Credebatur Pontificem haud fuiſſe alias convocaturum concilium Lateranenſe, niſi ad diſturbandum conventum Piſanum, qui ſe adverſus Lateranenſem defendit, apologiam etiam pro ſe ſuſtinendo ediderat: in qua inter alia, licet agnoſcatur, conciliorum convocationem ordinarie ad Pontificem pertinere, contenditur tamen eam regulam exceptiones habere *tam fere communes*, *quam*

quam ſit ipſa regula, antiquas ſcilicet & novas: quæ ibi percenſentur: univerſimque aſſeritur in propria cauſa concilii indictionem ad Pontificem haud pertinere. Eandem chordam oberravit *Philippus* Decius JCtus, tum in conſilio habito pro auctoritate eccleſiæ an. MDXI. tum in ſermone de eadem materia pro juſtificatione concilii Piſani tunc Mediolani reſidentis: ubi duos hos ampliſſimos caſus ſtatuit: *Quando Papa ipſe accuſatus ſit, quia*, inquit (*a*), *tunc auctoritas ejus non requiritur. Secundus caſus eſt, quando Papa eſt negligens in congregando concilium, quia tunc concilium a ſeipſo congregari poteſt:* utrumque autem caſum pro juſtificatione concilii Piſani II. pro rerum circumſtantiis ibi applicat. Bene eſt, quod præciſas conſtituerit circumſtantias: alias enim perpetuum communio poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes Pontificem, & epiſcopos prolapſa concumberet. a.

IX. Refert *Ed.* Richerius (*b*) in ſua hiſtoria Conc. gen. ſolemne collegii theologorum Pariſ. reſponſum ad annum MCDXCVII. ad conſultum regis, quo inter alia determinatur: *Quodſi tempore urgentis neceſſitatis ſicut nunc, vel poſt de-* Cardinalibus eam auctoritatem arrogantibus, uſurpantibusque.

(*a*) Serm. pro juſtific. Conc. Piſ.
(*b*) T. III. P. I. c. 2.

cem annos ab ultimo celebrato concilio, ſummus Pontifex rogatus fuerit, requiſitus, ſommatus (Gallic. ſommé) *& monitus de ſic congregando dictum concilium ut ſupra, & facere recuſaverit, vel diſtulerit, tunc principes tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, & partes eccleſiæ notabiles poſſe ſe congregare, ſine hoc, quod per dictum ſummum Pontificem congregetur dictum concilium eccleſiam univerſalem repræſentans &c.* Ita ſe tunc corpus adverſus caput erigebat, atque cervicem ponebat; econtra caput ſeſe obſtinabat: utrumque jure ſuo abutebatur pro opinionum conflictu. Papa ſe ſupra concilium, concilium ſe ſupra Papam judicabat, atque hinc renitentia adverſus concilium ſuæ poteſtati adverſum, illinc pro ejus celebratione ad Pontificem in ordinem redigendum niſus ſummus. Pontifex ejus celebrationi conſenſerat: ita in inſtrumento habetur, in quo fundamenta & rationes indictionis Conc. Piſani ſummarie recitantur, Cardinalibusque convocandi (caſu renitentiæ quamprimum opportuna adeſſet occaſio) celebrandique hujusmodi concilium generale nedum omnimoda conceſſa eſt auctoritas, verum & cõmuni eorundem aſſenſu ſub eo ipſo, & nulla expectata ſententia incurrendarum pœnarum privationis &c. paribus votis,

tis,& juramenti vinculis (per viam contractus) iidem ſunt arctati. Cauſas graves ac varias neceſſarii concilii allegarunt tum in inſtrumento citato, cum in ipſa concilii convocatione Cardinalium (quæ omnia in actis habentur) nomine facta. Convocatio etiam ex parte principum eſt facta, MAXIMILIANI Imp. ac LUDOVICI Galliar. regis, ob ſimultates, & bella cum JULIO II. maxime inſtigantis. Galliarum, rex ad concilium copioſum numerum prælatorum, theologorum, & jurisperitorum miſerat; Imperator legatos tantum, quibus id ſingulariter in mandatis dedit, ut Cardinalibus ſuo nomine gratias agerent, quod ad ipſius requiſitionem, exhortationemque tam promte, & voluntarie reipublicæ chriſtianæ, & univerſalis eccleſiæ periclitantis cauſam amplexi fuerint: aperte etiam poſitum erat in convocatione ex parte principum, convocationem concilii ad Cardinales ſecundo loco in ſimilibus caſibus ſpectare: neque de hoc jure tunc dubitabant, qui contra Pontificem ſtabant, ea ſcilicet in ſententia, politiam eccleſiaſticam mixtam eſſe, & compoſitam ex voluntate domini *ex monarchia in Papa ad præcepta, & executionem, & ariſtocratia in optimatum principatu, in ſenatu Cardinalium pro conſilio, & providentia*: ut habet Apol.

Conc. Piſ. Nec deerant, qui tuerentur, ut Papa PETRO, ita Cardinalium collegium apoſtolorum collegio ſuccedere, inaudita antiquis opinione, ac enormi poteſtatis amplitudine arrogata a presbyteris, & diaconis, cleroque Romano Pontifici ipſi maxime, ſi quis alius, obnoxio, & ſubjecto. Mirum, ac ridiculum plane eſt, eos, nihil obſtantibus, quæ ſupra, & contra Pontificem geſſerant, ſemper præſetuliſſe, *ſe manere, & manſiſſe in obedientia ſancta, & bona S. D. Papæ, & bona fraternitate, & filiatione reverendiſſimorum D. Cardinalium*, eorum ſcilicet, qui a Papæ partibus haud deſciverant, ita enim conteſtantur in reſp. *R. Ep. Alex. Nuncio ſacri Card. Coll. Romæ exiſtentis facta.* Nec diffitendum, obtuliſſe Cardinales omnimodam concordiam, unionem, & obedientiam, dummodo votis ſuis cederet Pontifex *de loco communi, neutrali, & ſecuro* pro generali celebrando concilio. Cujus rei gratia apud Pontificem haud ſemel per Cardinales ei adhærentes ſupplicarunt, eidemque ex gratiæ amplitudine conceſſerunt denominare unum ex decem locis eligendum: ad convocationem hinc ſolum ſe adductos cauſabantur, *quod in Pontifice, qui jam in ſextum annum tardaverit, non eſſet aliqua ſpes congregandi con-*

cum moram trahentibus. Maximam autem illis difficultatem creabat, quod conventum eſſet, ut duæ Cardinalium partes concilium convocarent, pars autem major adhuc cum JULIO perſeveraret: at conſilio DECII JCti celeberrimi hoc ſe ſcrupulo facile liberabant, qui multis contendebat, haud obſtare, quod minor pars inſtante termino, intra quem actus utilis, vel neceſſarius debeat expediri, poſſit majorem partem convocare, & in ejus negligentiam actum expedire: Cardinales cum ipſo Pontifice eſſe ſuſpectos, remanere poteſtatem penes minorem: ex quo major pars requiſita non venit, & non procuret intereſſe eccleſiæ cum poſſit: eadem in edicto regis Galliarum fuerunt allata: atque in concilio ſolemni a Cæſaris procuratoribus publicata (a): *Quod cum ſacratiſſimo domino ſuo non eſſet aliqua ſpes per medium ſummi moderni Pontificis, nec R. D. S. R. E. Cardinalium apud Sanctitatem ſuam moram trahentium, debere congregari generale concilium univerſalis eccleſiæ, pro pace chriſtianorum, bello contra infideles, & reformatione morum eccleſiæ, & extirpatione hæreſum, ac errorum: nec eis etiam*

(a) Act. Conc. Piſ. Ik. apud Ed. RICH. T. III. Hiſt. Conc. gen. P. I. p. 182.

tiam eſſet tutum hoc in præſentia a S. Pontifice exquirere, ideo videntes eccleſiæ maximam neceſſitatem, & memores præcepti concilii Conſtantienſis, de tenendo generali concilio ſingulis decenniis, recurrebant ad ipſos D. Cardinales &c. Ita illi quaſi religione ſe credebant adſtringi; ac *ratione præcepti, voti, & juramenti, ac ſcandali ſine interitu ſalutis æternæ a proſecutione concilii ceſſare non poſſe* perſuaſi erant: Romam invitati ad Lateranum, *is locus ipſis ſuſpectus notorie, & manifeſte ipſisque capitibus pernicioſus, & formidabilis illis temporibus* videbatur: quamvis conſtanter in bona Pontificis obedientia manere vellent, gloriarenturque unitatem, libertatem, ſpiritualitatem, utilitatem, & conſervationem jurium eccleſiæ, cum bona Pontificis, collegiique Cardinalium gratia procuraſſe, ac procurare pro magna in ejus ſanctitatem veneratione, & in Cardinales obſervantia: minitantes præterea quemcunque cujuscunque conditionis, ſtatus, & dignitatis etiam papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus &c. obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciendum, & debite puniendum fore: terminum, ac ſpacium triginta dierum Pontifici ſtatuunt, poſt quem, ſi ſanctæ ſynodi obſervantiam,

&

& benignitatem non audierit, sed contempserit, & in sententia hanc synodum impediendi permanserit, prout juris, & rationis fuerit, sint processuri.

X. Contra hæc ceu bruta fulmina Pontificis defensores animum obfirmare, ceu contra *insana ecclesiæ membra, acephalos, locustas, nomine tamen Cardinales, schismaticos, Judæos, filios tenebrarum, synagogam sathanæ, ecclesiam malignantium, schismaticam, atque etiam conventiculum Dathan, & Abiron, Acacium, & Dioscorum detonare:* ipse Pontifex censuris, interdictis, privationibus, inhabilitationibus sævire: synodus vero omnia hæc attentatas, & attentandas comminationes, & pœnas flocci pendere, inania, irrita, ac nulla declarare. Hæc tunc inter summos ecclesiæ antistites agitantur interneci na mala, ipsius cleri Romani fere cum suo supremo capite potissimum simultate, atque a sæculis inaudita procacia: licet enim numerus aliquis episcoporum fuerit in hoc conciliabulo, ii tamen ex una fere Gallia confluxerant jussu regis, ac inviti: protestantibus postea legatis Ludovici XII. nunquam Gallos adhæsisse synodo Pisanæ ut ab ecclesia Romana secessionem facerent, sed duntaxat, quo se adversus Julii injurias, & violentiam defenderent.

Obnitente Pontifice ac eorum sufflaminante consilia indicta Lateranensi synodo.

rent. Itaque, cauſa omnis odii, & ſimultatum cum Julii morte conſepulta, libere, pure, & ſimpliciter Piſano concilio (a) renuntiat rex: & ſacroſanctæ ſynodo Lateranenſi a Leone congregatæ ſe profitetur adhærere, regem ſecuta univerſa eccleſia Gallicana, quæ ſynodo Piſanæ adhæſerat, ſeſſ. IX. illi renuntiat Lateranenſique concilio ſe adjungit. Cæſar jam antea præierat exemplo ſuo: tandem etiam ſubſecuti ſunt Cardinales: & ſic in fumum abiit ingens incendium, ac conflagratio illa: atque communio legitimæ poteſtatis reſtaurata inter ſumma eccleſiæ tribunalia contentioſitate poſteriorum temporum inter ſe diſparata. Novo hoc exemplo conſtitit, quam ſit perverſus amaritudinis zelus, quamque non ſolum nunquam proſit, ſed etiam plurimum obſit, quovis prætextu cathedram contra cathedram erigere, unitatem, & communionem eccleſiaſticam ſolvere, centrum unionis deſerere, in caput cenſuram ſtringere, ac rebellare, regnum eccleſiæ in ſe dividere, eccleſiam contra eccleſiam ſtatuere, unam, catholicam, & apoſtolicam dirimere, & ad conciliabulum redigere. Hæc vehementi oratione ſeſſ. II. Conc. Lateran. proſecutus eſt

a.

Tho-

(a) Seſſ. VIII. ſyn. Lateran. ſub Leone X.

Thomas Cajetanus, tunc generalis Dominicanorum, poſtea celeberrimus Cardinalis poſito themate illo apocalypſeos loco: *Vidi civitatem ſanctam Hieruſalem novam deſcendentem de cælo.* Ubi oſtendit, verba hæc nullo modo Piſanæ ſynodo quadrare poſſe: *Cum unius, inquit, tantum ſit gentis & nationis, vel potius dimidiatæ nationis, imo nullius gentis: non enim ſancta, aut legitima eſt, quando a ſanctitatis candore receſſit, ut ad ſordes errorum accederet: eoque tanto plus accedit, quanto magis & Petrum eccleſiæ, & Papam concilio, & ſummum, verum, & certum Domini noſtri vicarium ſuo conſiſtorio ſubjicere, & ita naturam ipſius, & ordinem pervertere, & filios patri, & membra capiti, & ſervum domino, & militem duci, & paſtori gregem ſubjicere conatur. Nec nova Hieruſalem illi eccleſiæ convenit, quod nec pacem habeat, nec ordinis tranquillitatem: quem ordinem confundere, & ſubvertere nititur: utpote quæ contra Romanam eccleſiam totque nunc Piſana novitas Conſtantiæ tunc gata, armataque bella commovit. Hæc itaortum habuit, & evanuit: Baſileæ repullavit, & exploſa eſt, atque his etiam temporibus, ſi vos viri eritis, interibit: quemadmodum ſub Eugenio IV. ſummo maxima hujus ſedis Pontifice repreſſa eſt: neque*

que enim de cælo deſcendit, atque ob id diuturna non eſt. Hæc, & quæ alia retulimus de conciliabulo Piſano II. nos ex legitimis illius actis excerpſimus, quod ea rariora ſint, ab *Edm.* RICHERIO edita in Hiſtoria Concil. gener. T. II. P. II.

CAPUT XIV.

In ipſa conciliorum actione, celebrationeque, quam ſit neceſſaria legitimæ poteſtatis communio, ut rite conſtent, nec proſpero deſtituantur eventu.

I.

Concilia celebranda, ut ſicut PETRUS primas partes habuit.

Sed ſi in indicendis, congregandisque conciliis, ut rite coaleſcant, poſſintque ſufficere ad religionis negotia, & cauſas moderandas, tranſigendasque, tanta eſt communionis inter ſummos eccleſiæ arbitros vis, & neceſſitas; oportet hæc omnia ita ſe in ipſa celebratione conciliorum multo magis habere, quando jam eccleſiæ corpus coagmentatum ſiſtitur, omnibusque ſuis partibus abſolutum, & compoſitum. Quod dearticulare, præſertim caput a corpore, aut viciſſim ſeparare, ipſum veluti vita ſua privare, & exanimare eſt. Nulla hic eſſe de-

debet potestatis æmulatio, cum eadem sit eodem animata spiritu, & in totum corpus ceu anima diffusa, qua omnes vegerentur, reganturque. Nihil hic opportunius, quam in sacratum illum apostolorum conventum oculos abjicere. Rem illam præprimis S. Jo. CHRYSOSTOMUS suis in LUCAM homiliis expendit, atque in concilio illo de levandis gentilibus onere legis observat: *Licet*, inquit, *post Petri de admittendis in ecclesiam gentibus visionem, & decretum nullus amplius ambigeret: singuli etiam apostoli ea virtute Spiritus S., & afflatu essent imbuti, quo possent æquum, justumque decernere; tamen quod sit cum natura hominum ita comparatum, ut causæ communes communibus suffragiis transigantur, atque ejusmodi definitionibus inexcusabilius obsistatur, non voluisse deesse apostolos, ipsumque Petrum.* Idem S. Pater, quando in loca illa commentatur, quæ alios hujusmodi conventus exhibent in actis PETRUM spectandum proponit: *Quam*, inquit (*a*), *est fervidus? quam agnoscit creditum a Christo gregem? quam in hoc choro princeps est? & ubique primus omnium incipit loqui.* At simul etiam modestiam PETRI, communionisque legitimæ secundum præscriptum evangelii, ac magistri Christi volun-

(*a*) S. CHRYSOST. Homil. III. in Luc.

voluntatem, ſtudium, & obſervantiam conſiderandum relinquit. *Jam*, inquit
2. (*a*), *& illud conſidera, quam Petrus agit omnia ex communi diſcipulorum ſententia, nihil auctoritate ſua, nihil cum imperio.* At nihilominus quæ ſingulares, quæ præcipuæ ſunt partes, ac primæ PETRO, non reticet. *Merito*, pergit, *primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio* (πρῶτος τὸ πράγματος αὐθεντεῖ) *ut qui omnes habet in manu. Ad hunc enim dixit Chriſtus*: Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Hanc formam ſemper æmulatas eſſe ſynodos chriſtianas, pauloante vidimus, dum illis præeuntes ſemper intelleximus Pontifices, ac veluti prælibantes decreta, quibus nihilominus alii etiam addiderant calculos in communione Sanctorum, ac communi conſenſu tranſigentes: hoc enim poſtremum ſi deeſſet, ſi unus abſolutam auctoritatem ambiret, nec mutua deliberatio, nec communis conſultatio, nec concilium omnino foret. Primum vero ſi capiti, præſidi, & primati demeretur aliquid, debitus rueret in corpore eccleſiaſtico ordo, quod in conciliis inſigniter repræſentatur. Quodſi nimirum corpus locum ſuum capiti non concederet, aut caput aliorum membrorum

(*a*) Ibid.

brorum functionibus obsisteret, seseque ingereret, caput, & reliquum corpus in se mutuo digladiarentur, nec quod suum est officium mutuo concederent, qualis hæc foret corporis repræsentatio sua specie, & integritate debite efformata? (a) Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui: opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: non estis mihi necessarii.*

II. Hæc potissimum in conciliis generalibus, ubi est totius ecclesiastici corporis repræsentatio, locum habere debent, habuerunt que, donec prostremis temporibus emulatio ejusmodi, ac contentio contra D. Pauli effatum sacratissimos hos conventus turbare, invadereque pestis satanæ visa est. Postquam intempestivæ, odiosæque juris formulæ mil- suspiciones, ac timores aut læsæ, aut nimis extensæ, arrogatæque potestatis exarserunt de examine, restauratione, retractatione judicii, appellatione ad concilium tanquam superius tribunal, cum sit unum idemque in communione potestatis legitimæ, distinctio excogitata est de Pontificis præsidatu, auctoritateque in singulares ecclesias per mun-

Ita illius successoribus competit nihil obstantibus in contrarium contentionibus.

(a) 1. Cor. XII. 19.

dum diſperſas, minime vero in totam eccleſiam collectim ſumtam, & congregatam in concilio: quaſi in conciliis non ſuam etiam exerat Pontifex auctoritatem: & quando hic communi nomine pronunciat, rogatis omnium ſuffragiis, quaſi aliud agat, quam ut cum communicatione omnium eccleſiarum communem traditionem, & fidem ſtatuat. Quibus expenſis, legibusque communionis rite ſpectatis formula concludendi acta ſynodalia explicari debet, ut commodum accipiet ſenſum recentior illa, ſcilicet *Nos approbante concilio decernimus*, quæ tantas lites movet, ceu ab eo tempore a Romanis Pontificibus inventa, quo abſoluta monarchia, verum, & juſtum regimen a Chriſto inſtitutum abſorpſerit. An in concilio Tridentino, quod inſtar eſſe poteſt ſynodi omnibus numeris abſolutæ, a quo tempore importunæ illæ contentiones graſſatæ ſunt, ita actum dici poteſt? an non ſinguli Patres, rebus accurate exploratis, & perpenſis, ſententiam ſuam dicebant, ſubductisque omnium ſuffragiis ſynodalis concluſio edita eſt? Nimirum locus ibi datus haud eſt controverſiis importunis de ſummis eccleſiæ paſtoribus, *quis eorum videretur eſſe major*, neque quod ſummus Pontifex primus, ſibi ſumat

mat partes, quodque ſemper ea ſint approbata, quæ ab ipſo aut præjudicata, aut confirmata ſunt, abſolutum dominatum uſurpare dici debet: *Cujus autoritate ſola*, ut inquit (a) S. THOMAS, *Synodus congregari poteſt, a quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum a ſynodo appellatur.* 8.

III. At qui ad hoc pertinet præſidendi munus, quo in omnibus conciliis eſt uſus Pontifex: ut quidem in prioribus octo, quæ vel ipſi adverſarii præprimis ſuſpiciunt, & ubique inculcant, nunquam ſui Præſentiam fecerit. Quod LEONIS legati in IV. ſynodo excuſationis loco, atque ſuæ delegationis cauſam afferunt. *Nam*, inquiunt, *melius veſtra poteſt cognoſcere ſanctitas, quia neque in Nicæna, neque in Epheſina ſancta ſynodo, neque in alio tali Concilio Papa perpetuæ ſanctiſſimæ ſedis ad fuit, pro qua re hujus formæ ſequens conſuetudinem nos direxit:* A qua poſtea VIGILIUS, etſi Cpoli præſens, ut deflecteret, adduci non poſſe, tuit. Aliunde vero iſta legatio tanti eſt habita, ut ſummarum etiam ſedium præſules eam obierint: uti de S. CYRILLO Alex. conſtat, cui COELESTINUS in Conc. III. vices ſuas demandavit: *Quia*, ajebat

Contra uſum perpetuum, quo per ſe aut legatos Pontifices conciliis præſederunt.

(a) De Pot. q. 10. a. 4. ad 13.

a. Coelestinus (*a*), *noſtra in tanto negotio præſentia neceſſaria videbatur.* Quanta vero hujus dignationis apud eccleſiam Alexandrinam fuerit exſtimatio, vel ea produnt, quæ de Phrygio deinceps aſſumb. to narrant, atque Nicephorus refert (*b*), famam eſſe ab eo tempore patriarchas Alexandrinos vocatos Papas œcumenicos, & judices orbis, quo Coelestinus Cyrillum in vicarium ſuum cooptarat. Alii legati licet fuerint aut ſimplices epiſcopi, aut presbyteri tantum, aut etiam diaconi, omnia tamen pro ſumma auctoritate in conciliis moderabantur, ac judicabant: in tanta ſedium primarum reverentia, eminentiaque, non ſolum uſu, & obſervantia, ſed etiam canonibus conſtituta in ipſa ſtatim ſynodo Nicæna. Quod ipſum argumento eſt, Osium haud alio quam patriarchæ ſui Silvestri nomine præfuiſſe ibi cum Vito, & Vincentio, ut convincimur auctoritate ſynodi VI. hoc diſſerte atteſtantis, ipſaque ſubſequentium ſynodorum conſtanti obſervantia, quæ nihil antiquius priusque habuerunt, quam hujus primæ Nicænæ formam exprimere. Imo omnium eorum conventuum exemplo, quos duce Petro primitiva eccle-

(*a*) Epiſt. ad cler. & popul. Cpolitanum.
(*b*) Lib. XII. c. 34.

ecclesia celebravit, atque pro primatus excellentia, in PETRI sede effulgente, sine ea legitime haud aguntur concilia. Quod, utor verbis GELASII (a) & unamquamque synodum continuata moderatione custodit, pro suo licet principatu, quam beatus apostolus Petrus Domini voce perceptam, ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet. Neque ipsum concilium Basileense hoc pontificium in conciliis moderandis munus abnuere potuit. Cujus magnifica in hanc rem sunt verba a Julio Cardinale concilii præside pronunciata, atque ab ipso concilio diplomate edicto promulgata. Ita vero habet: *Quidquid nimirum statuitur in sacris conciliis, sua auctoritate statuitur, quæ semper ibi fulget, ut prima, caput, & directrix, & cum aut personaliter, aut auctoritative semper in universalibus interfit, ipseque ecclesiæ rector sit, & pastor, decreta concilio-rum etiam sua, & sedis apostolicæ non immeritoque dici possunt. Nos enim unum ecclesiæ corpus sumus, & ipse hujus corporis caput sub capite Christo. Quidquid igitur sit ab hoc corpore ecclesiastico, etiamsi omnia membra in idem concurrant, sicut in corpore naturali accidit, magis tamen ac proprie oratio*

2.

(a) Epist. IV.

quævis capiti appropriatur, & adſcribitur, ab ipſoque magis quam ab alio corporis membro procedere cenſetur. Itaque non ſecus ſynodalia decreta pro ſuo debito & honore exequi debet, ac per alios ſervari facere, quam ſi ab ore proprio dictata, & promulgata eſſent: dum enim ipſe per ſemet ineſt, ipſe concludit, ipſe ſtatuit, & ſub nomine ſuo, ac perſona ejus omnia decreta decernuntur &c. Gemina ſunt hæc illius epiſtolæ GELASII ſententiæ, ex qua modo quædam decerpſimus, ſuperius vero pluribus ſumus proſecuti executricem hinc ſynodorum præ ceteris eſſe ſedem Romanam, & moderatricem. *Confidimus*, inquit (*a*), *quod nullus jam veraciter chriſtianus ignoret, uuniuscujusque ſynodi conſtitutum, quod univerſalis eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi ſedem præ ceteris oportere quam primam.*

a.

Ut nullum concilium generale ſine Romani Pontificis auctoritate conſiſtat.

IV. Quemadmodum ergo ſine ſummi Pontificis auctoritate concilium œcumenicum haud fit, ita factum haud ſubſiſtit, ratumque eſt illud DAMASI (*b*): *Concilium illud non fore catholicum, quod ſine auctoritate ſedis apoſtolicæ fieret; neque ulla concilia rata legi, quæ apoſtolica auctoritate fulta non fuerint.* Eſtque hæc firma cõunionis inter ſummos eccleſiæ pa-

(*a*) GELAS. l. c.
(*b*) Ep. ad STEPH. & ſyn. African.

pastores in synodo congregatos lex, ut quæ mutua consensione decreverint, summa polleant auctoritate: ut si etiam non præiisset synodo sedis apostolicæ judicium, nisi tamen accedat, necdum synodo sua constet integritas: *Ea vero consentiente, ut* FERRANDI (*a*) Diac. verbis utar, *quidquid definivit synodus, accepit robur invictum. Namque*, ut mox addit, *quæ finiuntur judicantibus episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* Neque hic Synodi V. Obest exemplum, quasi absque Vigilii auctoritate celebrata sit, haud consentientibus Patribus a solo Papa auctoritatem celebrandorum conciliorum generalium pendere: qui non obstante absentia in eo celebrando continuarint, ac præterea culparint, quod præesse noluerit. Neque enim VIGILIUS renitens abfuit a concilio, sed observantiæ prædecessorum suorum, ac œconomiæ causa, atque ante, sub, & post synodi celebrationem, consensionem, auctoritatemque suam interposuit. Neque unquam in dubium fuit revocatum, Pontificis adstipulationem, accessumque ad com-

a.

(*a*) Ep. ad Pelag. n. 6.

complementum, integritatemque conciliorum pertinere ; ut, ſi quando, ſicut in Conſtantienſi concilio fuit factum, ſarciendi ſchiſmatis cauſa aliquid ſuſcipiendum fuit in concilio præter Papam, facta tamen decreta, præſertim fidei definitiones, poſtea Pontificis auctoritate fuerint roboranda.

Nihil obſtantibus contrariis GERSONIS aliorumque principiis.

V. Concilii Conſtantienſis tempore opera præſertim *Jo.* GERSONIS paſſim jactabantur principia illa, eccleſiam in ſe continere, ac concludere poteſtatem papalem, atque immediatius quam in Papa, aut epiſcopis reſidere in ipſa eccleſia claves. Quorſum etiam idem decreta Conſtantienſia conatus eſt extendere. *Declaratum nempe, decretumque eſt*, inquit (*a*), *quod ſine Papa generale concilium convocari, & a concilio Papa judicari certis caſibus poteſt. Quod inſuper habet auctoritatem generale concilium præſcribere leges, ſeu regulas, ſecundum quas plenitudo poteſtatis papalis non quidem in ſe, quæ ſemper eadem eſt, ſed in uſu ſuo moderanda, regulandaque eſt.* Ubi haud obſcure ſupponit concilium multis in caſibus ſupplere perſonam Pontificis. Unde poſtea : *Generale concilium in ſua ratione formali includit de neceſſitate papalem auctoritatem ſive Papa ſit, ſive non ſit, quia ſi*

8.

(*a*) Jo. GERS. de poteſt. eccl. conſid. X.

Si Papa est, & vult facere debitum suum convocando concilium, certe debet auctorizari per ipsum; si vero pertinaciter renuit in destructionem ecclesiæ, jam tunc agendum est, ac si non esset, & remanet in ecclesia potestas seipsam congregandi, & providendi, ac ordinandi de potestate papali. Quod deinceps explicatius edisserens, *Respondemus*, inquit (a), *quod etsi ad tempus aliquod generale concilium possit aliquid tale facere: quoniam habere Papam est præceptum affirmativum obligans ad semper, sed non pro semper: sicut apparuit dum vacavit sedes per duos aut tres annos, sicut & nunc vacat* (loquitur de tempore schismatis ejus temporis) *nihilominus generale concilium neque deberet, neque posset talem defectum capitis usque in finem tolerare stante lege: potest tamen supplere, dum necessitas urget, vel suadet evidens utilitas: & hoc vel per unum episcopum quasi vicarium, vel per plures simul, aut successive. Et hoc modo dicitur esse plenitudo potestatis ecclesiastica in ecclesia supplete.* Quodsi hæc debitis limitationibus, haud vero principiis adeo universalibus ex adverso cum hierarchiæ sacris juribus, ac primaria institutione pugnantibus, essent restricta ad luctuosa schismatis tempora, ferri quodammodo possent,

2.

(a) Consid. XI.

ſent, tanquam commoda ad tollendum ſchiſma: at dici jure poteſt, applicata hæc aliis rerum circumſtantiis perniciosa eſſe; ut adeo, etiamſi forte ad præſens ſchiſma tollendum apta forent remedia, at ſi abſit, facere ſchiſma nata ſint hæc principia, quod poſtea patuit in concilio Baſileenſi, & Piſano II. quibus ejusmodi theologia, & jurisprudentia uſui fuit, atque concilia ſine Pontifice etiam legitimo celebrata iisdem ex principiis jam a GERSONE præſtructis ſunt auctorata, ut acta utriusque concilii, ſcriptaque alia in eorum defenſionem exarata perhibent: nimirum perſuaſum erat ſynodum ſic congregatam per ſeipſam a Domino habere auctoritatem in eccleſia plenariam, quod claves unitati potius, quam uni datæ ſint. Illud vero notabile, quod GERSON quodam loco reſpondet ad interrogationem: *Qua auctoritate fulciatur, vel utatur hujusmodi concilium* ἀκέφαλον, *ut videtur, ſine Papa? reſpondendum,* inquit (a), *quod auctoritate Chriſti capitis ſui, & indefectibilis ſponſi, auctoritate præterea legum ſuarum tam divinæ, quam naturalis, quæ hanc licentiam vel neceſſitati, vel manifeſtæ charitati, vel religioſæ pietati concedunt.* Primum quod ſpectat, quando

a.

(a) De auferib. Papæ conſid. XL.

de repræſentatione eccleſiæ viſibilis do
agi- tur, ſi admittatur, quo ducat, quove
tra- ctum ſit a Novatoribus, ſi reviviſceret,
ob- ſtupeſceret religioſus GERSON: alte-
rum & ego ajo, ſed neceſſitati, chari-
tati, pietatique ſerviendum duco juxta
primævam eccleſiæ a Chriſto factam, &
ſemper retentam inſtitutionem, in com-
munione legitimæ poteſtatis, non illius
conculcatione, proditioneque.

VI. Qui noſſe cupit, quorſum indiſcre- — *Qui contra morem eccleſiæ Pontificis auctoritatem nimium in conciliis deprimit, dejicitque.*
tus GERSONEM protraxerit zelus, inte-
alios ejus magno numero libros, &
ſchediaſmata, illum *de auferibilitate Pa-*
pæ legat: ubi cernet, quanto, quam-
que in continuo dignitatis ſuæ periculo
verſentur ſummi præſules, ſi ſtandum
rigori poſitionum, ac conſiderationum
exiſtimetur ſecundum quas auferibilem
præſertim per concilium ſtatuit ſum-
mum Pontificem. Tum etiam *propoſi-*
tione facta coram Anglis, ceu in globo,
multa cumulat, atque uno hiatu pluri-
ma profundit, facile, inconcuſſam pe-
træ firmitatem concuſſura. *Congrega-*
tio, inquit, *eccleſiaſtica licet non poſſit in-*
ſtituere papatum, vel deſtituere; nihilomi-
nus poteſt per ſe, vel per concilium eam
repræſentans ſtatuere alium modum eligendi
Papam, quam modo ſit.... Poteſt inſuper
removere Papam etiam rite electum, & alium
con-

conſtituere, ſi ita ſibi viſum fuerit expedire ad ædificationem eccleſiæ, ut in caſu gravis ſcandali, vel in dubio aliter interminabili, quam per ceſſionem, vel dejectionem Papæ, aut alio tali modo. Ipſe enim paſtor inſtituitur pro utilitate gregis, & dum præſidentia ſua cedit in grave detrimentum, mercenarius reputandus eſt, imo latro, imo lupus rapax: ſi quærit in præſidentia tam damnoſa remanere. Et hic fundatur poſſibilitas practicandi viam ceſſionis ſaltem quoad effectum ſuum contradicentibus contendentibus invitis. Hic fundatur præterea, quomodo in caſu veritatis iſtius congregatio urgens Papam, ad ceſſionem dejiciens eum, ſi pertinaci libidine dominandi motus renuat, non eſt judicanda quod eum perſequatur: ſed ei potius, & DEO, & eccleſiæ toti multipliciter obſequatur. Hæc eſt quam GERSON citati libelli *conſideratione* IV. ponit *veritatem undecimam.* Sed cavendum eſt, ne principio hoc conſtituto levius, paci ac unitati eccleſiæ turbandæ potius quam conciliandæ fomentum præbeatur. Non hic pugnaciter urgeo, qui fuit diu pervagatiſſimus canon, ſynodo etiam, ac tot doctorum ſtipatus ſuffragio, primam ſedem non judicari a quoquam, aliorum hominum cauſas DEUM voluiſſe per homines terminare, ſed ſedis iſtius præ-

ſulem

ſulem ſuo ſine quæſtione reſervaſſe judicio. Una Symmachi cauſa ſuppeditat integros nobis tractatus in hanc rem eosque ſcriptos integræ nationis, atque ecclesiæ Gallicæ quidem nomine. Verum eſt, tunc de œcumenico concilio actum haud eſſe: at quæ in medium adducunt momenta, bene ponderanda ſunt, ne quid incautius agatur, quod eccleſiæ unitatem in centro unitatis laceſſat, contra prærogativas Petri, quæ ſunt inviolabiles, & perennes: atque pro talibus ſemper agnitæ, & prolatæ, quotiescunque cauſæ aliquid ſubeſſe viſum fuit, aut occaſio judicii ejusmodi, ſub Damaso, Sixto III. ante Symmachum, poſtea vero ſub Pelagio I. Leone III. Paschali II. &c. In cauſa poſtremi, quem nominavimus, nimirum Paschalis II. ab Archiep. Lugd. provinciæ Senonenſis epiſcopi ad concilium vocati eſſent, etſi ipſe Paschalis id ageret, & concilium vellet, per Ivonem (a) Carnotenſem celeberrimum tunc temporis canonum doctorem inter alia ſcripſerunt præſules: *Ad hæc non videtur nobis utile conſilium, ad ea concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare vel judicare. Quæ a nec noſtro, nec ullius bominum probantur ſubeſſe judicio... Excuſamus innocentiam noſtram, qua & principes*

(a) Ep. 238.

les eccleſiæ claves nolumus ſua poteſtate privare; quæcunque perſona vices Chriſti habeat, niſi manifeſte ab evangelica veritate diſcedat. Congregatum equidem eſt concilium œcumenicum, & annitente ipſo, nihilque recuſante PASCHALI, nec quidquam contra reverentiam, dignitatem, & auctoritatem illius actum. Quomodo nimirum in concilio œcumenico VIII. canone ultimo in ſynodis univerſalibus ſedis apoſtolicæ cauſæ tractandæ ſunt præceptæ. *Porro, ſi ſynodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia: oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & reſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.* Ubi vides in ſynodis etiam generalibus circa caput eccleſiæ reſolutionem accipiendam, ac profectum faciendum venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitando: quod fieri poteſt, quando in communione poteſtatis legitimæ res dijudicatur, atque conſilium accipitur. Verba concilii innuunt profectum capi poſſe ex eo, de quo forte accuſatur Romanus Pontifex: a malevolis, æmulis,

ac

ac perversis ut tunc, & aliis occasionibus factum. Dum potius in errore versari, calumniari, ac incessere invictam, inconcussamque PETRI sedem deprehenduntur hostes, cavillationibus, accusationibusque ejusmodi ceu nubibus, tenebrisque dispulsis veritas eluceſcit, scandalum tollitur, dignitas, firmitas, auctoritasque capitis redintegratur lacessita, atque restauratur communio Sanctorum. Hic est profectus sapiendus in dijudicando Pontifice, hæcque commoda, secundum rerum, ac temporis circumstantias, esse potest laudati canonis concilii VIII. interpretatio.

VII. Quodsi ergo causa aliqua de summis Pontificibus in conciliis agitanda sit, cum ipsius præcipuæ sint in illis partes, nec sine eo agi possint, frustra conciliorum auctoritas cum Papæ potestate legitima contenditur, atque illa huic superior statuitur, contra leges communionis in potestate ecclesiastica, præsertim in conciliis œcumenicis exercenda. Quæ si desit, fructus omnis intercidit, ac robur decretorum. Hoc etiam eo in concilio, Constantiensi inquam, agnitum, ubi tamen concuti visa est communio *ista legitimæ* potestatis. Exposcerat turbulentus illorum temporum ac funestus ecclesiæ status medelam: nec ali-

Concilium Constantiense agnovit, quam necessaria Romani Pontificis auctoritas in conciliis, secus ac concilium Basileense.

aliquid magis quiritabantur, quærebantque eccleſiæ ſtudioſi omnes maximi ſummi præſules, quam reformationem in capite, & membris; at ſagaciter intelligebant, niſi reſtituta unitate, communione poteſtatis eccleſiaſticæ, fruſtra id negotii ſuſcipi: id & olim, & nunc confitentur vel ipſi Galli, audiunt perorantem in ipſo concilio Card. Cameracenſem (*a*) in hæc verba: *Manifeſtum eſt, quod eccleſia fuit multipliciter deformata, indiguitque, & nunc maxime indiget, ut in fide, & in moribus reformetur: ſed nunc membris eccleſiæ ſeparatis a capite, & apoſtolico diſpenſatore, & directore carentibus nequaquam benefieri poſſe ſperatur.* Quod experientia docuit præſertim in concilio paulo poſt Baſileenſi, quod hic maxime ferociit, atque poſito illo principio, eccleſiam habere immediate claves, & auctoritatem a Chriſto, & concilium generale eccleſiam catholicam repræſentare, non multum ſibi negotii faceſſit, de præſidatu communioneque cum legitimo eccleſiæ capite, atque ſolemniter etiam decrevit Seſſ. XVII. quod legatus concluſiones a deputationibus concilii factas inito ſuffragiorum numero concludere, & comprobare teneatur, hocque ſi primus, ſecundus, aut tertius ora-

a.

(*a*) Apud Gers. de eccl. Poteſt. Conſid. 10.

oratorum EUGENII facere detrectaverit, munus præsidendi, & concludendi ad antiquiorem, & digniorem prælatum in ordine sedendi proximum devolvatur. Imo jus sibi arrogavit, recedente præside, ex gremio alterum statuendi, renitente etiam Papa.

VIII. Quodsi hoc teneat, neque opus sit in œcumenico concilio unio ac repræsentatio corporis cum suo capite, communio potestatis legitimæ inter summos ecclesiæ præsides, vicerunt in concilio Ariminensi Ariani. Illud concilium, quamvis ex occidentis episcopis tantum constiterit, orientis tamen magnam partem consentientem habuit, ac tempore CONSTANTII Imp. ut œcumenicum habitum fuerat, tum ob episcoporum, qui illud composuerunt, numerum longe majorem, quam Basileensis conventus, cum quia formulæ ejus concilii orientis episcopi subscripserunt, iis in exilium pulsis, qui id facere renuerant. Tamen ex eo solum capite fuit rejectum, quod Rom. Pontificis auctoritas haud intervenerit, moxque in concilio Romano sub DAMASO reprobatum definitumque fuerit, nullius posse esse ponderis, eoquod Rom. Pontifex consultus, adstipulatusque haud fuisset. Similiter Ephesinum II. trium patriarch-

Contra praxin, & doctrinam antiquam.

rum auctoritate fulcitum, atque legitime congregatum fuit haud minus quam reliqua omnia orientis concilia, vel eo nomine ſtatim reprobatum, quod nulla ſine Rom. Pontifice legitima ſit ſynodus, S. LEONE illud mox rejiciente, ac reſcindente, quæcunque ibi acta fuerant, utque omnia in eodem ſtatu permanerent, in quo ante hujus concilii celebrationem fuerant, ſanciente. Quod idem judicium poſtea concilium Chalcedonenſe tulit, labefactatæ fidei reum, atque latrocinium non concilium declarans Epheſinum illud ſecundum, ubi legi LEONIS
a. litteras impediviſſet DIOSCORUS (*a*), *cumque perſonam judicandi non haberet, præſumſit, & ſynodum facere auſus eſt ſine auctoritate ſedis apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Qua de re
b. poſtea GELASIUS *Hos*, inquit (*b*), de epiſcopis Dioscoro conſentientibus, *in ſua perfidia permanentes ſua auctoritate proſtravit, quam congregatio, quæ illic* (Chalcedone) *collecta fuerat, eſt ſecuta: quoniam autem id, quod prima ſedes non probaverat, conſtare non potuit; ſicut quod illa cenſuit judicandum eccleſia tota ſuſcepit.* Cujus rei aliud haud minus luculentum circa ipſam illam Chalcedonenſem ſynodum

(*a*) Chalced. Conc. Act. I.

(*b*) Epiſt. ad Epiſc. Dard. 13.

dum ſuppetit argumentum: cum omnes, qui illud componebant epiſcopi, exceptis legatis apoſtolicis epiſcopo Cpolitano ſecundum *poſt* Rom. Pontificem attribuiſſent locum, ſolus Leo id ſua auctoritate irritum declaravit, Anatolio, & ipſomet Imperatore hujus rei gratia ſeſe purgare ducentibus.

IX. Quæ cum ita ſint, non poſſum ſatis demirari, planeque indignor *Edm.* Richerio, qui nec a ſacratiſſima Tridentina ſynodo maledicam linguam cohibere potuit. Quamvis fateri cogatur procul dubio a Constantini M. (*a*) temporibus ad hæc noſtra, in omnibus aliis privatis, aut univerſalibus conciliis, nihil doctius, elegantius, & clarius lucubratum eſſe; tamen quod via, & ratio procedendi præſtitutis ſeditioſis illius principiis non conveniret, eam ſynodum carpere, & irreligioſe ſatis arrodere præſumſit: quod legati pro præſidatus munere, atque confuſionis, turbarumque evitandarum cauſa, proponendi officium ſumſerint: & cum legati ſine inſtructione, eoquod variæ eſſent tractandæ materiæ, Tridentum fuerint miſſi, Roma conſenſus prius Pontificis fuerit ſingulis in materiis petitus, antequam quidquam definiretur. Verum eſt, lo-

Retunditur calumnia Richerii in Conc. Tridentinum circa hanc rem.

(*a*) *Hiſt. Conc. œcum.* T. III. P. II. c. ult.

cum hoc dediſſe ſcomati: Spiritum ſanctum Roma Patribus Tridentinis evocari, & mitti in theca tabellarii. Putatque Richerius regulis a Chriſto poſitis, & praxi eccleſiæ primitivæ ſub octo primis univerſalibus conciliis ſervatæ hoc omnino adverſari. Qua in re nos eum ſiniſtrius rem accipere perſuaſi ſumus: atque intelligimus hoc ordini a Chriſto in eccleſia inſtituto, communionique poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ præſules plane convenire, prout exemplo apoſtolicorum, aliorumque deinceps conciliorum omnium eſt obſervatum, ut nihil unquam rati fuerit habitum, quod non vel præjudicatum a Pontifice, aut ejus conſenſione, acceſſioneque judicii firmatum: aliter enim ſi fuiſſet unquam factum, communionis illud vinculum, quo omnis eccleſiaſticus ordo cum Romana ſede ceu unitatis centro arctiſſime conſtringitur, ruptum, diſſipatumque eccleſiam diſtraxiſſet.

Opiniones contrariæ communioni legitimæ poteſtatis conciliorum celebrationi adverſæ.

X. Hæc quidem aliter ſe habere non poſſunt in illis capitalibus rebus, ſine quibus unitas eccleſiæ haud ſubſiſtit, habentque conſtantem, & invariabilem regulam, ac legem, cui chriſtiana eccleſia omnis obligatur. quæ illis eccleſiæ temporibus, quibus perfecta communio poteſtatis legitimæ obtinebat, brevi, ac fere

fere nullo negotio expediebantur, componebantur que. Concilia cito congregabantur, celebrabantur, unaque die seſſio quælibet cumulatiſſime perficiebatur. Sed poſteaquam diſcidium illud, æmulatio, contentioque de poteſtate legitima inter ſummos eccleſiæ principes ſecum diſceptantes, *Quis eorum videretur eſſe major*, ingruit, aliter longe contigit. Vix coaleſcere potuerunt concilia, coalita vero ſæpe interrupta, aut ſine effectu ſperato diſſoluta quandoque, veluti contabuerunt. Quod dolendum eſt illis temporibus obveniſſe, quibus potiſſimum ſumma eccleſiæ periculapræſentaneum ex felici conciliorum ſucceſſu remedium flagitabant. Sed id malo eccleſiæ accidit, ut tunc maxime intemperentque, dum Conſtantienſe, Baſileenſe, ac Piſana agerentur concilia. Ita ut ex contentionum æſtu, atque animorum exacerbatione quotidie ingraveſcere malum. Concilium Conſtantienſe convocarat JOANNES XXIII. eique, ne præſentiam ſuam faceret, retineri non potuit. At honori, ac dignitati ſuæ ex animoſitate concilii jus ei intendentis timens, fuga inde delapſus, communionem legitimam ſolvit, ac proſperum concilii curſum turbavit. Patres reb

ſuis, ſecuritatique conſulendum rati, præter famoſa illa decreta ſeſſ. IV. & V. præterea cavent, ne JOANNES totum concilium, vel partem concilii, hoc eſt perſonas eidem concilio adhærentes interturbet, vel alio traducat ipſo invito concilio. Hocque eſt primum exemplum praxeos decretorum de concilii auctoritate ſupra Papam. Fatetur id ipſe *Ed.* RICHERIUS in hiſtoria hujus concilii,
a. additque: (a) *Procul dubio ſi eccleſia in ſynodum congregata hac poteſtate minime polleret, nequaquam ſibi ipſi eſſet architectonice, & ſufficiens: & quotiescunque de illa reformanda in capite, & membris ageretur, Papa poſſet impedire, ne concilium indiceretur, illudque, ubi congregatum eſſet, diſſolveret, aut alio traduceret: ſicque eccleſia ſponſa Chriſti amantiſſima deſpotico Papæ imperio ſubderetur, quod juri divino, & naturali plane repugnat.* Videri poteſt, neceſſitati temporum hoc dandum; ex illo contentionum conflictu, quo uti ſummas alii tunc partes, ſuperioresque concilio ſupra Papam tribuebant, ita ex adverſo alii easdem ſummas, ac pene ſolas Pontifici adſcribebant, abſolute monarchicum in eccleſia ſtatuentes regnum ſecundum politiam hujus mundi. Id quod dolendum, & paulo

(a) Hiſt. conc. general. T. II. P. I. c. 3. p. 84.

paulo poſt funeſti effectus ſeſe prodiderunt peſſimi exempli iſtius, ac contentionis, qua cathedra adverſus cathedram inſurgens quævis dominatum ambiit, diem alteri dixit, in jus vocavit, & quæ a parte adverſa intentata fuerunt, irritum revocavit.

XI. Omnia hæc luctuoſiſſimo exemplo ſeſe in concilio Baſileenſi prodiderunt, quod legitime convocatum, & congregatum, nomen concilii generalis totam eccleſiam repræſentans juſto ritulo tueretur, niſi rupto communionis legitimo vinculo ſeipſum in fruſta concidiſſet, tandemque artuatim dilapſum, reſolutumque eſſet. Mox principio præcautione uſi ſunt ex concilio Conſtantienſi, ne per ullum, quavis auctoritate, etiamſi papali dignitate præfulgeat, diſſolvi, aut ad alium locum transferri, vel ad aliud tempus prorogari poſſit, abque ejusdem ſynodi Baſileenſis deliberatione, & conſenſu. *Item definit, ordinat, & decernit, quod nulla perſona in eadem ſynodo actu exiſtens, aut futuro eidem incorporata, vel incorporanda, ad recedendum ab eadem a quoquam quavis auctoritate, etiamſi papali dignitate præfulgeat, directe vel indirecte in læſionem ſeu perturbationem dictæ ſanctæ ſynodi vita, ſine deliberatione, & conſenſu ipſius ſanctæ*

Quod præprimis exemplo concilii Baſileenſis conſtat.

ſanctæ ſynodi requiri, vocari, compelli, citari, evocari ad alium locum etiam curiam Romanam valeat, ſeu ne ad eandem ſanctam ſynodum veniat, poſſit, aut debeat quomodolibet impediri. Si autem a quoquam quavis auctoritate etiam papali dignitate præfulgeat, ut præmittitur, in contrarium attentatum fuerit, ſeu attentaretur in futurum, aut proceſſus pœnales, vel mandata, etiam cenſuras eccleſiaſticas fulminati fuerint, aut fulminarentur in futurum: totum ſit irritum, & inane; nec ejusdem proceſſibus, cenſuris, ac pœnis tanquam irritis, & inanibus quomodolibet obediendum ſore. Hæc illi ex præſumta poteſtate conciliorum extra communionem poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes ſecundum opinionem, concilium eſſe ſupra Papam: Pontifex Eugenius altera contraria ſe eſt tuitus ſententia, ſibi favente magis quam communioni legitimæ poteſtatis, ſuprema auctoritate ſynodum diſſolvit, alioque concilium indixit: contra nituntur Patres, atque Act. VIII. decernunt, unicam eſſe duntaxat eccleſiam ſanctam catholicam, ſponſam Chriſti, unitatem nunquam admittere diviſionem: ac proinde unicum, & ſolum eſſe poſſe generale concilium eccleſiam catholicam repræſentans, Baſileæ congregatum in vim,

vim, & robur decretorum Conſtantienſis, & Senenſis concilii a MARTINO V. & EUGENIO IV. *indictum*: quocirca quicunque hoc ſtante concilio aliam congregationem ſub nomine generalis concilii habere, aut facere præſumſerit, non fore concilium, ſed factioſum ſchiſmaticorum conventiculum. In hunc rerum articulum rem deduxit partium pro ſuo jure agentium concertatio; nec unio coaleſcere potuit, reſtituique communio, niſi una ſaltem partium litante charitati, indulgente principiis evangelicis, ut *qui major eſt, fiat ſicut minor*: atque huc tandem animum adduxit EUGENIUS, ſibi, & eccleſiæ conſulens, edita ſolemni bulla, qua ſolemniter profitetur, ac declarat, præfatum generale concilium Baſileenſe a tempore prædictæ *inchoationis* ſuæ legitime continuatum fuiſſe, & eſſe: proſecutionemque habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet &c. ſpondetque a novitatibus, & gravaminibus ſeu præjudiciis inferendis ipſi S. concilio, vel ſuppoſitis ejus, & adhærentibus eidem realiter, & cum effectu deſiturum. Communio poteſtatis *legitimæ* hoc modo reſtituta *haberi* potuit, atque jam iterum corpus ecclesiæ *integritati* ſuæ redditum, dum ex

ex parte ſua EUGENIUS remiſit a ſtringenda in concilium auctoritate abſoluta: ſed dum pergunt Patres veluti invertere corpus, ac caput reliquis membris ſubjicere, non potuit diu digneque ſubſiſtere repræſentatio eccleſiæ in eodem concilio, mutavitque animum EUGENIUS, & quæ prius in pacis, & unitatis commodum fecerat, antiquavit: iterum ſynodum ſolvit, atque aliorſum transtulit.

Quod, ſicut & alia concilia, ſoluta communione legitimæ poteſtatis ſtare haud potuit.

XII. Ita ſciſſa communione inter caput, & reliquum corpus, Baſileæ repræſentatio eccleſiæ totius, quæ concilium œcumenicum conſtituit, ſuapte diſſipata eſt: conſtititque, quam neceſſaria ſit communio inter ſummos eccleſiæ judices, ſi debeat integritas corporis eccleſiaſtici in concilio repræſentatione digna exprimi: ut ſicut Pontifex ſine epiſcopis concilium efficere, ac complere haud poteſt: ita ſine capite Rom. Pontifice concilium œcumenicum non ſit totam eccleſiam repræſentans, utpote capitali membro deſtitutum, atque ἀκέφαλον. Hoc equidem PIUS II. qui prius *Æneas* SYLVIUS, concilioque Baſileenſi adhæſerat, poſtea ad Colonienſem academiam perſcribit, demonſtratque, poſtquam EUGENIUS concilium in Italiam transtulit, & cum Græcis Ferrariæ

raria conſenit, & legati concilii ad Eu-
GENIUM defecere, concilium œcumeni-
cum eſſe haud potuiſſe capite deſtitutum.
Inter concilia, inquit (a), nullum invenimus a.
unquam fuiſſe ratum, quod ſtante Romano
indubitato Præſule absque ipſius auctoritate
convenerit, quia non eſt corpus eccleſiæ ſine
capite, & omnis ex capite defluxit in mem-
bra poteſtas. Idem capitis defectus poſtea
concilium Piſanum II. de quo ſuperiore
capite egimus, truncum fecit, & inani-
me, dum communione poteſtatis legi-
timæ ſusque deque habita, jus ſupre-
mum partes inſectantur, & inter ſe di-
gladiantur. In ipſo concilio Tridentino
tale periculum fuit, non quidem dum
legitime coivit, ſed dum aliquando ſu-
ſpenſum fuit, parte cum Papa Bononiam
transmigrante, parte Tridenti remanen-
te, ſolemni etiam edita ab Hiſpanis
proteſtatione adverſus decretum ſuſ-
penſionis generalis concilii Tridentini;
ſed poſtea reddita iterum unio, reſtitu-
raque communio ad exoptatiſſimum fi-
nem concilium illud perduxit. Ut ob
id Catholicorum nulli vel leve, quin fit
vere œcumenicum, ſuboriri poſſit dubi-
bium, ob unam hanc reſplendentem in
clariſſime in eo communionem legiti-
mam poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſu-
mos

(a) Pius II. Bulla: *In minoribus.*

mos eccleſiæ principes epiſcopos, & Pontificem in concilio legitime unitos, atque eccleſiam rite repræſentantes.

CAPUT XV.

Quæ ſint in confirmandis conciliis partes Rom. Pontificis ſecundum communionem poteſtatis legitimæ.

I.

Edm. RICHERII cavillatio contra ſynodum Trid.

Allata mox, & pertractata puto ſatis demonſtrare, quam ad exprimendam in conciliis eccleſiæ univerſalis repræſentationem neceſſaria ſit, ſi unquam alias, conglutinatio, cohæſioque capitis cum reliquo corpore, communio poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ antiſtites, quibus revincitur *Edmundi* RICHERII opinatio. Qui cum ipſe pertendat omnia in ſynodis conſenſu, & communione Sanctorum ſuaviter inita, & collecta decerni ſemper conſueviſſe; hinc inepte arguit, Patres
a. Tridentinos (*a*) canonice congregatos nihil plane opus habuiſſe (ſic enim cavillatorie rem exprimit) ut mitterent Romam petitum illuminationem Spiritus S.

(*a*) Hiſt. conc. gen. T. III. P. II. c. 5.

S. ad infallibiliter decernendum, cum vi, & facultas infallibiliter ſtatuendi illis competeret. Et tamen mox ſui immemor, dum modo Patribus hanc infallibilem aſſiſtentiam propriam decernit, ſtatim eos erroris cujusdam continui hac ipſa in re reos facit, dum cavillatur, epiſcopos deſuetudine habendarum ſynodorum, & tractandi omnia libere, & ſecundum leges ariſtocratici regiminis randem legibus abſolutæ monarchiæ Pontificis aſſueviſſe, & non auſos temperamentum ariſtocraticum ad uſum revocare: Pontifices autem dediſſe ſeduſam operam, ut in Tridentino concilio epiſcopi Italiæ triplo ferme aliarum provinciarum epiſcopos ſuperarent, ac proinde omnia ex animi ſui arbitrio, & curiæ Romanæ ſtilo, ac placitis, quibus innutriti erant, decernerentur.

II. Hæccine eſt illa divina providentia, aſſiſtentiaque, quam infallibilem ad- Cum e
eſſe dicit concilii Patribus? Cui non juxta
ſolum ſymbolum ſuum conteſſarere, & rogati-
ad communionem Sanctorum more alio- vam, q
rum epiſcoporum accedere tenetur Pon- in cor
tifex, ſed etiam ſingulari ratione munio
caput, & centrum unitatis, univerſalis- legitim
que eccleſiæ antiſtes ſuo aſſenſu firma- poteſt
re. habet
Pontif
Ut nullus ambigendi locus ſuperſit,

ſit, illud vere fuiſſe œcumenici concilii decretum, quod concors Patrum ſententia approbante Rom. Pontifice ſtatuit. Non facimus Pontificem abſolutum monarcham, ut epiſcopi a Rom. Pontifice poteſtatem omnem, ac jurisdictionem mutuentur, adeoque conjuncti quamlibet in ſynodum œcumenicam tantum ut conſiliarii non veri judices ſedeant, qui decreti robori, ac firmitati ex communi conſenſione nihil addant. Hoc legibus communionis legitimæ in ſynodis obtinentis, atque illi Chriſti ſententiæ ad concilia relatæ adverſatur: *Ubicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* In nomine Chriſti congregantur, qui in charitate, & unitate aſſociantur; centrum autem unitatis eſt Pontifex, ut adeo indicium præbeat, fuiſſe in nomine Chriſti concilium celebratum, ſi centro huic unitatis cathedræ PETRI cohæreat: *Ut omnis quæſtio*, quæ ſunt HINCMARI
a. (*a*) verba, *ad eam relata judicio, & ſuæ confirmationis deciſione finem accipiat*: atque irretractabilem decreta ſynodi vim nanciſcantur, ſecundæ auctoritatis locum poſt canonicos libros tenentes, ut
b. habet FERRANDUS (*b*). Hoc ergo eſt, ſecun-

(*a*) Epiſt. ad CAROL. regem operi de Prædeſt. præfixa. (*b*) Epiſt. ad Pelag.

ſecundum leges communionis eccleſiaſticæ, ultimatum ſynodi veræ œcumenicæ criterium, ſupremorum judicum conſenſus, cum ſedis apoſtolicæ confirmatione conjunctus. *Male geſtam ſynodum*, inquit GELASIUS (*a*), *a bene geſta ſynodo tota merito eccleſia non recipit, & præcipue ſedes apoſtolica non probavit. At bene geſtam ſynodum cuncta recepit eccleſia, ac maxime ſedes apoſtolica probavit.* Et NICOLAUS Pontifex quadam ad Imperatorem epiſtola, cui applaudit lectæ ſynodus VIII. *Ad ejus etenim* (traditionis apoſtolicæ) ait, *integritatem obſervationis multoties conventus fuit SS. Patrum, a quibus & deliberatum, ac obſervatum extitit, qualiter absque Romanæ ſedis, Romanique Pontificis conſenſu nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur.* 2.

III. Sed rem exemplis firmemus ab ipſis œcumenicis conciliis repetitis. Prætereo id, quod de Nicæna etiam ſynodo HINCMARUS (*b*) dicit, refertque eam demum per JULIUM iterum confirmatam. *Julius*, inquit, *Romæ ſynodum celebravit, eandem Nicænam ſynodum apoſtolicæ ſedis auctoritate per ſe, ſicut prædeceſſor illius Silveſter per legatos ſuos firmavit. Capitula quoque in eodem concilio con-* Quamque in primis conciliis exercuit eorum decreta ſua auctoritate firmanda.

(*a*) Epiſt. ad epiſc.
(*b*) Lib. IV. c. 20. Vard.



conſtituta, ipſe omnibus validior antiquitatis uſus, & antiqua majorum traditio reverendiſſimo vigore tenenda corroboravit. De ſynodo ſecunda Cpolitana I. res in propatulo eſt. Compoſita fuerat tantummodo ex epiſcopis orientalibus & Ægyptiis CL. numero, cui nec per ſe, nec per legatos interfuerat Pontifex. Potuerat particularis potius, quam œcumenica ſynodus haberi, niſi ſummi Pontifices illam acceptaſſent, confirmaſſentque, ac illius ſymbolum in toto occidente recipi feciſſent. Quantopere ſibi expetendam duxerint confirmationem iſtam, epiſtola ad DAMASUM miſſa indicant, facta, ad communionem, unionemque eccleſiæ totius devinciendam, compaginandamque. *Quibus*, ſcribunt (*a*), *velut legitime a nobis, & ſecundum canonem conſtitutis veſtram Pietatem hortamur, ut congratuletur ſpiritali charitate nos mutuo devinciente.* Hæc ergo communio poteſtatis eccleſiaſticæ, robur, & firmamentum, ac veluti natura, & eſſentia conciliorum cumprimis œcumenicorum eſt. Quod poſtea iidem eadem in ſynodica epiſtola declarant, verba alibi jam laudavimus, nunc unum verbum (*b*) addimus : *Omnes autem cum ſimus*

(*a*) Epiſt. ſynod. Conc. II. ad DAMASUM.
(*b*) Ibid.

ſemus Chriſti, qui in nobis non eſt diviſus, corpus eccleſiæ, DEI largiente gratia, indiviſum conſervabimus. Ergo ſibi recurrendum haud dubitabant ad *fontem centrumque unitatis*, caput, & præſidem totius eccleſiæ, a quo τὸ κῦρος αὐθεντία ac ſupremum robur actorum expectandum: propria igitur ipſorum res agebatur, ac firmitas eorum, quæ a ſe ſunt decreta. Et hoc DAMASUS ipſis renunciat (a): *Quod veſtra charitas debitam ſedi apoſtolicæ reverentiam tribuit, vobis ipſis maximo honori eſt.* a.

IV. In hujus vero ſynodi confirmatione id ſingulare auctoritatis emicuit privilegium, quod non omnia promiſcue, ſed cum ſelectu approbarit. *Romana*, inquit (b) S. GREGORIUS, *eccleſia eosdem canones vel geſta ſynodi illius hactenus non habet, nec accepit. In hoc autem eandem ſynodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum: reliquas vero hæreſes, que ibi memoratæ ſunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat.* LEO (c) vero M. canonem III. caducum, dudumque collapſum, & ſedi apoſtolicæ ignoratum, ſibi quoque diſplicere ſignificat. Agitur in eo de privilegio patriarchæ Cpolitani, de quo poſtea in Chal-

Aut vim detrahendo, ut ſecundæ, & quartæ ſynodi geſta probant circa ſedem Cpolitanum.

c.

(a) Apud THEODOR. L. V. c. 10.
(b) Lib. VI. Ep. 32. (c) Ep. 53.

a. Chalcedonenſi (*a*) concilio iterum actum abſentibus legatis, quibus illi iterum, cum relata poſtera die eſſent, mox contradicunt, LEONIS mandata proferunt, contradictionem ſuam geſtis inſerendam volunt. Et quamvis LEONEM rogarent Patres, ut conſentiret, is tamen repetitis epiſtolis ad PULCHERIAM caſſat, nihil moratus epiſcoporum conſenſionem,

b. acta illa (*b*): *Conſenſiones vero epiſcoporum ſanctorum canonum apud Nicænam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri generali prorſus definitione caſſamus.* In epiſtola vero ad ANATOLIUM idem ingeminat, minaturque, niſi cedat, univerſalis eccleſiæ pace privandum. Nec cunctatus, quiritatusque eſt ANATOLIUS, ac

c. LEONI reſpondit (*c*), ſe illa obediendo complere, quæ ejus perfectiſſimis ſenſibus placita videbantur: *Namque*, inquit, *penitus abſit, ut eis, quæcunque mihi fuiſſent mandata per litteras, adverſarer.* Nec refert, poſtea tandem locum conſecutos epiſcopos Cpolitanos, quem ambierant, quando id bona Pontificum venia acciderit. Sed hæc antea etiam jam ſuo loco attigimus. Nunc ea proſequimur, quæ propria hujus ſunt

(*a*) Act. XVI. tracta-

(*b*) Ep. 55. (*c*) Apud HOLSTEN. I. P. c. 22.

tractationis, atque ad confirmationem actorum ſynodalium ſpectant.

V. Huc præprimis ſpectant, quæ circa ſynodum quintam ſunt geſta. Cui nec VIGILIUS adeſſe voluit, & totus fere occidens ejus receptioni ſe oppoſuit. At, quia VIGILIUS illud confirmarat, ſucceſſores ad procurandam illius receptionem ſuas operas contulerant, auctoritatemque impenderant, tandem pervicit. Quod ipſum demonſtrat, quantum roboris confirmationi pontificiæ inſit, ut ſynodus tanquam œcumenica habeatur. Cum nec orientales epiſcopi ſubſcribere vellent, niſi ea conditione, ſi conſenſus VIGILII accederet. Ita MENNAS Cpolitanus, ut refert FACUNDUS (a), conventus a STEPHANO eccleſiæ Romanæ diacono, cur priori ſententiæ ſuæ contrarius, acquieviſſet his, quæ ante culpaverat, & de quibus ſe nihil acturum ſine apoſtolica ſede promiſerat, ſub ea conditione ceſſiſſe ſe, & juratum ſibi fuiſſe reſpondit, quod chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus epiſcopus non probaret &c. ZOILUS quoque Alexandrinæ urbis antiſtes, cum Romanum epiſcopum venire cognoſceret, obviam illi ad Siciliam miſit, conquerens neceſſitate ſe ad ipſius decreti affirmationem fuiſſe

Romanæ ſedis auctoritas in confirmandis ſynodis ex quinta præprimis, ac aliis poſterioribus ſynodis claret.

(a) Lib. IV. c. 4.

fuiſſe compulſum &c. Reliqui epiſcopi, ut eſt apud eundem FACUNDUM conſignatum, palam reclamaverunt contra magnam ſynodum fieri: & poſt ſubſcriptionem memorato STEPHANO Rom. diacono libellos dederunt ſedi apoſtolicæ transmittendos, confitentes in eis, quod a Cpolitano epiſcopo coacti ſubſcriberent. Hæc tunc agitabantur, quod VIGILIUS, motus ac tumultus in occidente proſpiciens, damnatione trium capitulorum ſuperſedendum ratus, aut potius ob easdem cauſas communi ſtudio in concilio univerſali pacis cauſa tranſigi voluerat. Hoc ſignificant clerici Italiæ in epiſtola legatis Francorum Cpolin proficiſcentibus directa: ubi ita Imperatori loquentem VIGILIUM inducunt: *Veniant hic fratres noſtri ex omnibus provinciis quini, aut ſeni epiſcopi, & quidquid ſub tranquillitate tractatu habito omnibus viſum fuerit cum pace diſponemus, quia ſine conſenſu omnium iſta, quæ & ſynodum Chalcedonenſem in dubium venire faciunt, & ſcandalum fratribus meis generant, ſolus facere nullatenus acquieſcam.* Præclarum de communione poteſtatis eccleſiaſticæ ex ore Pontificis teſtimonium. Quod ab illo varium illum, at ſane ſumme laudabilem agendi modum præſenti in negotio extorſit, dum paci, & unitati

unice

unice consuleret. Eodem modo in epistola XV. ad episcopos, & clericos ita se contestatum Imperatorem refert: *Rogo piissimum principem, ut edicta sua, quæ jussit appendi, removere dignetur, & constitutum commune expectare = id est, ut scandalizati episcopi Latinæ linguæ ad synodum veniant, aut certe remota omni violentia suas scripto declarent sententias. Quodsi forte preces vestras audire noluerint, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad divisionem tendit.* Hic, quid unice spectarit isto in difficili negotio, satis declarat. Ipsa vero res clamat, quid ipsius auctoritas valuerit, cum nec oriens sine ea rotunde decidere vellet, & quam vehementer reniteretur occidens, quam VIGILIUM proprii etiam clerici RUSTICUS, & SEBASTIANUS infamarent, tamen pervicit causa in concilio acta, accedente tandem Pontificis confirmatione. Haud absimiliter in acceptanda septimo concilio accidit, opponentibus sese Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ episcopis in synodo Francofordiensi trecentorum episcoporum, ut nisi summorum Pontificum auctoritate suffultum fuisset, æque ac quintum receptum nunquam fuisset. Quid postea in synodo Constantiensi actum sit ob confirmationem pontificiam MARTINI V. alibi retulimus. Postea in synodo

do Tridentina, poſtquam omnia eſſent confecta, omnes tamen, tribus exceptis, confirmationem a Pontifice petendam adhuc duxerunt: *Placuit omnibus Patribus*, ſunt poſtrema Moroni legati verba, *finem huic ſacro concilio imponi, confirmationemque a SS. domino noſtro peti, tribus duntaxat exceptis, qui confirmationem ſe non petere dixerunt. Ideoque nos apoſtolicæ ſedis legati, & præſidentes eidem ſacro concilio finem imponimus: confirmationem vero quamprimum a SS. domino noſtro petemus.*

Exemplum vetuſtum appellationis ad Romanum Pontificem contra duas Epheſinas ſynodos.

VI. Nec illud hic eſt prætereundum, quod poſt ipſas generales ſynodos, imo ab ipſis generalibus ſynodis ad Romanam ſedem cauſæ adhuc ſint relatæ. Edidit nuper *Chriſtianus* Lupus epiſtolam Eutherii *Thyanenſis*, & Helladii *Tharſenſis* ſcriptam ad magni nominis Romæ epiſcopum Sixtum (*a*): in qua petunt ab eo, qui a DEO productus eſt gubernator, retractari, ac reſcindi Epheſinæ ſynodi acta adverſus Nestorium, ac terrarum orbem ſynodo adhærentem, & cum ſynodo errantem adjuvari. *Quod eſt*, ut notat Lupus, *autenticum inſtrumentum appellationis non ad generalem, ſed adverſus generalem ſynodum interpoſitæ apud Sixtum III. Pontifi-*

(*a*) Var. PP. epiſt. 117.

tificem. Unde concludit, credidisse orientalem ecclesiam, Papam esse superiorem generali concilio. Nos eousque non progrediendum ducimus, in gyro communionis ecclesiasticæ nos continemus, atque hoc ceu insigne documentum respicimus, Orientalem etiam ecclesiam (multæ enim Euphratesiæ, nec non Ciliciæ, Cappadociæ, Bythiniæ, Thessaliæ, & Mœsiæ ecclesiæ EUTHERIUM, & HELLADIUM insignes viros onerarunt officio compellandi Rom. Pontificem) post conclusa concilii vota adhuc ad Rom. Pontificem habuisse recursum, donec illius consensio, & confirmatio fuerit secuta, & concilium œcumenicum constiterit. Ipsa hæc Ephesina synodus hoc haud abnuisse videtur, quod JOANNEM *Antiochenum* a se jam condemnatum Rom. Pontificis judicio reservandum duxit: ita enim ad Pontificem scribunt Patres illi (a): *Quo Joannis temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam justissime, legitimeque subiisset, pietatis tuæ judicio hoc reservavimus, interim illos excommunicationi subjicientes.* FLAVIANUS postea hoc beneficio, quod vivus petierat, atque pro legitimo est habitum etiam quando adhuc synodus Ephesina nulla suspicione laboravit (ne

 quid

(a) Epist. synod. ad LEONEM.

quid de ATHANASIO, CHRYSOSTOMO, aliisque repetam) gaviſus eſt adhuc poſt mortem contra ſynodum II. Epheſinam: idem THEODORETUS ſuppliciter exora-
a. vit (a): *Ego*, ſcribit ad LEONEM, *apoſtolicæ veſtræ ſedis exſpecto ſententiam, & ſupplico, & obſecro veſtram Sanctitatem, ut mihi opem ferat juſtum veſtrum, & rectum appellanti judicium, & jubeat ad vos accurrere, & oſtendere meam doctrinam veſtigia apoſtolica ſequentem &c. Ante omnia autem rogo, ut ſciam a vobis, an injuſta hac depoſitione me oporteat acquieſcere an non: veſtram enim exſpecto ſententiam.* Facile hæc excludunt adverſariorum exceptionem, ad ſequentem ſynodum pertinere hanc appellationem, non vero ad Rom. Pontificem. Hinc GELASIUS non ſemel jam laudata epiſtola ad Epiſc. Dard. rotunde dicit, *Quod apoſtolica ſedes frequenter more majorum etiam ſine ulla ſynodo præcedente, & abſolvendi quos ſynodus inique damnaverat, & damnandi, nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Itemque VIGILIUS in *conſtituto* aſſerit. *Hanc autem regulam & in ſanctorum Joannis Cpolitani epiſcopi, quem Chryſoſtomum vocant, atque Flaviani ejusdem civitatis epiſcopi veneranda memoria conſtat eſſe ſervatam.* Sanctiſſimi

(a) Poſt epiſt. LXII.

mi isti episcopi licet violenter exclusi sunt, non tamen pro damnatis sunt habiti, eoquod semper inviolatam communionem Rom. Pontificis servaverunt, nec abscissi ab ecclesia dici potuerunt, quos sibi inconvulse unitos apostolica judicavit auctoritas.

VII. Frustra hic contenditur, hæc in ejusmodi synodis esse gesta, quæ in ipsis vitio laborarint, atque de ejusmodi judiciorum rescissione agi, quæ contra æquitatem justitiamque sint lata. Absit enim, ut aliter perfugium apud Romanam sedem afflictis, & lacessitis esse puremus. Neque potestati, auctoritatique legitimæ summæ sedis aliquid inde additum volumus, quod multa in synodis etiam generalibus judicata, suo dissensu disturbat. Solum necessitatem urgemus exquirendæ consensionis, ac sententiæ sedis apostolicæ secundum leges communionis legitimæ, ut canones, & judicia synodorum ex auctoritate D. PETRI firmentur. Eoque modo, quo ab eadem sede robur canonibus, relaxatio, & remissio etiam conceditur; sed ejusmodi auctoritate, *Quæ*, ut inquit GELASIUS, *in dispensationibus necessariis adhibita consideratione diligenti decreta metiri, librare, temperare jubet.* Cum enim ad ædificationem non ad destructionem

Romanus Pontifex in confirmandis, dispensandisque canonibus conciliorum quibus legibus teneatur?

ſit omnis legitima poteſtas, quo amplior ea eſt, ac ſacratior, eo majori juſtitia, æquitateque eſt adminiſtranda. Eccleſia Romana ſibi antiquius nihil unquam exiſtimavit, quam canones multo magis, quam quævis alia eccleſia ſervare, ac præterea invigilare, ut undique vigeant; cum ad probe regendam eccleſiam inſtituti ſint, neque unquam committere, quibus id regimen primario incumbit, debeant, ut quæ gubernandæ Eccleſiæ bona ſunt, abrogentur, quæ adverſa, iis aditus concedatur. Hoc nihil obeſt, quin poteſtate polleant ab obſervatione canonum diſpenſandi, etiam quoad canones, & ſtatuta conciliorum œcumenicorum, quando neceſſitas, &
8. utilitas id flagitat. *Quia*, inquit (*a*) SYMMACHUS, *quod ſit præter regulam, modo ſit ex juſta cauſa non infringit regulam, quam ſola pervicacia, & auctoritatis contemtus lædit: nam quamvis a Patribus ſtatuta diligenti obſervatione, & obſervanti diligentia ſunt cuſtodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur. Quod & ipſa lex caviſſet, ſi prævidiſſet, & ſæpe crudele eſſet inſiſtere legi, cum obſervantia ejus eſſe præjudiciabilis eccleſiæ videtur.* Hæc ergo ita ſalvis legibus communionis legitimæ in po-

(*a*) Epiſt. XII. ad AVITUM.

potestate ecclesiastica exercenda rectissime sunt: nec potestas contra potestatem, aut tribunal adversus tribunal statuitur, erigiturque, pax vero, conformitas, unitasque conservatur inter summos ecclesiæ præsules, ut nullus privatum aliquid pro lubitu, & dominandi libidine usurpet, sed mutuo consulant commodis, & utilitatibus ecclesiæ, cui servire unice, ac studere debent quicunque ecclesiæ sunt præfecti, illi maxime, quibus amplior, sublimiorque potestas est. *Sic apostolici Romani episcoporum*, utor verbis Conc. Lemovic. II. an. 1031. *omnium sententiam confirmare, non dissolvere debent, quia sicut membra caput suum sequi, ita & caput membra sua necesse est non contristare.* Cum enim una sit potestas, quam episcopi distributam in universas ecclesiam, summus vero Pontifex veluti complexam, concreditam accepit, ab uno eodemque Spiritu *in* unum eundemque finem, sic est in communione legitima exercenda, conservandaque.

CAP. XVI.

CAPUT XVI.

Fruſtra diverſa finguntur, atque invicem opponuntur tribunalia, cum ſit unum in eccleſia communione legitimæ poteſtatis inter ſupremos judices.

I.

Semper in deciſionibus eccleſiaſticis intervenit communio legitimæ poteſtatis.

Syſtema iſtud communionis in legitima eccleſiaſtica poteſtate, quod ſtabilimus, quodque mirabili concentu, & conſonantia inter ſe ſummos eccleſiæ principes conjungit, ut vidimus modo, unice eſt aptum conciliorum etiam œcumenicorum legitimam formam, ſplendidamque illam ſpeciem, qua univerſalem repræſentant eccleſiam, digne & ſufficienter exprimere: quomodocunque ſe habeant ſummi dictatores Pontifex & epiſcopi, ſive pars partem præeat in decernendo, ſive ſubſequatur, ſive communicata mutuaque agant conſultatione ſecum deliberando, donec inter ſe conveniant, concordemque edant ſententiam, quando pronunciandum eſt. Hoc futurum ſemper eſſe, omnes illi firmiſſime credent, qui unam ſanctam eccleſiam catholicam credunt, Sanctorumque communionem: quæ collaberetur, diſſipareturque, ſi, quorum o-

pera

pera auctoritateque est conservanda, eam disrumperent inter se discordando, non coadunarent: ut si in concilio generali conveniant ad dogma aliquod communemque ecclesiæ fidem stabiliendam, alii aliam sententiam ferrent inter se pugnantem supremi arbitri Pontifex, & episcopi; pars vero fidelium huic, pars alteri judicio, definitionique adhæreret, sic unitas ecclesiæ periret, communioque Sanctorum. Quod necessario debere contingere perspiciet, ac largietur, qui opinionum conflictum haud ignorat, aliis summo Pontifici, aliisque concilio infallibilem supremamque decernendi auctoritatem adscribentibus. Nos media incedentes via utrique parti justa decernimus, secundum leges communionis legitimæ in potestate suprema inter summos ecclesiæ præsides. Qua ratione semper consultum est unitati ecclesiæ, communionique Sanctorum: quæ cum sit articulus symboli apostolici, sicuti semper credi, ita semper existere debet.

II. Cum vero concilia generalia cogi non semper possint, extra vero concilium difficillimum sit, subito exorta aliqua controversia, consensum omnium per orbem dispersorum judicum explorare, nisi in Romano episcopo exsors auctoritas, ac legitima decernendi pote-

Unde auct ades tiam solo tific que lio e tur.

poteſtas agnoſcatur, eccleſiæ fides periclitabitur, errores invaleſcent, incerta erunt omnia, atque ingruenti malo ſera parabitur medicina ad concilium generale ſententia ſuſpenſa, quod ſexcentas remoras patitur: interim infinitarum animarum periculum, turbæ & ſchiſmata, ac turpis quidam ad tempus Pyrrhoniſmus eccleſiam tenebit. *Eccleſia,*

2. inquit auctor (*a*) Principiorum Jur. Publ. Eccl. Cath. *eſt perſona ficta, & moralis conflata ex innumeris pene individuis: quis hominum deprehendet ſenſum tantæ multitudinis? Et quorumnam indagabitur conſenſus? An eorum, qui de jure ſunt controverſiarum judices? Hi externo regimini intenti raro curant theologiam. An doctorum, & profeſſorum? At hos quis conſtituit judices? Scholaſticorum teſtimonia, ac cenſuræ (quandoque præcipites) non ſatisfaciunt ſemper: quis eorum legit omnes libros, ut conſtanter aſſeverare queat diſſentire neminem? Et legerit omnes libros; an ſoli illi orthodoxi, qui libros edunt. Quot eruditi abſtinent ſcriptione? Quanta cohors velata mente juravit in prædefinitum magiſtrum? Quot litterati prohibentur ſtatutis ordinum ſuorum, quo minus ſcribant, quod ſentiunt? Quot alii metu vexæ? Soli Galli, quos, timido licet*

(*a*) Cap. IV. §. 9.

licet pede, premunt Germani, animo clarent: Italia & Hiſpania liberiores calamos haud patiuntur: ita pro nihilo hanc in rem videntur eſſe libri privatorum. Hinc auctor ille evincit, poſtulare tum pacem eccleſiæ, tum ſubjectionem, ne quis pervicaciter obſtrepat Papæ, quando hujuscemodi cauſas auctoritate publica decidit. Quod vero addit, gravatum interim poſſe loco ſuo modeſte cauſam dicere, totum hoc remedium ex auctoritate ſummi Pontificis, niſi ſecundum leges communionis poteſtatis eccleſiaſticæ hactenus explicatas, inutile facit: & interim dubios, incertosque, ut ita dicam Pyrrhoniſtas in eccleſia fovet, ſi non penitus refragarios, & hæreticos contumaces facit. Verum eſt definitum non eſſe, decreta Papæ dogmatica an ante acceptationem eccleſiæ lapſui aut reformationi haud ſubjaceant? At hoc contendimus, eccleſiæ ſatis proviſum non fore, etiamſi, quod Pontifex ſtatuit, promulgantque eccleſiæ paſtores, qui collegium apoſtolorum per orbem catholicum ſuſtinent, illud revereantur fideles, tantum ut turbæ, & ſchiſmata evitentur, nec facile erroris inſimulentur; illisque reverentia, & obſequium interim præſtetur tanquam decretis proviſionalibus, honeſtis, & ſolum

lum ad prævenienda animarum pericula neceſſariis, quatenus medio tempore abſtinendum ſit ab ulteriore (*a*) diſſeminatione dogmatis confixi, quod alias plerumque ſubſequatur ſeditio, ut auctor ille vult. Non ſatis digna hæc ſunt, ac firma, ad fidei conſtantiam, & unitatem in eccleſia, credulitatemque non ambiguam dogmatum; ſi interim dubitare liceat, an conforme fidei ſit decretum, an non refigendum, quando ad plenarium judicium deventum fuerit: cum tamen ipſa per eos in eccleſia facta promulgatio, qui judices ſeſſuri ſunt, quæ ſententia proditura ſit etiam in œcumenico concilio, dubitare non ſinat. Firma perſuaſione de legitima communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ principes, qua fit, ut quomodocunque judicium fiat etiam a ſolo Pontifice, dum eidem vel aliunde ab eccleſiæ paſtoribus res definienda præponitur, vel definita ſuſcipitur, ut avitæ credulitati fideique eccleſiæ ſuæ conſentanea, ſemper in unam ſint coalituri ſententiam judices. Quod nemini mirum videri debet, ſi hanc auctoritatem tribui tantum ſecum perpendat pontificiis decretis, quando ex cathedra fiunt, hoc eſt, quando, traditione eccleſiæ tum Romanæ, tum

2.

(*a*) Id. c. 5. §. 38.

tum universalis consulta, & inspecta, Pontifex decidit. Neque enim ceu ex tripode oracula ab eo fundi putamus, sed ejus judicia suscipimus maturo consilio, debitaque circumspectione ex deposito fidei in ecclesia conservato depromta.

III. Quæ probe perspecta, atque ad vivum resecata, nubeculam illam dispellunt, quam objicere solent, qui Pontificis decretis denegant assensum, vel suspensum tenent, eo potissimum ex capite, quod Romanæ sedis judicium instauratum nonnunquam sit, retractatumque, etiamsi rescissa nunquam memoretur sententia. Quod unum, secundum leges communionis legitimæ in potestate ecclesiastica sufficere deberet ad tuendam pontificiam auctoritatem, tot tantarumque causarum anticipata decisione semper retenta, quando etiam ulteriori examini res subjici visa est præsertim *in* conciliis generalibus. Cum enim *Pontifices* decreta sua forment non ex *privata* opinatione, sed sedula traditionis, doctrinæque ecclesiæ discussione, indagatione neque; quomodocunque id fiat sive cum concilio, sive sine concilio communio legitimæ potestatis intercedit, atque quod ubique, quod semper, quod consensione communi tenet eccle-

Sive a concilio simul fiant, ac roborentur.

ſia, tenuitque, definitur: in concilio quidem œcumenico rogata ſingulorum, qui ad clavum eccleſiæ ſedent, ſententia explicitaque; extra vero concilium licet non expreſſe petita, explorata tamen, & indagata eccleſiæ communi fide. Hæc unitas igitur, ac conſenſio inviƈtum, ac ineluƈtabile robur eccleſiaſticis judiciis præſtans, ineſt ſemper decretis Pontificiis, quæ dicuntur ex cathedra, ſive explicita ſit in conciliis, ſive implicita ſine conciliis, aut ante concilia: nimirum ſemper eandem, diverſo tantum modo, plenam auƈtoritatem obtinet canonicum, apoſtolicumque judicium, ut vocatur in concilio Epheſino. Sicuti ergo auƈtoritatem Rom. Pontificis non lædit, imo eam inſtruit, quando extra concilium deciſionem format, explorata prius, & examinata doƈtrina eccleſiæ; ita etiam nihil eidem auƈtoritati deperit, quando examen hoc in conciliis inſtituitur aliquando pro temporum neceſſitate, utque communio poteſtatis legitimæ exerceatur; quod in conciliis eximie fit ſummis arbitris non ſolum conſentientibus, ſed etiam ſimul judicantibus. *Multum enim*, inquit (a) Leo M. ſimili in cauſa, *ſacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic in ſummis ſervatur auƈtori-*

a.

(a) Ep. LXIII. ad Theodos.

ſloritas, ut in nullo inferiorum immutetur libertas, & ad majorem DEI gloriam proficit finis examinis. Hæc ille in negotio hæreſis Eutychianæ, quam prædamnarat primum Leo, nihilominus in ſynodo poſtea reſtaurato judicio, at non alio, quam ipſius Pontificis, cum ipſe per legatos ſuos præeſſet: ſic non diverſum tribunal, ſed ſplendidius inſtruebatur, ac ſententia ſua præjudicata obtinebat, jam prius ex ejusdem communis doctrinæ, traditionisque promtuario a Pontifice edita, expoſitaque. Huc redit examen illud, quod circa Leonis epiſtolam factum objicere ſolent: quod ſane nihil aliud eſt, quam teſtificatio, ab epiſcopis ſententiam dicentibus facta, conſenſionis in traditione, ac fide. Sic initio ſtatim inclamarunt Patres: *Sicut Leo ita credimus* (*a*): *Petrus per Leonem locutus eſt*, *epiſtolæ omnes ſubſcripſimus: ſufficiunt ad fidem, quæ expoſita ſunt, alteram expoſitionem non licet fieri.* Ita tunc conclamatum eſt; & cum poſtea ſingulorum etiam rogatæ ſunt ſententiæ, id ſolum quæſitum (*b*), an expoſitio 318. & poſt hæc 150. Patrum conſonet epiſtolæ ſancti Leonis. Quod examen utique haud reſpuunt Pontifices: quin non aliter quam eo inſtituto decreta ſua profundunt: huc

a.

b.

(*a*) Act. II. Conc. Chalced. (*b*) Ibid.

tunc ſingulorum vota reciderunt : *Anatolius dixit, epiſtola ſanctiſſimi Leonis conſonat ſymbolo* 318. *Patrum*, & 150. *Patrum. Sed & his quæ in Epheſo ſub Cæleſtino*, & *Cyrillo*, *quapropter conſenſi*, & *libenter ſubſcripſi*; *concordare certo ſcio*; *cum eſſet conſona*, & *eundem haberet ſcopum*, *amplexi ſumus*, & *ſubſcripſimus* : *hanc jam olim tenuimus fidem* : *hanc tenemus*, *in hac baptizati ſumus*, *in hac baptizamus.* Alii : *cum viderem*, *cum ſentirem*, *cum deprehenderem*, *cum invenirem conſentire*, *ſubſcripſi. Perſuaſus*, *inſtructus*, *certior factus*, *quod omnia conſentirent*, *ſubſcripſi.* Quod ſi hæc auctoritati Pontificis derogare poſſent, deberet is ipſe in judicando decernendoque aliam non hanc viam tenere examinis, qua, indagata prius traditione fideque eccleſiæ, definit.

Quod judicium quoad rem ipſam idem. quoad modum tantum utrinque uſitatum differt.

IV. Hoc ſane modo leges communionis eccleſiaſticæ in exercenda poteſtate inter ſummos eccleſiæ principes optime ſtant, ſtatque invicta, & firma Pontificis auctoritas : cujus robur & firmitas ſicuti ex communis traditionis fideique unitate conſonantiaque aſſurgit, ita in conciliis œcumenicis, ubi totius eccleſiæ eſt repræſentatio, ſingulari, ac excellentiſſimo modo elicitur : ideoque tutiſſima, deſperatiſſimis rerum articulis præ-

præſentiſſima eſt via, conſenſionem traditionis, quæ alias in quovis apoſtolico, & canonico judicio ſpectatur, comprobandi, examinandique. Cave ergo aliud exiſtimes eſſe tribunal hoc, quam illud ipſum, quo extra concilium Pontifex decreta ſua edit: quod uni inſiſtit fundamento, ex uno derivatur fonte, eosdem agnoſcit auctores. Modus tantum eſt diverſus, cum apertior, & ad convictionem gravior ſit in concilio adunatus totius eccleſiæ ſenatus, cum ſuo capite decidens. *Nullum jam excuſationis refugium*, inquit S. Leo (*a*), *de ignorantia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur; cum* 600. *fere fratrum coepiſcoporumque noſtrorum ſynodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium diſſerendi contra fundamentum fidei inſpiratæ permiſerit, quoniam admitentibus per auxilium DEI fratribus vicariis noſtris, non ſolum ſacerdotibus Chriſti, ſed etiam principibus, & poteſtatibus chriſtianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus, plene atque evidenter apparuit, hanc eſſe vere apoſtolicam fidem, quam ſinceram ab omni fæce totius erroris alienam, ſicut accepimus, prædicamus, & univerſo jam mundo conſentiente defendimus.* Quapropter etiam eodem loco ſemper eſt habi- 2.

(*a*) Ep. LII. ad Epiſc. Gall.

tum judicium, ſive in concilio, ſive extra concilium expreſſum. Utroque modo deciſiones fidei factæ, hæreſesque ſunt protritæ: hoc modo MONTANI, PRISCILLIANI, JOVINIANI, VIGILANTII, PELAGII auctoritate Pontificis ex communi traditione decidentis, illo modo ARII, NESTORII, EUTYCHETIS &c. Quin obſervare licet, felicius quodammodo fuiſſe judicium Pontificis, quod extra concilium nonnunquam fecit, quam in concilio, quando nullam omnino hæreſin penitus extinguere potuiſſe conſtat concilia œcumenica, uſque in hodiernam diem Arianis, Neſtorianis, Eutychianis, Monothelitis, Iconomachis, Lutheranis, Calviniſtis eccleſiam infeſtantibus, qui ab œcumenicis conciliis ſunt proſtrati. Cum errores APOLLINARIS, PELAGII, BERENGARII, *Gilberti* PORRETANI, *Petri* ABAELARDI, AMARICI in ipſo ortu ſuffocati ſint auctoritate Romanæ ſedis, quorum auctores aut ſe ſummorum Pontificum deciſionibus ſubmiſerunt, ſuisque erroribus renuntiarunt, aut damnatis a ſancta ſede eorum dogmatibus ab omnibus derelicti fuerunt, ut eſt jam a rerum peritis notatum. Quodſi vero alii ſunt refragati, conſultumque fuit plenius judicium in conciliis inſtaurare, etſi examen reſtauratum dicatur, nunquam

quam tamen ſententia reſtaurata eſt, vel reformata. Quare S. AUGUSTINUS de judicio, quod poſt MELCHIADIS ſententiam Donatiſtis eſt conceſſum ab Imperatore, ita pronunciavit: *Dedit ille*, inquit (*a*), *aliud Arelatenſe judicium, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omnino cupiens tantam impudentiam cohibere.* De Pelagiana etiam damnatione apud Romanam ſedem non ſemel ſuis in libris edixit, cauſam jam finitam. Neque tunc, ut vehementer flagitabant, œcumenicum poterant obtinere concilium, eſſetque res plane indigna, cujuslibet erroris cauſa orbem terrarum commovere, atque concilium œcumenicum cogere. 2.

V. Mirum ſane eſt, appellandi a Papæ judicio ad concilium perfugium poſſe nunc tantopere placuiſſe, quod auctores primum Pelagianos habuit epiſcopos, qui ipſi tamen potius conqueſti ſunt, atque minati, ſi juſtitiam, & judicium non vellet impendere, ſe auctoritatem pontificiam detrectaturos. De appellationibus in cauſis fidei tantum hic loquimur, non de aliis, qualis ex. gr. continetur THEUTGAUDI & GUNTHARII Archiepp. in epiſtola apologetica & appellatoria ad totius eccleſiæ communionem

Nec appellationes ad concilium aliquid contra proficiunt a Neotericis uſurpatæ.

(*a*) S. AUGUST. Ep. olim 162.

nem ad NICOLAUM I. ſcripta in cauſa Theutbergæ pudenda ſane. Proprie hujus loci eſt, quam ſequiore ætate LUTHERUS contra LEONEM X. appellationem fecit. In rebus fidei vix aliud occurrit exemplum. Sunt, qui eam, quæ ſub PHILIPPO *Pulchro* a regni ordinibus facta eſt, in hunc cenſum reducant, quod in eo cœtu prodierit, qui BONIFACIUM hæreſis, impietatis, ac multorum aliorum criminum accuſarent, & concilium generale quod de his cognoſceret omni ope procurare vellent. At certe hæreſis tunc cauſa nulla intervenit, fuiſſe vero univerſim appellationem illam, quod praxin & conſuetudinem attinet, rem novam, ipſe haud diffitetur
a. *Petrus* de MARCA, *Quia*, inquit (*a*), *nunquam admiſſa fuit provocatio a Papa ad concilium, licet aliquando remedio quodam extraordinario ſedis apoſtolicæ judicium in majori ſynodo reſtauratum fuerit.* An, quam GUILIELMUS *de S. Amore* damnato Romæ libro de periculis noviſſimorum temporum interpoſuit querelam, appellatio dicenda ſit, dum concilii tantum provincialis, vel œcumenici definitionem ſubire ſe paratum oſtendit parum intereſt, haud ſecus ac *Michaelis* CÆSENATIS, qui a Pontifice ad eccleſiam appella-

(*a*) De concord. L. IV. c. 17.

pellavit, quam tamen mox proſtibulum eſſe factam eſt calumniatus. In celebri illa de paupertate Chriſti controverſia unus fuit pſeudominorita, qui apellationem interpoſuit. Poſtea tamen ſemper magis frequentari cœpit præſertim a tempore ſchiſmatis illius magni, a quo multi ejus originem repetunt; alii vero a FRIDERICO II. ſed is a concilio generali ad magis generale provocavit. Sæculo decimo tertio in Anglia appellationes ejusmodi quidem nonnunquam interceſſerunt, atque in concilio Conſtantienſi Poloni ea uſi ſunt, in Gallia tamen magis ſunt frequentatæ.

VI. In quibus id plerumque obſervare licet, penitus judicium Papæ non fuiſſe rejectum: ſic LUDOVICUS XI. oratoribus ſuis mandavit, ſi opus fuerit appellare, *ab ipſo ſummo Pontifice male conſulto, ad eundem Pontificem bene conſultum, ſeu proximum concilium univerſalis eccleſiæ.* Anno 1484. procurator generalis *provocavit, & apellavit ad ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam Sixtum minus debite conſultum ad ipſum melius conſulendum:* Univerſitas Pariſienſis an. 1491. *a ſanctiſſimo domino noſtro Papa Innocentio VIII. minus debite conſulto, ad ſeipſum melius conſulendum, & ad ſanctam ſedem apoſtolicam*

A quibus tamen auctoritas ſummi Pontificis excludi non poteſt

etiam melius conſulendam : nec non ad ſacroſanctam ſynodum univerſalem celebrandam an. 1501. Capitulum Pariſ. *ad Papam melius conſulendum vel conſultum, & ſacroſanctam ſynodum univerſalem primo celebrandam.* Nec ita multo poſt parlamentum *ad Papam melius conſultum, & futurum concilium generale legitime congregandum, & ad illum vel ad illos, ad quem ſeu ad quos petendo apoſtolos inſtanter, inſtantius, inſtantiſſime.* Haud abſimilis formula reliquis fere appellationibus eſt annexa. Eam ſuppeditavit prima ſub PHILIPPO appellatio : *Ad concilium, & ad futurum verum, & legitimum ſummum Pontificem, & ad illum, & ad illos, ad quos de jure fuerit appellandum: ſupponentes ſe protectioni divinæ, & BB. Petri, & Pauli, & dicti concilii generalis, ac ſedis apoſtolicæ, & futuri veri, ac legitimi ſummi Pontificis.* Quibus ſe oſtenderunt contra BONIFACIUM non ut Papam egiſſe, univerſimque appellationes ejuscemodi produnt, ſe Pontificis judicium non penitus abjeciſſe, dum illud etiam in concilio generali interveniet. Id quod BONIFACIUS contra PHILIPPUM maxime urget, concilium ſine ſe convocari non poſſe.

Jure prohibitæ ſunt appel.

VII. Meminit *Jo.* GERSON bullæ MARTINI V. contra appellantes in concilio

cilio Conſtantienſi editæ, tum alibi, cum eo in tractatu, quem de hoc argumento ſcripſit: *Quomodo, & an liceat in cauſis fidei a ſummo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare.* Poſtea Pius II. in conventu Mantuano bullam edidit, qua, qui a Rom. Pontifice appellare præſumant, ſententiam excommunicationis, aliasque pœnas, quæ in reos majeſtatis, & hæreticæ pravitatis fautores decernuntur, fulminat. In eandem ſententiam eſt bulla Julii II. *ſuſpecti regiminis.* Quæ eo ſunt interpretanda, ſi contra leges communionis in poteſtate eccleſiaſtica cathedra adverſus cathedram conſtituitur: tribunal alterum ſpectatur Rom. Pontificis, & concilii inter ſe ex adverſo poſitum, alia ac alia jura proſequens, ferramque contentionis ad ſcindendam eccleſiæ unitatem reciprocans fori inſtar contentioſi, ac pulpiti, ſubſelliique ſcholaſtici, ubi ex inſtituto more cauſidicorum adverſæ partes colliduntur, actiones inſtituuntur, atque, quis cauſam, ceu litigioſam, adverſus alterum obtineat, ſuperiorque ſit, contenditur. Quod Chriſtus apoſtolis ſuis prohibuit, ne more gentium dominentur, eſtque adverſum paci, ac unitati eccleſiæ, communionique poteſtatis legitimæ, illi porro conſonantiæ judi-

lationes communioni legitimæ poteſtatis adverſæ.

judicii tum pontificii, cum conciliaris, ſecundum quam idem ex cathedra ſua pronunciat Pontifex, quod in conciliis cum ſenatu catholico decernit; explorata in privatis deciſionibus, & examinata prius eadem conſenſione doctrinæ, & traditione eccleſiæ atque etiam per receptionem promulgationemque factam per eccleſiæ paſtores in orbe catholico aſſerta, quæ in concilio veluti per capita, & rogatis ſingulorum ſententiis, cenſetur. Ut adeo ſicut idem tribunal, ita idem judicium ſit in communione poteſtatis eccleſiaſticæ: & ſi quando dubii aliquid, aut ambiguitatis ob hoc movetur, ſuſpicioque maligna exoritur, reſtaurato judicio, nunquam contraria ſententia prodit. Dictis rerum conſtans experientia fidem facit, quando, quæ primum ex communi traditionis depoſito propoſuit, definivitque PETRI cathedra, ex eodem promtuario aliud depromere haud potuit conciliaris diſquiſitio, examine ejusmodi ſemper æquitatem, & juſtitiam prioris judicii manifeſtante. *Nam*, inquit S. LEO (*a*), *ne aliarum ſedium ad eam, quam cæteris omnibus Dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentatio videretur, aut alia qualibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio; inventi ſunt,*

(*a*) Ep. LXIII. ad THEODOS.

ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent. Tum ipſa quoque veritas clarius reniteſcit, & fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat, hæc poſtea examinatio confirmat. Hac fiducia ſecure ſemper ſummus rerum arbiter, ac eccleſiæ caput, quæ ſecum conſtituit, poſtea cum collegis in pleno conſeſſu decernit.

VIII. Hoc modo ruit jus illud provocationum juridicarum, quod ex foro civili in eccleſiam eſt introductum, a quo tempore judiciorum eccleſiaſticorum ſimplicitas immutata eſt, atque ſeparari cœpit in ſcholis Pontificis, & epiſcoporum tribunal, rupta non parum communione poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ judices. *In eo enim*, inquit *Lud.* THOMASINUS (*a*), *ſita eſt tota hallucinatio catholicorum doctorum, paucorum adverſus plures, novorum adverſus veteres, ipſorummet adverſus ſeipſos inteſtino diſſidio altercantium, quod auctoritatem unam indiſcretam, & individuam Pontificis, & epiſcoporum, ſedis apoſtolicæ & eccleſiæ catholicæ, Papæ & concilii, capitis & corporis diſſecare, & ſibi collidere auſi ſint. Ex adverſo autem id obtinuit a cunabulis eccleſiæ, id obtinet etiam nunc, & ipſis cernentibus, ac mirantibus obtinet invictiſſime, ut una illa ſit eccleſiæ catholicæ nunc per caput*

Neque ullis legitimis rationibus, & cauſis nituntur.

(*a*) Diſc. XVIII. in ſyn. Rom. an. 532. n. 78.

caput ſolum, nunc per corporis concen
cum capite ſeſe exerens, una, inquam
indivulſa auctoritas. Non alia enim
minor aut major, ſed una indiſcretaque
ſidet in eccleſiæ corpore, & in capite
ctoritas. Ideo inexpiabilia poſt duce
abhinc annos viſa ſunt conflagrare bella
ter Pontifices, & epiſcopos, ſed in doctor
ſcholis; nam reapſe ubi ſemel illud du
rum Pontificum ſchiſma ſedatum eſt, n
ſynodus a Pontifice, nullus Pontifex a ſ
do diſſidere viſus. Hæc igitur eſt m
digna tali prole Erinnys illa recens nut
diſcordiæ, & litium. Nec ipſe J
GERSON altius audet aſſurgere, qu
jus appellandi ad ſynodum: Trac
enim *An liceat in cauſis fidei a ſu*
Pontifice appellare, & judicium ejus d
nare? Conſid. VIII. ita habet: *Dixe*
olim ante concilium generale Piſanum
Conſtantienſe, quod nullo modo licebat
pellare ad concilium, & allegant jura
pro ſe valde, ſicut eis videtur, expr
ſed conſtanter nunc aſſeritur, quod eſt h
damnata per conſtitutionem expreſſiſſi
& practicatam in concilio Conſtanti
Nimirum putat ille jus hoc ex illis,
ſeſſ. IV. & V. Conc. Conſtant. ſum
tuta, derivari. Et niſi hoc admitt
plura inconvenientia præfato in tra
notat: *Primum quod Papa non ſubjic*
i

legi divinæ, *vel evangelicæ*: refertque illum textum Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* ubi sequitur: *dic ecclesiæ: & si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Ratio hæc illam doctrinam supponit, quæ ecclesiæ primario, & immediate claves esse datas, non PETRO, & apostolis, eorumque successoribus falso contendit. Alterum inconveniens ponit GERSON, quod PAULUS egisset contra jus divinum, & humanum, dum restitit PETRO in faciem. *Hæc enim*, inquit ibidem, *resistentia non fuit minor provocatio Pauli contra Petrum, quam fuisset appellatio ad ecclesiam: imo fuit æquivalenter appellatio.* Sic ille temerario ausu principibus apostolorum impingit id, quod suo primum tempore commisit inter se summos ecclesiæ principes. Nec tamen audet PETRUM erroris in fide damnare, tametsi ejus exemplo probare velit, licere in causis fidei a summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare. Sed id risu potius, quam observatione dignum quod hinc elicit: *Quod*, inquit, *summus Pontifex, qui succedit Petro in apostolatu, repræhendi potest publice per doctorem theologum, qui in officio prædicationis succedit Paulo, etiamsi non hæreticaret, vel erraret in fide.* Quod si admittatur, jam quivis, qui se theo-

theologum exiſtimat, commc
orbem. Ulterius jus appellan
fice ad ſynodum inde ab exer
repetit, quod compulſus ſit i
tionem ab apoſtolis, & fratri
viſitaverat CORNELIUM gentile
PETRUS promte reſponderit
hoc ſucceſſoribus ſuis forma
humilitatis, quod expreſſit epi
primæ c. 3. *Parati*, inquit, *
*ſatisfactionem omni poſcenti vos
de ea, quæ in vobis eſt fide, & ſ*
fuiſſe ſemper æmulatos PETRI
res, res eorum geſtæ produnt,
ta ſemper communione poteſ
timæ, donec contentiones illa
ſunt, quæ ſummos eccleſiæ
inter ſe commiſerunt: atque
parte ſtantes nihil communioni
tis reliquerunt; ex altera loci
runt illi appellationis tribunali
eccleſiæ detrimento, nullo un
lici eventu.

Neque ullo unquam felici eventu.

IX. Appellarunt primum P
at nihil illis delatum: ſalva ſe
ſtolicæ auctoritate, & definitior
ſtanter tunc S. AUGUSTINUS,
SPER, alii, jure damnatos, atqu
ſum ad concilia provocari ter
Poſt plurium annorum ſpatiu
contentiones necdum penitus ſe

sent, atque ad concilium etiam res deductæ Arausicanum, CÆSARIUS tunc Arelatensis episcopus solum capitula quædam ab apostolica sede transmissa ab omnibus observanda protulit, & subscribenda. Quibus lectis addita & admonitio, ut, qui hucusque non, sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat. Et ita quidem tunc feliciter ingens illa tempestas consedit, nec in mentem cujusquam venit, appellationem ad concilium generale suspendisse sententiam; quod suapte sequitur, si ab inferiore judice ad superiorem distinctum interponitur. At tunc nihil obstante appellatione pro hæreticis habiti Pelagiani, episcopi sedibus dejecti, ac in exilium amandati sunt, tandemque hæresis illa penitus excisa est. Non aliter postremis hisce temporibus accidit, dum Lutherani a Pontifice ad concilium generale tanquam ultimum judicium appellarunt. Post bullas LEONIS X. HADRIANI VI. & CLEMENTIS VII. publicatas statim a Catholicis execrationi habiti, atque ut hæretici proscripti, suppliciisque affecti sunt. Nemo appellationi eorum deferendum, multo minus suspensum existimavit judicium. Interim illis concilium

indultum. At haud magis huic, tificis judicio ſe ſubdiderunt, Pelagianorum appellatio ſpr Lutheranorum acceptata, ceſ

Quod ſecum perpendere deberent moderni appellantes.

X. Ex quibus conjecturam cet, quid ſperandum, ſi dei rum fieret ſatis, qui hodie tan atque importune appellatione ad concilium faciunt, repudiat lum conſtitutionibus dogmati ma ſede emanantibus, verum roris non unius incuſatis. Co nem poteſtatis legitimæ inter eccleſiæ principes, in ſummo totius eccleſiæ capite coadun agnoſcunt, qui, quando Papa edit, ex cathedra, atque pro ſuo paſtorali orbi chriſtiano p etiamſi promulgatum ab eccle ribus ſuſcipiatur, adhuc exam ciendum putant, expectandum nec univerſa eccleſia, hoc eſt o tius terrarum orbis epiſcopi ſu in œcumenico concilio probari vero aliter decidere ſoleant Rom tifices, ac conſtans tenet eccleſiæ fidesque invariata. Hanc prius in ſua Romana, ac univerſali ec dagant Pontifices, & explorant ad definiendum progrediantur; eo præſumi, ac indubitata credi

iſta conſenſio, & communio poteſtatis legitimæ, non probari amplius, & inquiri poſt editum decretum.

XI. Neque enim cum fidei conſtantia, & firmitate alteram illam operoſiorem viam ſatis conſtare exiſtimamus, ut prius exſpectanda ſit concilii œcumenici definitio, quam pontificiis decretis ſua ſtet firmitas. Hoc docuit nos experientia nuper in controverſia circa bullam *Unigenitus*: quam qui ſuſceperunt in Gallia primum antiſtites, atque reliquorum ſuſcipere detrectantium audaciam repreſſuri, teſtimonia ingenti numero protulerunt (ut habent acta publica hujus bullæ) quibus totius pene Europæ epiſcoporum acceſſio dictæ bullæ comprehendebatur, nihil effecerunt, quam ut, qui prius ſolum Pontificem proditæ catholicæ fidei inſimularunt, nunc quoque epiſcopos illos, quorum teſtimonia ſunt collecta, imperitiæ arguerent, ea eſſe dictitantes ab ignavis, & indoctis extorta epiſcopis, quorum captum excederet damnatarum propoſitionum ſublimitas, quorum teſtimonia adeo nihili ſint facienda. Cumque regia auctoritas interponeretur, præſertim contra *appellantes*, qui ab appellatione deſtiterunt, id metus potius quam veritatis gratia feciſſe ſunt judicati. Qui

Ingenti rei chriſtianæ periculo.

contra conſtantes in ſua per
ſtiterunt, gloriantur etiamn
ſuam cruce Domini eſſe obſig
que evangelii præſeferre inſig
ſcuto cauſam ſuam tuitus
pridem epiſcopus montis Pe
ſtola ad regem an. 1728. dat
verſam partem ſuſpectam re
voluit. *Res*, inquit, *cui on*
gratia, atque humana merces
neceſſario ad ſe rapit eos omnes,
bitio avaritiaque antiquior, m
di eſt, quam veritatis amor.
vori, gratiæque accedant minæ
tia, bonorum amiſſio, in exili
carceres &c. facile etiam acceſſio
parti. Demum temporariis ma
te excluſione a ſacramentis, ſuſp
excommunicatione, multi ſunt, q
res metu quidem humano, his ta
dunt, ac vincuntur; eoque ſe f
quo alias religione prohibentur;
turam eſt nihil, quod partis ad
ſam juvet, ſicuti noſtræ. Cauſa
cis ſigno ſplendet, atque evangel
charactere. Quam qui ſuſcip
ærumnas, & ſupplicia, cum
omnem vitam conflictetur, quod
haud habet &c. Ita tunc epiſc
qui cum collegis apoſtolorum
ribus partes ſuas ſibi in definie

cauſis vindicare videri potuiſſet, niſi eas contra caput eccleſiæ centrumque unitatis defendiſſet. Sicuti nunc accidit, ut epiſcopis ſuis curati, ſeu ſubjecti paſtores, privatim etiam doctores, ac theologi imo plebs promiſcua, ac vulgus refragetur, donec ipſis demonſtretur, ab univerſa eccleſia acceptatam eſſe *bullam* pontificiam, in eaque omnes totius orbis epiſcopos primitivæ antiquæ, ac novæ eccleſiæ fidem *ſuam* agnoviſſe; aut donec concilio *univerſali* cauſa deciſa fuerit. Adverſus quod tamen, haud minus cauſandi criminandique cauſas reperirent; *uti* quidem ſuperius teſtimonium adduximus ex hoc grege hominis, qui diffidentiam ſuam in futurum concilium aperte prodidit, quaſi artes ſummo Pontifici defuturæ haud ſint, quibus ad mentem, ac vota ſua concilii conſeſſum trahat.

XII. Non audent tamen penitus Pontificem a concilio excludere præſertim legitimum. Ill. Bossuet dicit (*a*) falſum eſſe, a clero Gallicano ea tantum ſpectata eſſe concilia, quæ ſine Papa celebrentur. *Nec minus*, pergit, *falſum eſt, quod decreta Conſtantienſis concilii non aliam admittant ſententiam, quam eam ſcilicet de conciliis ſine Papa congregatis.* Non

Nullo pontificiæ auctoritatis præjudicio.

(*a*) Def. declar. cler. Gallic. P. II. L. XV. c. 31.

penitus ſic abjicitur commun
tis legitimæ circa ſummos ec
cipes; nihilominus non agn
judicio ſummi Pontificis, quan
ter concilium, & non roga
ſententiis, ex communi tame
Romanæ, ac univerſalis trad
cretum edit. Aberrare eum
a vero traditionis tramite exiſti
judicia ejusmodi retractari, & a
pellari ad concilium tanquam
tribunal debeat. Secus ac pe
mus, Pontificem, conſulta prit
traditione, ac fide, quæ ſemp
riata perſiſtit, definientem, a
quam alienum prolaturum a
doctrina, quæ in communio
ſtatis eccleſiaſticæ depoſita cont
cujus unum idemque eſt tr
Pontifice & epiſcopis, non al
rius, aut inferius; ita ut opus
vocatorio, appellatorioque ad c
jure, ſecundum actiones foren
politici contra leges evangelii.
itaque, concludamus cum *And.*
2. LIO doctore Sorbonico (*a*), *ratun*
ſtans, *omnem a ſummo Pontifice*
lium ſive futurum, *ſive præſens ap*
nem eſſe prorſus illicitam.

CAP.

(*a*) Ex part. 4. quæſt. ult.

CAPUT XVII.

In communione legitimæ poteſtatis, recte ſe habet regimen, ac judicia eccleſiaſtica, quibus refragari nefas eſt.

I.

Quandoquidem ita involuta veluti, & implicata *eſt* univerſæ eccleſiæ cauſa in Rom. *Pontificis* auctoritate, inſurgit, detrectari eam a nemine poſſe, aut debere; tamerſi concilii frequentia communita non ſit pontificia ſententia. Hanc alias qui aliquando reſpuerunt, etiam ſanctitate conſpicui viri (ut eſt nihil undiquaque purum, & perfectum in humanis) famam ſuam commacularunt, atque in errore verſari deprehenſi ſunt: S. Polycarpus, & Polycrates cum Aſianis aliis quoad celebrationem Paſchæ, ac poſtea S. Columbanus in eadem cauſa: S. Cyprianus, & Firmilianus, quoad baptiſmum hæreticorum, & ſi qui alii ſunt, etiam in conciliis congregati Patres: quibus ſæpe ad concilii œcumenici auctoritatem numerus haud defuiſſet, ſed quia aut caruerunt, aut deſciverunt ab auctoritate ſedis Romanæ, a recto etiam aberrarunt. Quod illis nunquam evenit, qui ſe te-

Non ſtetiſſe a Romana ſede, ſemper damnabile quibusvis fuit.

nuerunt ad petram. Eſt hoc
in frequenti ſynodo VIII. c
tianos aſſertum. Hi cum
manæ eccleſiæ judicia excep
quod multi, quos illa abſolv
modum damnati fuerint, & vi
damnarat abſoluti: METROPHA
næ epiſcopus nomine ſynodi
a. hæc arguit. *Quod dixiſti*, ai
*tos Romanorum eccleſia juſtifican
tos arbitramur, & rurſus dam
ficatos habemus, falſum eſt,* &
veritate. Magnum ineluctabil
tis pondus auctoritati Rom.
adjicit perpetua, ac conſtans
exemplorumque ſeries, ut ſ
ortis controverſiis pars Rom.
conjuncta vicerit, ſemper qu
dicavit obtinuerit, ſive res in co
tata fuerit, ſive non. *Quoniam*
b. LASII verbis utar (*b*), *ſicut id,
ma ſedes non probaverat, conſta
tuit, ſic quod illa cenſuit judican
cleſia tota ſuſcepit.* Hoc gratan
vit antiquitas aſſurgens, appla
judiciis cathedræ Romanæ.

Adhæſiſſe vero etiam extra concilia ſedi huic

II. Damnarat Romæ SIRICIUS
nam hæreſin, eundem D. AMB
cum ſuæ provinciæ epiſcopis

c

(*a*) Act. VI. ſynod. VIII.
(*b*) Epiſt. XIII. ad ep. Dard.

collaudavit; sic enim rescribunt: *Recognovimus litteris Sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui diligenter tibi commissam januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant, & sequantur: & ideo quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendis, & occurris quasi pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique ululatu dominicum ovile dispergant.* Nec cunctantur illi statim subscribere, & quos damnavit Pontifex, damnatos habere; non concilium, non accessionem totius ecclesiæ præstolantur. Origenistas ANASTASIUS successor SIRICII proscripserat, damnaveratque: hoc uno tutus S. HIERONYMUS scuto se tuetur. *Quisquis es*, scribit ad PAMMACHIUM contra errores ORIGENIS, *assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ apostoli voce laudata est: cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt.* Præsertim RUFINUM infensissimum hostem hoc unico telo prostravit missa ad eum epistola ANASTASII (*a*): *Subjeci*, inquit, *exemplum ejus, ut si non vis audire fratrem monentem, audias episcopum condemnantem.* Hæresin Pelagianam successores ANASTASII INNOCENTIUS, ZOSIMUS,

contra hæreses, & turbas unice salutare.

a.

(*a*) Apolog. adv. RUFINUM.

MUS, BONIFACIUS, COELEST
ſtrarunt; hac una auctoritate
ceps pugnant Catholici, atqu
lios PROSPER carmine de *Ingr*
Romanæ ſedi imo Africæ imp
tulatur:

Tu cauſam fidei flagrantius Afr
Exequeris, tecumque ſuum jung

Juris apoſtolici ſolio, fera viſc
Conficis, & lato proſternis limite

Hos proxime inſequitur LEO
unice proſtratam Priſcillianiſta
reſin, poſtea ſynodus Bracai
acceptis refert. In qua hæc L
epiſcopus: *Eo tempore, quo in*
nibus nefandiſſima Priſcillianæ ſe
na ſerpebant, beatus Papa urbis
Leo, qui 40. fere extitit apoſtoli
ceſſor, per Turibium notarium
ad ſynodum Galliciæ contra imp
ſcilliani ſectam ſcripta ſua direxit
eundem FLAVIANUS concurrit,
ce poſſit ingruenti hæreſi occurre
ſit opus eccleſiam turbare, atque
cilium cogi. *Sic enim*, inter al
a. bit (*a*), *hæreſis, quæ ſurrexit, f*
deſtruetur DEO cooperante per veſ
teras, removebitur autem concilium

(*a*) Inter epiſt. LEON. poſt ep. 7.

fieri divulgatur, quatenus nequaquam ſanctæ turbentur eccleſiæ. Non ita multo poſt totus concutitur oriens. Hæreſin Eutychianam ſummi patriarchæ Cpolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, cum imperatoribus, alii occulte, alii aperte fovebant, in ſola tunc Romana ſede ſpes omnis erat, invicta nimirum fidei veritate, quam non ſolum penes ſe teneret, ſed etiam contra hoſtes ejus, qua vi, qua fraude graſſantes, ſuſtineret, eccleſiamque ab exitio vindicaret. Non tutum erat, nec poterat tunc coaleſcere ſynodus patriarchis cum imperatore adverſus fidem conſpirantibus. *Cum quibus*, ſcribit GELASIUS (*a*), *erat de Acacio ſynodus ineunda? Numquid cum his, qui jam participes tenebantur Acacio, & per orientem totum catholicis ſacerdotibus violenter excluſis, & per exilia diverſa relegatis ſocii evidenter exiſtebant communionis externæ prius ſe ad hæc conſortia transferentes, quam ſedis apoſtolicæ ſcita conſulerent.* Verum eſt fuiſſe tunc ejusmodi cauſam, quæ prius jam in concilio damnata erat. At agebatur periculum totius orientis: hincque magis elucet ſummæ ſedis poteſtas, quod cum concilii præteriti nihil proficeret auctoritas, præſens occurrere ſolum poterat ſedes 8.

(*a*) Epiſt. XIII.

ſedes apoſtolica, ut in aliis ej
ſæpe accidit cauſis. Ariana qu
concilium Nicænum magis q
eccleſiam perturbavit, nec S
profecerat exagitato præſertim
NASIO, ubi quam vellent etiam
catholicam congregari ipſi P
tamen coaleſcere non poterat,
tibus orientalibus, ſeceſſum fa
Quod poſtea in aliis cauſis D.
SOSTOMI, FLAVIANI, &,
bus primum diximus, ACACII
ſimiliter accidit: ut in ſola Ror
thedra perfugium contra pertur
eccleſiæ inventæ ſint. Idque ſa
dit, ut ſynodus nec debeat ſem
tigato toto orbe, nec poſſit co
eam expectare ſinant ingruent
quibus præſentaneo opus eſt ſ
medio, ſemper in Romanæ ſedi
ritate parato, inconcuſſo nimiru
ſtolici oraculi præſidio, in quo
ponunt eccleſiæ certiſſimo judic
tutiſſime in ſuis deciſionibus ſuſci
ſe: ut, ſi unquam laberetur Ror
des, ipſa eccleſiæ fides perieli
cum hæc illi ceu centro unitatis
nexa. Quod exemplo maxime l
to, ut ad filum redeamus, poſt
loco recenſitum orientis, in ſch
Acaciano periculum, patuit: u

potuerit de exiſtimatione, reverentiaque in Romanam ſedem demere ACACII pervicacia, ac rebellio: cum paulo poſt iterum in Romana cathedra fiducia omnis ſit collocata controverſia illa a Scythis monachis mota. *Hoc enim*, ſcribit inter alia imperator JUSTINUS de hac re conſulens HORMISDAM; *credimus eſſe catholicum, quod veſtro religioſo reſponſo nobis fuerit intimatum.* Et poſtea JUSTINIANUS ad JOANNEM II. *Non enim patimur, ut quidquam eorum, quæ ad eccleſiaſticum pertinent ſtatum, non etiam ad ejusdem referantur beatitudinem, cum ea ſit caput omnium ſanctiſſimorum DEI ſacerdotum, vel eo maxime, quod quoties his in locis hæreticæ pullularunt, recto judicio illius venerabilis ſedis coerciti ſunt.* Sed oriens, quid deberet cathedræ PETRI, tunc adhuc gratanter agnoverat: tum exemplis, ac factis, cum ipſo jure, ac ſedis prærogativa ducti, in qua veluti recapituletur univerſæ eccleſiæ fides, coiretque communio eccleſiæ univerſæ: ut in hac ipſa cauſa STEPHANUS *Lariſſiæ* epiſcopus in epiſtola ad BONIFACIUM II. ſcripſit: *Etenim dixi*, ait (a), *quia auctoritas ſedis apoſtolicæ, quæ a DEO, & Salvatore noſtro ſummo apoſtolorum data eſt, omnibus ſanctarum eccleſiarum privilegiis* a.

ante-

(a) T. IV. Conc. *Col.* 1696.

antecellit, in cujus confeſſione om requieſcunt eccleſiæ. Dum vero hac perſuaſione, ab hac obſerv ſcivit florentiſſima orientis ec vera ſimiliter fide, & unitate excidit, rupto vinculo commun cleſiaſticæ. Occidens vero diu tamdiu firmus ſtetit in vera fide diu cohæſit firmiſſimæ petræ F quo perfracto repagulo, res in tem luctuoſiſſimum ſtatum eſt Inter primas LUTHERI aberrati a LEONE X. eſt notata: *Si Papa gna eccleſiæ parte ſic vel ſic ſenti etiam erraret, adhuc non eſt pecca hæreſis contrarium ſentire.* Vide potheſin poni, in qua ſola a Rom. Pontificis, non fides illius tur: quod ſane locum habere dic etiam in ſyſtemate concilium œ cum ad firmitatem definitionum ciarum requirentium, nec impli lam in decretis ex cathedra prc conſenſionem agnoſcentium, ſe citam communionem poteſtatis l inter ſummos eccleſiæ principes tium. Quam tamen nemo Ca rum in LUTHERI cauſa præſtc duxit. Neque LEO X. aliud in ſ tra LUTHERUM conſtitutione, n ſenſionem, communionemque

vit, nihil privati uſurpans, ſed communem eccleſiæ fidem vindicans: quod luculenter bullæ ſuæ verbis teſtatum voluit: *Excurgat denique*, inquit, *omnis cœtus Sanctorum, ac reliqua univerſalis eccleſia &c.*

III. Abſit ergo ut Rom. Pontifices ſuis in deciſionibus conſenſionem illam, unitatemque ſolvant, quæ eſt eccleſiæ ipſa compago, & vinculum. Abſit ut communionem legitimam poteſtatis eccleſiaſticæ violet ſucceſſor PETRI, dum ipſo divino nutu conſtitutus collegii epiſcopalis ſuccedentis collegio apoſtolorum, totiusque catholicæ communionis caput, & centrum, ceu tuba apoſtolica, ac eccleſiæ os omnium eorum ſenſum, & ſententiam depromit, quibus arbitrium, depoſitumque fidei eſt concreditum: atque communem omnium eccleſiarum traditionem ſua ex cathedra denunciat toti, qua late patet, orbi chriſtiano. Quod dum Pontifices faciunt, imitantur, cujus vices gerunt, apoſtolorum principem: qui, dum apoſtolos omnes Chriſtus interrogaret (a): *Vos autem quem me eſſe dicitis?* ſolus inſtar omnium reſpondit: *Tu es Chriſtus, Filius DEI vivi.* Communem quidem fidem edicens, at non exſpectatis, rogatis-

Salva nihilominus communione legitimæ poteſtatis inter ſummos eccleſiæ judices.

(a) Matth. XVI. 15. 16.

gatisque prius omnium ſenten
poſtea ſinguli explicate edixer
ſentire, quod PETRUS commu
reſponderat. Neque tamen
conſtanter accidit, ut ſemper
res PETRI, duces, præcones
eſſent, quando decidendum al
error fuit præcidendus. Pr
ſertim ſæculis plures hæreſes
concilii œcumenici, ita etiam
preſſa Rom. Pontificis ſente
ſunt protritæ, ubi enatæ. N
fuit communio poteſtatis leg
aut epiſcopi ſolius, aut ad ſum
nodi provincialis, particularisq
ritate præeunte, caput, & reliq
pus tacito ſaltem annuerit
Tria priora ſæcula hæreſum
ſiſſimarum feracia fuerant, qu
magna parte ſine ſolemni ecc
dicio, decretoque ſunt damna
nodus primum Gangrenſis, ut
ticularis, ſingulis pene canonit
rem aliquem protrivit. Hoc
jicere ſolent contra ſummum
cem, cum olim hoc argume
2. ſit S. AUGUSTINUS (*a*), aliqu
Pelagianos ad concilium ap
Numquid, ait ille, *congregatio*
opus eſt, ut aperta pernicies da

(*a*) Lib. IV. ad BONIF. c. 4.

quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi ſynodi congregatione damnata ſit. Cum potius rariſſime inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoque ſint incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt. Atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Hic inſultat pontificiæ infallibilitati addictis *Ben.* Bossuet: *Perpendant*, inquit (*a*), *ubi extiterunt illic. &c. atque illud inde devitandæ &c. nulla gravioris a Romana ſede cenſuræ mentione. Neque enim eccleſiæ talem ſententiam exſpectarunt, ut Manichæos, Ophitas, Collyridianos, Tertullianiſtas, aliasque ſive manifeſte impias, ſive obſcuras, levesque ſectas per loca excitatas, aut horrerent, aut contemnerent. Neque dignæ ſunt habitæ, propter quas Romani ſe Pontifices commoverent. Ergone ſingulares eccleſiæ, a quibus ſtatim rejectæ, aut etiam oppreſſæ ſunt, ineluctabili auctoritate gaudebant? minime: ſed profecto ſic habet: ſemel conſtituto hoc certo dogmate, vim illam ultimam, & ineluctabilem unitate, & conſenſione conſtare; id quoque valere, quocunque modo ſe illa conſenſio declaraverit, ſive concilia congregentur, ſive non congregentur.* Reverenter aſſurgo his illuſtriſſimi Præſulis dictis: id unum mihi tri-

(*a*) Def. declarat. cler. Gall. P. II. L. 14. c. 1.

bui rogo, ut in decretis Pon
quando emanarint præter œcu
ſynodum, licet forte particula
rint, implicita hæc credatur
juxta leges communionis legitir
teſtate eccleſiaſtica, quas negli
poteſt Pontifex, dum decreti
etiam non rogatis ſingulorum
porum ſententiis; examinata
nus, & explorata eccleſiæ fid
ditione, quod perinde eſſe ad
bilem unitate & conſenſione
liter aſſerimus. Idque D. A u
NO perſuaſum fuiſſe haud du
ut de novo requirendo conſe
ceptationeque omnium epiſ
haud cogitarit: ſed mox cauſa
putarit, dum acta duorum co
Africanorum confirmata, rob
auctoritate Romanæ ſedis recep

2. *enim*, inquit (*a*), *de hac cauſa*
cilia miſſa ſunt ad ſedem apoſtoli
de etiam reſcripta venerunt, ca
eſt, utinam aliquando error
Quodſi expreſſe adhuc ſecundu
ſarios conſenſio unanimis exſ
fuiſſet, ut ineluctabilis ſententia
ret vis, & robur, jure poſt
iſtas particulares, & judicium P
d

(*a*) S. Aug. ſerm. CXXXI. al. II.
Apoſt. c. 10. lib. IV. c. 8. ad Bon

damnationemque poſtulaſſent Pelagiani, ne hæretici ipſi, aut eorum doctrina hæretica diceretur, donec de totius eccleſiæ in concilio œcumenico conſenſu conſtaret : uti hodie faciunt, qui epiſcoporum acceſſionem expreſſam ad bullæ *Unigenitus* receptionem præſtolantur. Nec S. AUGUSTINUS dicere potuiſſet, cauſam finitam eſſe, ut nullo amplius examine, indagationeque opus eſſet : quod nos contendimus ſufficere, rati, examen a Pontifice fieri ſolitum, antequam definiat, duce S. AUGUSTINO (*a*) : *Quid adhuc quæris examen*, cum illo dicimus, *quod apud apoſtolicam ſedem jam factum eſt ? Quod denique jam factum eſt in epiſcopali judicio Palæſtino. Ergo hæreſis ab epiſcopis non adhuc examinanda, ſed coercenda eſt poteſtatibus chriſtianis.* Meminit unius particularis ſynodi, & Rom. ſedis : poſt quod examen nota eum, nec epiſcoporum amplius opus eſſe examine, dicere. Forte modeſtiæ cauſa concilia Africana in hac ipſa re non commemorat ; at etiam particularia tantum erant. Hinc alibi judicium, certe non ab univerſa eccleſia nec congregata, nec diſperſa, ſed a paucis ſynodis particularibus accedente Rom. Pontificis auctoritate factum, ſufficiens ad eos conteren-

a.

(*a*) L. II. operis extr. adv. JULIANUM n. 103.

a. dos asserit : *Post factum*, inqui
competens, sufficiensque judicium
que lupi isti apparuerint, contere
Haud aliter PROSPER omnem
acciſæ Pelagianæ ſectæ Romana
buit, quæ ſua auctoritate om
chriſtiani armarit epiſcopos :
b. *ſimus*, inquit (*b*), *ſententiæ ſuæ*
nexuit, & ad impiorum detru
gladio Petri dextras omnium arm
ſtitum. Et alibi de Africa :

. . . . *gemino ſenum celeberrima c*
Decrevit, quæ Roma probet,
c. *ſequan*

Ut S. AUGUSTINUM ſecutus eſt
ita S. AUGUSTINUS magiſtrum
AMBROSIUM. Qui pariter ret
Rom. Pontificem hæreticos con
dos ex ſynodo Mediolanenſi
autem accepto his verbis reſpo
que Jovinianum, Auxentium, &
quos Sanctitas tua damnavit, ſ
nos quoque ſecundum judicium tuu
tos. Idemque ex ſynodo Capu
mili cauſa retulit ad Rom. Por
cenſuitque pacem futuram ; *Cu*

(*a*) S. AUG. L. IV. contra. BONIF. c
(*b*) Cont. collat. L. I.
(*c*) Cont. Ingratos.

quit (a), *gestum esse cognoverimus, quod ecclesia Romana haud dubie comprobarit.* 2.

IV. Ita vetustas omnis plenam de justitia, & veritate judiciorum, decretorumque pontificiorum fiduciam, credulitatemque habuit: ita in illis penitus acquiescendum sibi esse haud dubitarunt fideles sine ulteriore indagine, aut concilii œcumenici examine prorsus necessario; ut quavis exorta causa sollicitandum orbem terrarum, atque fatigandum haud duxerint, nisi aliud suasissent non ipsæ causæ, sed causarum motus, & turbæ, quæ sedandæ visæ sunt collatis in synodis operis, consiliisque. Neque enim de absoluta & physica solum necessitate solliciti fuerunt, sed utilitatibus etiam ecclesiæ consulendum duxerunt; quæ est necessitas moralis æquos, bonosque pariter stringens, quæque sæpe ecclesiæ adfuit, ut in concilia congregare se necessarium duceret, apostolico inducta exemplo. Primum enim illud Hierosolymis ab apostolis celebratum concilium non tam nova aliqua exorta dubietate, & controversia, quæ jam a PETRO decisa videri poterat, quam

Admissa etiam pro rerum circumstantiis necessitate, utilitatibusque summis conciliorum.

(a) Epist. ad THEOPH. L. X. ep. 78.

facta ſeditione non minima coaluit.

2. *ad ſedandas turbas*, inquit ill. Bossue
collecta ſynodus, & expreſſe omnium
ſita ſententia eſt, extititque illud ex
muni conſenſione decretum cui jam pii c
acquieſcerent. At ubi nulla erat com
ſimilis, exſurgens Petrus in medio fra
dixit: viri fratres oportet impleri ſcr
ram: de Juda Iſcariote ſcilicet, & i
locum alio eligendo, quæ cum omnibu
nifeſta viſa eſſent, & locus ſcriptura
ipſa clarior, nullius poſtea exquiſit
ſententia, ſed in Petri ſententiam
ex ipſo ſilentio, omnes abiere, atq
dixerat, ita executi ſunt: quæ
ad nos, & ad ſecutam ætatem m
vidimus, nempe ut ſuborta quæſtion
trus omnium princeps eloquatur: P
inquam, ille, Petrique ſucceſſor, cui
grex creditus; quocum communica
mnes eccleſiæ, quive adeo conſcius co
nis traditionis communi eam nomine
to depromit, ac pro poteſtate læſam
tatem vindicat. Hanc ſi omnes rec
ſcant, tunc in Petri decreto commun
mnium, totiusque eccleſiæ ſententia
nerantur. Sin autem oriantur grave
tiones, fratres inter ſe, maxime ver
ſcopi, atque eccleſiæ collidantur, tum
rec

(a) Def. declar. cler. Gall. P. II. L. XI

recurratur ad *commune concilium*, & *communis fides*, *communi & expressa apostolorum sententia Spiritu sancto auctore declaretur. Quo certe in cœtu pro officii suæ amplitudine sit princeps ipse Petrus; cæterum communi sententia judicium proferatur.* Iniquus sit, atque communionis potestatis legitimæ inter summos ecclesiæ principes parum gnarus, qui episcoporum venerando collegio judicandi facultatem in conciliis demat; at vicissim næ is æmulus est, invidusque pontificiæ auctoritati, quæ ex D. PETRI prærogativis oritur, næ is parum ecclesiæ necessitatibus consulit, qui nihil ratum esse vult in ecclesia, antequam id commutatis votis in conciliis congregatorum sit firmatum; ut interim palabundæ, errabundæque oves abducantur, fluctuent, & abripiantur omni vento doctrinæ: motus, turbæ, & contentiones ecclesiam distrahant in partes, factiones: ipsa unitas scindatur ecclesiæ, dum pars hac pars illac se flectit, dictis devovet, anathematis se damnat. Quæ omnia fieri debent in ea perplexitate sententiarum, contradictioneque, dum alius judicio Pontificis standum, alius illud ulteriori examini subjiciendum, hic recipiendum, alter rejiciendum putat, privato quisque spiritui in-

dulgens, dum aut nulla, aut Pc
non ſatis æqua auctoritas tribuitu
pro rerum circumſtantiis, eccleſ
utilitatibus etiam complicata ſit poı
eccleſiaſticæ communio in ſumm
tifice, cui omnis eccleſia commiſ
que plenitudo poteſtatis conceſſa
explicata in collegio epiſcoporum
tur, qui ſunt in partem ſollicit
vocati: ut quando licet, & expe
tiam conveniant, & communi c
deliberationeque res eccleſiæ tr
ſinguli calculos ſuos, ac ſymbola
ferant ſummo eccleſiæ profect
quod nunquam non agnitum, nu
non bene ceſſit, niſi poſtquam
munio poteſtatis legitimæ eſt co

a. Certe (a) *frequens generalium conc*
celebratio agri dominici cultura eſt
pua, quæ vepres, ſpinas, & tribı
reſeum, & errorum, & ſchiſmat
ſtirpat, exceſſus corrigit, deformat
mat, & vineam Domini ad fruge
rimæ fertilitatis adducit: illorum
glectus præmiſſa diſſeminat, atqu
Hæc præteritorum temporum r
tio, & præſentium conſideratio
culos noſtros ponunt. Hæc ſap
me præ oculis habuerunt Patre

(a) Conc. Conſt. ſeſſ. XXXI.

ſtantienſes. At tunc nihil proficere potuerunt, quando jura communionis legitimæ ſunt concuſſa, & in legem communem ſanctionemque ordinariam remedium extraordinarium nullo effectu ſalutari abiit, veluti neglectu, defectuque conciliorum ex adverſo multis eaque ingentibus eccleſiæ commodis deſtitui, innumeris econtra malis affligi contigit: quibus omnibus poſterioribus temporibus exortæ contentiones, communioni poteſtatis legitimæ adverſæ, locum dederunt: cum ex una parte penitus frustranei ejusmodi conventus haberi viderentur in uno Pontifice toto onere paſtorali repoſito, ex altera parte unicum rebus chriſtianis in illis auxilium reponi. Quæ poſterior ſententia ipſi Galliæ exoſa, atque a facultate Pariſienſi cenſura perſtringenda eſt viſa in MILLETERII (a) libro de uſu pœnitentiæ, quo aſſerebat, ſedis apoſtolicæ decreta de fide, eo ſolum ſtatu eſſe infallibilia, ſi in conciliis œcumenicis fierent, atque ita ſolis conciliis œcumenicis conſenſum univerſalem eccleſiæ declarari: quam doctrinam cenſuit facultas temerariam, ipſique eccleſiæ injurioſam. Ex altera parte in concilio Lateranenſi ſub LEONE X. ÆGIDIUS *Viterbienſis* polita ora-

(a) Le veritable pacificque

tione neglectum conciliorum perſ
eorum neceſſitatem adſtruxit, a
que: *Sicut pratis imbrem, hortul*
aquarum, agris culturam, putatio
neis, alimenta hominibus, ſic eſſe
eccleſiæ, ut quoties ab illis ceſſatum,
eccleſiam ſponſam a ſponſo Chriſto
Etam, & ſponſam jacere ſicut hyem
des arborum viderimus. Apud an
eccleſiam regia mediaque via itu
rumque circumſtantiæ expenſæ
librata momenta, Cœlestino,
rillo in cauſa Nestorii, Flav
Leoni ob hæreſin Eutychis
ſuperſederi poſſe ſynodo, ſuffi
judicium ſedis apoſtolicæ eſt viſ
eum turbæ, & tumultus ingrave
ſchiſmaque immineret, ſeſe in co
adhibuerunt, atque ad conciliu
gregandum animum admoverun
id pariter in omnibus cauſis eti
faciendum judicarent.

Quin tamen neceſſarium, ac e re ſemper ſit, refragariis perfugium iſtud indulgere.

V. Neque ullum exemplum ſi
conceſſum aliquando œcumenici
refugium, beneficiumque, utu
tatum a factionibus, & hæreticis
tum ſperatum habuiſſe, ut nimir
rum judicio ſe dederent, ſubmi
que perverſi homines: quin
compertum eſt, hac fraude, obten

ciliorum ludificare eos ſolitos eſſe eccleſiam, ac ſtocci habuiſſe conciliaria ipſa ſtatuta: veluti noviſſime in LUTHERO conſtitit primum ad concilium provocante, at mox hanc etiam auctoritatem abjiciente, contemnenteque: quod merito in eo execrati ſunt Pontifices in hac ejus propoſitione: *Via nobis facta eſt enervandi auctoritatem conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, ſive probatum fuerit, ſive reprobatum a quocunque concilio.* Græci ſchiſmatici eadem ſemper fuerunt vecordia: nullam aliam diſſidii cauſam dictitant, quam, *Quod quæſtio*, ut inquit, (a) NILUS, *controverſa communi æcumenicæ ſynodi decreto non ſit confirmata.* Non tacet ibi NILUS, quod hic commemorandum præcipue eſt, quodque conciliorum patroni urgere tantopere ſolent, ex motibus nimirum ac turbis neceſſitatem congregandorum conciliorum ſummam emergere. In ſchiſmatis autem orientalis cauſa neceſſitatem concilii inde potiſſimum urgent, quod contentio inter ſummas ſedes, ſit. *Si*, inquit l. c. NILUS, *e vulgo tantum hominum aliqui diſſiderent, prætextum aliquem haberet eorum oratio, atque* 8.

(a) De Primat. Papæ Rom.

atque adeo iniquum cenſeri poſſet tan dam facere, ut ipſorum cauſa totum concutere velimus. Nunc vero cum orbis propemodum inter ſe diſſentia non valde abſurdum fuerit de un fide aliter quam cum univerſo orb ſtatuere, atque decernere. Cum cilio Lugdunenſi unio inita reſti videretur, ea diu conſtare haud cauſam habet inſtrumentum re de *Ambaſiata* facta ad Græco: MCCCCXXII. oratores nimirun ratoris Cpolitani in concilio ſe R eccleſiæ univerunt, & ſymbolum orientales & occidentales, pub cantarunt, at illa reductione, ſtare voluit, aſſerens, ſine cc concilio factam eſſe. Poſt temp perator Græcorum litteris ad M NUM V. petit fieri concilium u le ſecundum ordinem, & con nem ſeptem univerſalium conc Et poſtea: *Placet nobis incipere opus ab ipſa die, qua huc advener ſtus Rev. Cardinalis, & tunc con ſacro concilio ſecundum antiquum rum univerſalium ſeptem præterito dinem, & conſuetudinem, & ver contentione quæſita, quidquid v fuerit inſpirante Spiritu S. in hoc cilio utrique parti placitum ſit,*

quatur omnes termini mundi : itaque fiat universalis unio, & infrangibilis, & firmæ ecclesiarum. Additio symbolo facta est sine concilii œcumenici auctoritate, sineque consensu totius ecclesiæ eo tempore, quo adhuc Græci ecclesiæ universali uniti erant, atque adeo partem magnam orthodoxæ ecclesiæ faciebant : non igitur reclamatio eorum sperni poterat, si œcumenicum concilium necessarium est ad stabiliendum dogma. Rectequ Græcus secundum hæc principia hunc esse articulum fidei negaret, utpote consensione illa ineluctabili carentem, quam ad hoc necessariam dicunt. Quid ad hæc Galli, qui synodum Florentinam pro œcumenica haud habent, respondeant? Quo jure Græcos tanquam schismaticos, & hæreticos habeant? Cum nulli ejusmodi potestati legitimæ refragarii fuerint, aut sint, qualem illi solam pro ineluctabili tenent, nec ejusmodi definitioni fidei contrarii, qua unice obligari catholicum posse, & obstringi existimant : consensione nimirum totius ecclesiæ, atque unitione sententiarum, communicationeque eorum omnium, qui a DEO judices ex testamento, successioneque apostolorum sunt constituti, ita ut viritim colligantur, rogenturque vota singulorum præsulum colle-

collegii epiſcopalis aut extra
concilio. Quod fieri debere
de fide ſit tenendum dogm
propoſitum, nec in additione
Filioque factum eſt: hinc c
Græci non Papæ primatum
ſed auctoritatem eam, qua
concilio œcumenico, atque
unanimi epiſcoporum articu
a. definire. *Atqui*, verba ſunt N
poteſtatem inquiunt in rebus e
habuit Papa, ajo & ego. Ne
trum decretis adverſetur. Illi
concilio eccleſiaſtica negotia ſtabili
nusquisque alterius auxilio indig
manæ enim imbecillitatis erant co
lorum legibus etiam Papa obtemp
que ante dogma aliquod ſanciat, q
cum de eo diſceptatum eſt. An n
ſima hæc eſt hodie Anti-bu
querimonia, cunctatio, tergi
que? Aliter tempore ſyno
quando ſchiſma a PHOTIO
primo eſt ſarcitum. Reverenti
vantiaque judiciis ſummi Pont
præciſe poſtulata, redditaque:
VI. habetur: *Nos nihil aliud fac*
que ſubvertimus, neque rejudicam
cium ſanctæ Romanæ eccleſiæ factu

(a) De Principatu Papæ Rom.

Photium, & ſequaces ejus. Dumque Photiani eandem, quam iſti, cantilenam canebant, Pontifice, & patriarchis omnibus ſuperiores eſſe canones, multos a Romano Pontifice damnatos, alibi abſolutos eſſe, atque in hanc rem varia comminiſcebantur exempla, primum ab imperatore ipſo, tum a METROPHANE revulſi ſunt ſingulis argumentis dilutis. Vid. *Act. VI. ſyn. VIII.*

VI. Quodſi autem non lege neceſſitatis, ſed ex veniæ temperamento poſt Romani Pontificis judicium aliud indulgetur, nunquam vero conſtet aliquo ſubſequente examine refixam, retractatamque eſſe latam a ſede PETRI ſententiam, agnoſci debet vis unionis, conſenſionisque implicitæ in decretis pontificiis, quam nos propugnamus, quæque communioni poteſtatis legitimæ inter ſummos eccleſiæ principes tantum abeſt, ut officiat, ut eam inſigniter præſtet, conſerverque, ſingulari divinæ providentiæ circa regimen eccleſiæ ſpecimine. Neque enim exſortem ejusmodi atque abſolutam tribuimus Pontifici poteſtatem, dominatumque, ut obtrudere, imperareque fidem, ac doctrinam pro lubitu, animique ſententia poſſit, quam acceptare neceſſe ſit, nulla habita

Communione legitimæ poteſtatis alias obtenta, ac implicita in pontificiis decretis.

bita ratione poteſtatis legitimæ in
gio epiſcoporum reſidentis, ut ſicut
mam ita ſolam habere videatur Pon
poteſtatem. Id unum contendi
quando Pontifex pronuntiat conſult
examinata traditione eccleſiæ nunq
prodiiſſe, aut prodituram ſenten
aliam a communi eccleſiæ ſenſu.
hoc præjudicio ſtipata munitaque
decreta ſtatim, ac promulgantur,
ſcipi poſſint, ſine ulteriore privat
dagine, ac cunctatione, ceu certa
cleſiæ fides; abjecta tergiverſation
præſtolanda eccleſiæ conſenſione,
ceptationeque, in concilio congr
tæ: ut non ſolum præſumtio, ſe
tiam indubia, & firma perſuaſio, f
que eſſe poſſit, ac debeat, non ſolum
ſcepturum orbem chriſtianum dc
nam propoſitam, ſed etiam eande
mnino eſſe, quæ ſemper, & ubiq
eccleſia obtinuit, DEO aſpirante,
ſtenteque definienti Pontifici, atque
tam poteſtatem ſummo antiſtiti trib
te, quanta ad unitatem eccleſiæ nec
ria eſt infallibilitas definiendi. A
2. *enim*, ut agnoſcit DUVALLIUS (*a*),
*poſſent lites, & diſſenſiones, quæ circ
dem indies emergunt, componi, cum
cil*

(*a*) De infall. Rom. Pont. P. II. q. 2.

cilia generalia raro, & cum maxima difficultate cogantur, & hoc tempore in tanta regum christianorum æmulatione vix ac ne vix quidem celebrari possunt. Huic rerum vicissitudini, imperiorumque statui tribuendum, quod successu temporum Pontificum auctoritas magis ac magis se esse explicaverit; eoquod jam in Pontifice spes maxima sit reposita, atque eo tutius, se curiusque reponi possit, quo pluribus, ac tot revera exemplis, quot ecclesiastica judicia integro sæculorum decursu a christianis initiis ad hæc usque tempora emanarunt, justitia, & veritas judiciorum pontificiorum sit asserta, & firmata; ut quo magis provehimur annis, eo major accrescat documentorum cumulus, ac grandævior præscriptio, quominus par sit adhuc dubio relinquere locum, ac reniti. Semper causæ cum conscientia, & arbitrio Pontificis sive in conciliis, sive extra concilia sunt actæ, semper, quam ille exposuit, sententia obtinuit. Non tam quod potentia ipse pervicerit, quam quod traditioni, communique ecclesiæ doctrinæ invicta semper adhæserit sedes illa firmissima petra. Quodsi temporibus persecutionum non admodum multa habentur exempla explicatæ hujus potestatis, at nec etiam tunc concilia œcumenica habita noscuntur;

tur ; utriusque rei una eademque ex
cauſa, difficultas ſcilicet conſilia com
nicandi, conciliaque congregandi. C
tamen in ſummis eccleſiæ negotiis t
transacta, judicataque, auctoribus,
cibusque ſummis Pontificibus geſta f
in communione poteſtatis legitimæ,qu
tum per ea tempora fieri licuit li
rarum miſſitatione, ut ſemper emi
ret Pontificis Rom. auctoritas, at
cum eo negotiorum collatio, tracta
que fieret : communionem non in
ruptam omnes cum ſede PETRI eccle
ſibi habendam duxerunt, ut qui ab
eſſet alienus, ab eccleſiæ totius comm
nione extorris haberetur. Quare ab
communicatione ferienda tantopere
temperabant Pontifices, quando eti
cauſæ adeſſe viderentur, ut in cont
verſia de paſchate, & baptiſmo hære
corum : hac enim diſpenſatione eos
vos in ſinu ſuo ſervavit pia mater ecc
ſia, qui ſibi in rebus his proprium uſu
& praxin indultam exiſtimabant, n
ſeſe eccleſiæ Romanæ in illis neceſſar
accommodare debere credebant. Cu
illa nunquam privatam, ſed eccleſiæ ur
verſæ conſuetudinem, & traditione
obtenderet, ſequereturque, libent
conſilia, & negotia cum orbe chriſtia
communicabat ; idcirco ſolum tena

&

& studiosa auctoritatis, ac decretorum suorum, quod eadem essent ac ecclesiæ totius, non privatæ usurpationes sive in disciplina, sive in moribus, sive in fide. Quod pace etiam reddita ecclesiæ semper observatum: aliquando cum conciliis, aliquando sine conciliis decisiones edidit cathedra PETRI, quorum omnium rerum exempla dedimus; semperque in judiciis sedis illius agnita, & comperta est communis ecclesiæ fides, non privata aliqua doctrina, quod aptissimo vocabulo christiani semper *hæresin* appellarunt.

VII. Quid ergo admodum dubitandum de veritate, æquitateque judiciorum summi Pontificis? quid nunc primum auctoritati, potestatique illius detrahendum? Quorundam paucorum quidem etsi etiam celebrium, & sanctorum virorum exemplum, ac vestigia terrere potius deberent, quam stimulare, qui in ab errationes, & devia, recedendo a centro hoc unitatis, regiaque via, devenerunt, de fide periclitati, aut penitus dejecti. Tutius sequamur eorum ductum qui omni tempore adhærendo sedi, ac cathedræ PETRI securum fidei partem in quibusvis fluctuationibus repe-

repererunt, in unitate eccleſiæ munioneque poteſtatis legitimæ. dum ſtabilire volunt, qui omni cilii definitionem referunt, ſub & deſtruunt. Dum cuique jus nis, examinisque adſcribunt in ſummorum Pontificum, quem dem præponunt, ſuperioremque non ſolum ex illis, qui arbitri, que ſunt legitimam poteſtatem c ti, ſed etiam laicos, ipſumque quibus ſi licet repudiare decretur tificium multo magis mandatum paſtoris: ſi nimirum deciſio pon nihil aliud ſit quam particulare d cui ad ſummum reverentia impen ſit, utpote necdum ubique accepta finitione ac in concilio œcumenic mata. Sic etiam œcumenicis co male conſulitur, cum æquo jure obedientia negari poſſit, donec co de totius orbis, id eſt omnium ep porum conſenſu, cum in nullo c lio adhuc vel media pars adfuerit: ſi cuique epiſcopo jus ſit, quando interfuit, decretum examinare, inte dereque, anathemata reſpuere, aut tem deciſioni moras nectere, & tur ciere, ut interim, anathemata contemn tur, contemtus miniſterii ſacri gene tur, turbæ, & contentiones foveant

Ut,

Ut, nisi divina ecclesiæ suæ assistere providentia, vix aliquando consistere ecclesiæ pax & unitas, in ista factionum varietate, studiorum diversitate, animorum, ac opinionum conflictu. At DEO agente hactenus semper in communionem eam flectitur humana pervicacia, & oppositio, quæ est inter summos ecclesiæ principes Pontificem, & episcopos a Christo instituta; dum in concordiam, partes demum descendunt omnes, uti novissima exempla Jansenisticarum, Quesnellisticarumque turbarum quotidie docent: quibus si pepercissent episcopi, [illegible]eseque primum statim collegissent in communionem legitimam cum suo capite, hodie non idem experiri deberent a suis, quæ ipsi primum in summum Pontificem attentarant. Jam enim episcopis in Gallia subditi fideles eadem injuria obsequium, interioremque mentis assensum detrectant, minas, fulmina, excommunicationes, ac quasvis pœnas, & anathemata ceu res inanes respiciunt, donec post operosam disquisitionem, annosum examen, morosam cum traditione collationem decretum aliquod acceptatum, approbatumque satis esse sibi persuaserint, aut concilium generale extorserint. Agitur de propositionibus centum & una QUESNELLI, quæ singulæ

 pau-

paucis verbis contentæ ſenſur
determinatum non habent, &
piam ſenſu tollerari poſſunt, i
ſententiam habent, in ipſo foi
re QUESNELLO, non illa
bitur: atque in globo tantum,
re ſolemus, propoſitiones ſunt
hæreſeosque notam ſingillatim
bent. Id tantum intendunt leg
cleſiæ paſtores in communione
tis eccleſiaſticæ, ut quemcunq
dem intellectum pravum, aut ei
riculum latentis erroris habere
illud præcaveatur. Atque hic
obſequium petitur, nec unquam
nus determinatum aliquid in vag
poſitionibus ab eccleſia fuit, quo
ſertim contra D. AUGUSTINI doc
de gratia & prædeſtinatione, quar
mi Pontifices imprimis, a primis oi
controverſiarum hac in materia te
ribus, ſuſpexerunt, nec modo a
contra avitam traditionem eccleſiæ ſ
contra ſententiam anteceſſorum ſu
moliri ac præſcribere cenſendi ſun
adeo, ſi quo intellectu doctrinæ ill
tæ conveniunt propoſitiones quæ
damnatæ, ſenſus ille minime attingi
di poſſit ac debeat; ſed ille demum
cunque demum ſit in ipſa ſententia
ambiguitate, qui aut perverſus eſt,
per

pervertipoteſt. Quod poſtremum po
tiſſimum ab eccleſia in iſtarum propo
ſitionum damnatione ſpectatum eſſe cer
ſeo, tequeque ſic illi etiam libri pro
ſcribuntur ac propoſitiones, quæ in pra
vum ſenſum perverti poſſunt, quin pe
nes pri atos theologos ſit in cauſam vo
care le irimos ſuos paſtores, ac totum
chriſtia m commovere orbem, ut u
nius ho minis ſeu libri cauſa œcumeni
cum c at concilium, ſecusque obſe
quium cl etrectetur, & uſque ad extre
mum ſp ritum illi, qui paſtoribus ſuis ad
hærere ac eorum propugnare dicta
maxim debuerant, non ſolum in par
tes & ſ ctiones abeant cum præſentaneo
ſchiſma is periculo, ſed etiam alios ab
ducere otis viribus annitantur.

VII

Hinc fit, ut tot quotidie ad
nos p rferantur horribiles relationes,
quam xagitentur hac de cauſa multi,
dum m animam agunt, & exaniman
tur. Dum una ex parte ſacramenta,
ſumm neceſſarium viaticum, negantur
iis, qui *ſchedas*, quas vocant *confeſſio-*
mis ſu e conſenſionis ad acceptandam
bullam non exhibent: ex altera parte
conten nitur, animusque obſtinatur, ut
malint ex hac vita decedere ſine ſacra-
menti , *quam* bullæ ſubſcribere Ponti-

ficis , & proprii epiſcopi auctor
propoſitæ. Quam quæſo, fore
mus ſortem ejusmodi hominum c
ſupremo tribunali futuram , ob ta
pertinaciam , contumaciamque c
obedientiam legitimæ poteſtati ecc
ſticæ præſtandam ? & tamen dome
ſe tuentur principiis , inolitisque op
nibus contra communionem pote
legitimæ inter ſummos eccleſiæ p
pes. Fruſtra ad POLYCRATIS cum
ris Aſianis , CYPRIANI , FIRMILI
aliorumque Sanctorum exempla pi
cant , qui pacis , & unitatis ſtudio
per retento errarunt quidem,ſed ini
nondum ſententia aliqua de dogmat
lata , ſed tantum de uſu , & prax
troverſia agitata ; nulla excommu
tionis ſententia , aut excluſione a
mentis aliisque pœnis ſtatutis , u
tra hos ſunt hæc vibrata , quotic
vibrantur. Unum adhuc benig
piæ matris beneficium ſentiunt ,
penitus eccleſia ejecti necdum ſi
exciſi. At eſt multorum, durun
dem , votum , ut potius aliq
diſcedant , quam ſinum matris
cient, atque intra ipſa viſcera ta
deliter graſſentur. Scio quantum g
tur , quam acerbe ferant ita ſe
veri , atque diſceſſum ſuum , &

ecclesia optari. Non dicam, quo
oris habent, se S. CYPRIAN
re fulcire, quo nemo pacis, &
amantior, studiosiorque fuit
n simile votum eo ipso in ope
essit, quod de unitate eccles
t. Gratulandum est, inquit, cum
ecclesia separantur, ne columbas
Christi sæva sua, & venenata cor-
præcidentur. Cohærere, & conjun-
test amaritudo cum dulcedine ca-
lumine, pluvia cum serenitate
m pace, cum fœcunditate steril
ontibus siccitas, cum tranquillita-
tas. Caveant saltem, ne in se su-
m excitent, ac si consociare velint
s studium cum amaritudine con-
um, lucernam fidei cum caligine
e doctrinæ, serenitatem aeris
npestate turbarum, & tumultuum,
ecclesiæ cum pugna, discidiis,
entia, obstinationeque sententiæ
legitimam auctoritatem: dum ar-
sibi magisterium, detrectare sub-
em audent contra eos, quibus
ditum est evangelii ministerium;
itate abjecta, frustra obtendunt
morem, unitatis ecclesiasticæ re-
simulacro, quæ rite inter pu-
discordiasque non conservatur.

8. *In domo DEI*, inquit idem (*a*) eodem in loco S. Martyr, *in eccleſia Chriſti unanimes habitant, concordes, & ſimplices perſeverant, idcirco & in columba venit Spiritus ſanctus, ſimplex animal, & lætum non velle amarum, non morſibus ſævum, non unguium laceratione violentum, hoſpitia humana diligere, unius domus conſortium noſſe, cum generant, ſimul filios edere, cum commeant, volatibus invicem cohærere, communi converſatione vitam ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc eſt in eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut manſuetudo, & lenitas agnis, & ovibus æquetur.*

Suffragarii legitimæ poteſtati Neoterici contra primaria eccleſiæ principia.

IX. Non congruit cum iſta columbæ indole ac ſimplicitate tanta ſcientiæ jactantia, arrogantiaque, quæ ſe audet etiam contra legitimam poteſtatem, decreta proponentem, defendere, obedientiam negare, auctoritatem detrectare. Certe quo propius ad illibatam illam originem chriſtianæ ſimplicitatis accedimus, nihil amplius quam iſtam uſu & præceptis conſtitutam deprehendimus ſubjectionis legem præpoſitis præ-

(*a*) S. Cypr. de unit. eccl.

præstandam ad unionis christianæ perfectionem. *Decet itaque vos*, mon[illegible] S. IGNATIUS Ephesios, *omnibus m[illegible] dis glorificare Dominum JESUM Christum qui glorificavit vos, ut in obedientia u[illegible] sitis perfecti eadem mente, eademque sen[illegible] tentia idemque dicatis in eodem omne[illegible] ut subjecti episcopo, & presbytero, per [illegible] mnia sanctificati sitis.* Utinam quod [illegible] Paulo Post de Ephesiis dicit, idem hodi[illegible] de Antibullistis posset asseverari: *Una decet vos in episcopi sententiam concurrere quod & facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium dignum DEO, ita coaptatum est episcopo ut chordæ citharæ. Propter hoc in consensu vestro, & concordi charitate JESUS Christus canitur. Sed & vos singuli corus estote; ut consoni per concordiam, melos DEI recipientes in unitate cantetis vce una per JESUM Christum Patri, quo & vos audiat, & agnoscat ex iis, quæ operamini, membra esse vos filii ipsius.* At quomodo isti digna Christi membra esse [illegible]eant, qui potius a participatione corporis Christi excludi se sinunt, quam fidei obsequium legitimæ potestati ecclesiasticæ exhibeant. Videant, ut in seipsos crudeles existunt, dum nihil pensi habent, si corporis Christi participes haud fiant. Quod S. IGNATIUS illis tribuendum vult, qui sub obe-

obedientia legitima unitatem fidei re-
a. nent. *Siquidem ſinguli*, inquit (*a*), *communiter omnes, ex gratia, nominatim convenitis in una fide, & uno JESU Chriſto, ſecundum carnem ex genere Davidis, Filio hominis, & Filio DEI, ut obediatis epiſcopo, & presbyterio mente indivulſa, frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis eſt, antidotum ne moriamur, ſed vivamus ſemper in JESU Chriſto.* Quomodo ergo vivere in JESU Chriſto poterunt, qui privari ſe potius ſinunt pharmaco immortalitatis, antidoto, ne moriamur, quam epiſcopo mente indivulſa obediant?

Ea ut ſecum perpendant, atque ad cor redeant, votum.

X. Hæc utinam vicini Galli complures hodie ſecum perpenderent, & ſe in conſilium adhiberent, animum admoverent tandem aliquando ad pacem, & unitatem animorum, quam nunc iterum novis turbis, diſſenſionibus, ac diſcordiis audimus profligari. *Ut quid inter vos ſunt contentiones, iræ, diſſenſiones, ſchiſmata, & bella?* alloqui eos liceat
b. S. CLEMENTIS Rom. (*b*) PETRI in ſede Romana ſucceſſoris verbis, *nonne unum DEUM habemus, & unum Chriſtum? atque unus eſt Spiritus gratiæ, qui effuſus eſt*

(*a*) Ibid. n. 20.
(*b*) Ep. I. ad Cor. n. 46.

est super nos, & una vocatio in Christo
Cur dilacimus, & distrahimus membra
Christi, & contra proprium corpus sedi-
tionem facimus, eoque vesaniæ devenimus,
ut alios aliorum membra esse obliviscamur.
Dicetis necdum eo rem devenisse, ut
schisma vestram discerpat ecclesiam. Ad
periculum imminet: securis ad radicem
posita est: schismati viam aperiunt il-
læ contentiones, opinationesque uni-
tati, communionique legitimæ pote-
statis inter summos ecclesiæ principes
Pontificem, & episcopos adversæ, qui-
bus primum Pontifici, nunc etiam
episcopis obedientiam detrectatis, e-
jusmodi principia foventes, ac sequen-
tes doctrinam nuper inter schismata, &
ad schismata natam: dum a Christo op-
pressa inter apostolos contentio, quis
eorum videretur esse major, iterum est
resuscitata: atque renovatum schisma
a PAULO apud Corinthios olim seda-
tum, dum alius se PAULI, alius CE-
PHÆ, alius APOLLO esse dixit. Su-
mite epistolam B. Pauli apostoli, iterum
vos alloquor S. CLEMENTIS (a) ver-
bis, quid primum vobis in principio e-
vangeli scripsit? Profecto in spiritu ad
vos litteras dedit, de seipso, & Cepha,
& Apollo: quia etiam tum diversa in stu-
dia

(a) L. c. n. 47.

dia ſciſſi eratis. Sed varia illa animorum inclinatio, minus peccatum vobis intulit: propendebatis enim in apoſtolos teſtatæ ſanctitatis, & in virum ab illis probatum. Nunc vero quinam ſint, qui vos perverterint, & nominatiſſimi veſtri fraterni amoris imminuerint decus, animadvertite. Turpia ſunt dilecti, & valde turpia, & chriſtiana converſatione indigna; audiri, firmiſſimam, & antiquam Corinthiorum (Galliarum) *eccleſiam propter unum, aut alterum hominem contra presbyteros ſeditionem movere; atque is rumor non tantum ad nos pervenit, ſed ad eos quoque, qui a nobis alieni ſunt animo, & ſententia, adeo ut propter veſtram inſipientiam, etiam blaſphemiæ, & convicia nomini DOMINI inferantur, vobis autem periculum creetur.* Quid hæc vos attineant, contingantque, atque ad cauſam eccleſiæ veſtræ Gallicanæ ipſi conſiderate. Exortæ etiam ab antiquis temporibus lites apud vos, & controverſiæ: illa olim Semi-Pelagiana, ſynodi quintæ, & ſeptimæ adverſa, ob tria capitula, cultum imaginum. Poſtea variæ hæreſes plerumque e ſinu veſtro prodierunt Berengariana, Albigenſis, Waldenſis &c. ſed inde ejectæ ſunt. Nimirum firmi cohærebatis centro unitatis, conſtanter

habetis in obedientia legitima
ecclesiasticæ exhibenda : eo
icio in decisionibus ultro vo
is : non vobis arrogabatis i
rbitrium , & hoc etiam aliis e
persuadebatis , ut una nos Sym
causa convincit , quem sua ec
judicium vocavit , Vestra ferr
it, ordinem hierarchiæ invert
embris judicari. Nunc qui
uistis mentem ; aliis , tantum
consilio , & monitis adsitis ,
is , & toti ecclesiæ molesti si
natis periculo præsentaneo , ob
inter se cathedram , tribunal
bunal constitutum , quæ cathe-
de PETRI unitatis centro coa-
, ut tamen rite communio pote-
timæ cum reliquis summis prin-
ollegio episcoporum conserve-
imatus Petro *datur* , finiam tan-
n S. CYPRIANO (*a*) , *ut una Chri-*
a , & cathedra una monstretur. Et
sunt omnes , & grex unus osten-
qui ab apostolis omnibus unanimi
ne pascatur , ut ecclesia Christi una
ur . . . . . Hanc ecclesiæ unitatem
tenet , tenere se fidem credit ?
siæ renititur , & resistit , qui ca-
Petri , super quam fundata est
ecclesia,

(*a*) Lib. de unit. eccl.

ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit? Quando & beatus apostolus Paulus hoc idem doceat, & sacramentum unitatis ostendat dicens: Unum corpus &c. *Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Atqui hæc est communio potestatis legitimæ inter summos ecclesiæ principes Pontificem, & episcopos unicus tractationis istius scopus, &

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILI

Academia
docue
mi po
ſtudiu
ſchiſm
ctorita
Africani
tia e
317.
Apellatio
palibu
papam
tæ? 3
Roma
decre
læ ill
Præ
ecclesi
587.
tæ. ib
aliisqu
Archiva
denot
Arelaten
Præfu

A.

Pariſienſis quid
t de poteſtate ſum-
ificis? 450. Ejus
in extinguendo
e. 287. Ejus au-
diminuta. 288.
piſcopi unitatis gra-
ſcopatu cedentes.
q.
es in cauſis epiſco-
ac majoribus ad
quomodo olim rela-
s. Earum frequentia
n jure novo pſeudo-
lium. 366. Formu-
um. 585. Quænam
to Chriſti, & unitati
contrariæ ſint.
Pœnæ contra eas la-
Quid Pelagianis
profuerint? 593.
ſeu chartaria quid
nt? 188.
s *Cardinalis*, qui
Eugenii IV. depo-
ſitioni, mirac
305.
Ariminenſe concili
ſulta Roma la pſ
ſeq.

B.

Barlaam *monachi* d
patu Papæ ſenten
De hæreditaria pr
varum ſucceſſione
Berengarius primus
dem in occidente
cat. 104.
Boſſuet *Ep. Melden*
feſſio magni faciend
In Honorium inf
247. Et in infal
tem pontificiam. 6
Bulla *Unigenitus* qu
Gallia excitet motus
Sacramenta eam no
pientibus negata. 10

C.

Canones cur leges ec
ſticæ dicantur? 22.
mis Pontif. obſervat

570. Ab iis nonnunquam diſpenſandum. *ib.*
Cardinales rei excitati magni ſchiſmatis. 277. Eorum attentata in congregando concilio. 34.
Caroli VI. *Galliarum regis* ſtudia pro recuperanda eccleſiæ pace ac unitate 289. & *ſeq.*
Cauſæ eccleſiaſticæ quomodo ab aliis ſedibus ad Romanam devolvantur? 339. *ſeq.*
Cenſuræ in Gallicanos præſules latæ. 447.
Claves & jurisdictio non eſt penes eccleſiæ communitatem primario. 4. 5.
Clementis VII. de poſterioribus conciliis obſervatio. 489.
Cleri Gallicani de primatu Rom. pontificis declaratio. 80.
Communio poteſtatis eccleſiaſticæ in conciliis maxime neceſſaria. 458. 526. 554. Nullius auctoritati detrahit. 504. Ejus neglectus quid mali attulerit? 207. 303. 549. Medium unicum tollendi ſchiſmatis. 301. Exemplum iſtius communionis in concilio Hieroſolymitano. 468.
Concilia commiſſa inter ſe ob quæſtiones ſcholaſticas. 39. Oecumenica quomodo cauſas pontificias tractare poſſint. 542. Quando convocanda? 483. *ſeq.* 84. Eorum auctoritas in ſchiſmate ob plures pontifices. 308. *ſeq.* 313. Cum Rom. Pontifice ceu capite. 310. 311. Non derogant auctoritati pontificiæ. 471. 578. Cur quandoque effectu careant? 488. Absque Romano Pontifice celebrari nequeunt. 510. *ſeq.* Confirmanda ab eo. 534. *ſeq.* 554. *ſeq.* Sine illo nullius ſunt auctoritatis. 545. & *ſeq.* Ab his recurſus datur ad Papam. 566. & 67.
Concilium num ſupra papam? origo hujus controverſiæ. 410. Quid Conſtantienſe, Florentinum, & Lateranenſe ſtatuerint? 436.
Concilii Baſileenſis decreta de poteſtate Conc. ſupra papam. 435. Ejus exitus & auctoritas. 454. Immerito ſibi ſynodi generalis nomen arrogat. 551. Ejus confirmatio revocata. 554.
-- Piſani II. contra Julium II. attentata. 517. & *ſeq.*
-- Tridentini moderatio in controverſia de poteſtate papæ & concilii. 455. Optime

ptime consuluit unitati non admittendo eam quæstionem. 431.
Constantinopolitani patriarchæ Romanis Pontif. obnoxii. 335.
Correptio summi pontificis ad exemplum D. Pauli Petrum arguentis fiat. 228. seq.
Coustant P. Petri, Opinio quoad epistolas pontificum. 181.
Criterium synodi œcumenicæ. 558. & 59.
Cura summa pontif. pro ecclesia maxima. 194. 196. seq.
Curia Romana quibus excessibus pateat? 31.
S. Cypriæ unus unitatem ecclesiæ unde demonstret? 72. & 73.
conser Ejus zelus pro ea
Cyri Alanda. 261. & seq.
quaciu xand. ejusque se-
simula n Monothelitarum
io. 240.

D.

Decreto rum Rom. Pontif. e
cathe dra loquentis auctoritas. 77. In vel extra
concili um factorum. 581.
Eorum discrimen inter epistola , & responsa pontificia. 179. seq.

E.

Ecclesia triplic
ratur. 62. 97.
a Spiritu S. r
A pontificibus
nes. 198. seq.
si diorum eam
tium. 205. R
quam aberrav
251. Occiden
Romanæ adhæ
tali firmior in
103. Dire exag
pore schismatis
295. Item sub
523.
Ecclesiæ regnum pr
terrenis. 4.
Episcopi, quibus i
salva etiam unita
resistere possint?
.. Romanam sedem
tes in seipsos de
165.

F.

Fidei causæ majores
dem Romanam d
dæ. 133. & seq. 34
349.
Forma regiminis eccle
semper eadem. 439

G.

Galli moderni quan
majoribus suis rece
636. seq. Male
guunt Romanam ec

inter & Romanum pontificem. 168.
Gerſon præcipuus depoſitionis Joannis XXIII. promotor. 50. Ejus ficta communio ſanctorum 513. Principia de poteſtate conciliorum pernicioſa. 536. *ſeq.* Quid docuerit de appellationibus ? 590. & *ſeq.*
Græci primatum ſedis Romanæ num negaverint ? 143. Eorum ante concilium Lugdun. confeſſio fidei a Romano pontifice præſcripta. 68.
- ſchiſmatici ad Conc. œcumenicum appellantes. 619.
S. Gregorii cura de trium capitulorum receptione. 402. *ſeq.*
Gregorii XII. adhærentes tempore Conc. Conſtantienſis. 421.

H.

Hæreſum & ſchiſmatum origo. 59.
S. Hieronymus non ſatis conſuluit auctoritati apoſtolorum. 233.
Honorius *P.* quomodo legitime damnatus ? 245. 356. Illius lapſu num ſedis Romanæ auctoritati quid detractum ? 123. & 132. Ejus error ſimilis D. Petri. 246. Ejus epiſtolæ non ſunt dogmaticæ. 249.
Humilitas fundamentum communionis in regimine eccleſiaſtico. 15. Non impedit, quo minus auctoritate ſua utantur paſtores. 23. & 24.

I.

Infallibilitas Romani pontificis traditioni inhærentis. 183. *ſeq.*
Joannis XXIII. ex concilio Conſtantienſi diſceſſus cauſa controverſiæ fuit, an concilium ſit ſupra papam? 418. Ejus approbatio quoad quædam in eodem concilio geſta. 426.
Julii II. mora in convocando concilio, ejusque excuſatio. 515.

L.

Legatorum Romani pontificis in conciliis auctoritas. 532.
Liberius *P.* an jure hæreſis inſimuletur ? 238. & 39.
Libertates eccleſiæ Gallicanæ circa quæ verſentur ? 377. *ſeq.* Earum fundamentum. 374. *ſeq.*

M.

Meletius ſanctitatis fama celebris. 108. Ejus cum Romana ſede communio. *ib.*

Meſſiæ regnum Judæi falſo terrenum exiſtimarunt. 2. Apoſtoli primum eodem errore imbuti. 3. 17. 18.
Miniſterium eccleſiaſticum a faſtu alienum. 19. *ſeq.*

N.

Nicolai *de Cuſa* egregius de communione eccleſiæ cum Romana locus. 102.

O.

Ordo in faciendis deciſionibus idem a Romano Pontifice ſervatur, qui ab apoſtolis. 192. *ſeq.*

P.

Paſchatis celebratio juxta uſum & decretum Romanæ eccleſiæ. 391.
Patrum concilii Chalcedonenſis de Romana ſede exiſtimatio. 160. *ſeq.*
Paulus III. conſultores pro reformanda curia Romana conſtituit. 30.
S. Petri auctoritate pontifices ſua decreta communientes. 329. 344. 351.
Reprehenſio a Paulo facta S. Hieronymum & S. Auguſtinum commiſit. 231. *ſeq.*
Pontificum tempore magni ſchiſmatis pertinacia. 281. *ſeq.* Præſertim Benedicti XIII. 283.
Poteſtas pontificia impugnata. 199. & *ſeq.*
Præſules eccleſiæ Gallicanæ Romani pontificis judicio adhærentes. 92. 101. 113. De eccleſiæ ſuæ flore gloriantur. 106 Eorum zelus. 113.

Q.

Queſnellus quas turbas excitarit? 629.

R.

Rebaptizationem hæreticorum ſalva unione S. Cyprianus defendit. 393. *ſeq.*
Regimen eccleſiæ paſtores inter ſe conjunctim gerunt. 8. Romani pontificis non eſt abſolutum. 558.
Richerius reprehenſionem D. Pauli in Petrum factam appellationem ad concilium vocat. 230. Sibi contradicit. 557. Ejus iniquus animus in Romanum pontificem. 206. 485. *ſeq.* Ejus de eccleſiæ clavibus principia. 48. 90. Mala ex iis in eccleſia orta. 81. Ejus ſyſtema eccleſiaſt. regiminis noxium. 451. Maledicentia adverſus concilium Tridentinum. 547.
Romanæ ſedi occidens ſingulariter obſtringitur. 337. 338. *Vid. ſedes Rom.*
Romanus pontifex quomodo a nemine judicatur. 215. *ſeq.* Ex cathedra loquens

errare nequit. 96. 171. 174. 222. 223. 225. Ejus prærogativæ quæ, & unde ortæ? 147. *ſeq.* Quantum prima concilia in oriente celebrata ejus judicio detulerint. 494. *ſeq.* Et in occidente. 500. Quanti ejus damnationes antiqui Patres fecerint, quantumque robur habuerint. 600. *& ſeq.* Ejus judicium quando non eſt privatum. 509. Illi acquieſcendum. 478. Poteſtas illius quomodo moderanda? 25. 27. 36. Auctoritatis amplificatio unde? 625. Quam ſemper cathedræ ſuæ auctoritatem defenderit. 128. 130. 134. Quibus ſubſit legibus? 352. Ipſiusmet præſentia in conciliis non eſt neceſſaria. 531. Ejus ſententia conciliorum decretis præcedanea. 387. *ſeq.* Quæ mala invehat illius auctoritatis contemtus. 615. Exempla Romanorum pontificum traditione ſe tuentium. 186. *ſeq.*

S.

Sectarum diverſarum in occidente origo. 107.

Sedes Romana deficere nequit. 138. 140. 171. Ejus placita & definitiones qua reverentia ſemper exceptæ cura ejus in totam eccleſiam 77. Ei occidens ſingulariter obſtrictus. 337. 338. 164. Iniquæ Græcorum contra illius poteſtatem querelæ 76. Qui ab ejus communione abſtinuerunt, a fide abiiſſe probati ſunt. 101.

Sedium patriarchalium in oriente varii caſus. 136. Harum antiſtites diverſis adhærentes ſectis. *ib.* Romana eccleſia interim ſemper in vera fide perſtitente. 137.

Schiſma magnum inter contenden tes pontifices ſpontanea ceſſione ſublatum. 321. *ſeq.* Ejus mala. 26. Origo. 271. Variæ unionis propoſitæ viæ. 306. Cauſa obſtinationis pontificum durante eo ſchiſmate. 297.

Schiſmatis tempore quomodo ſe quisque habeat? 268. *ſeq.*

Subordinatio ſedium epiſcopalium Romano pontifici. 38. *ſeq.*

Symbolo fidei qua ratione addita ſit particula *Filioque?* 68.

T.

T.

Theodoreti insigne de illibata sedis apost. fide testimonium. 131.
Traditio in Romana ecclesia inconcussa. 185. 189.

U.

Vernantii *Jac.* propositio cur damnata? 121.
Vicarii Romanæ sedis in præcipuis per orbem catholicum ecclesiis. 336.
Unitas ecclesiæ quotuplex, & quæ esse debeat? 54. Externa ab interna inseparabilis. 11. Ejus radix in dignitate papali collocanda. 98. Maxime observanda pro rite faciendis decisionibus. 460. 461. Litteris communicatoriis conservatur. 85. Studia PP. Cpolitanorum & orientalium in ea retinenda. 463. *seq.*
Urbanus VI. præcipua causa magni schismatis. 275.

W.

Wicleffi iniqua contra sedem Rom. propositio in concilio Constantiensi damnata. 116. Ejus censores quid de Romano pontifice senserint. 138.

ERRATA.

Pag.. 11. l. 9. *ſect.* 15. del. p. 168. l. 21. *hac*, lege hoc. p. 235. l. 7. *ſe eſſe poſſe*, lege ſe eſſe non poſſe. p. 305 l. 17. *præſidendo*, lege præſedit. p. 317. l. 7. *ſimili*, lege ſimile. p. 358. l. 13. *Non iſta ſe habet in ſchola Chriſti*, lege: Non ita ſe habet in ſchola Chriſti. p. 389. l. 13. *quod*, lege quam. p. 392. l. 14. *ceſſarit*, lege ceſſerit. p. 421. l. 27. *Theodorum*, lege Theodorus. Ibid. l. 28. *qua*, lege ea. p. 425. l. 21. *Tribunali*, lege A tribunali. p. 435. l. 20. *per Conſtantienſe*, addatur: & hoc Baſileenſe. Ibid. l. ult. *Seſſ. XXIII.* lege XXXIII. p. 484. l. 23. *at*, lege ac. p. 530. l. 13. *accipiet*, lege accipiat. p. 544. l. 2. *maximi*, lege maxime. p. 620. l. 17. *voluit*, lege noluit. p. 623. l. 15. *retractatamque*, lege retractatamque.

BAYER. STAATSBIBL. MÜNCHEN

C XII 6 (72)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google